PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

30
1941

TOM. XXX / FASC. I-II
15 APRILIS / 1941

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1941

23699

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

Nota. *Proximus fasciculus prodibit in lucem medio mense iulio.*

I - Dissertationes et quaesita varia

Pag.

De cognitione aestimativa requisita in consensu matrimoniali 5

De obligatione vitandi probabile periculum peccandi, Michael Fabregas, S. I. 20

Practica quaedam applicatio canonis 1099, § 1, 10, H. Beijersbergen, S. I. 45

Ad Responsa de competentia annotationes, Raymundus Bidagor S. I. 51

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

1 - Epistula Encyclica *Saeculo exeunte octavo,* 13 iun. 1940 59
Summarium analyticum 75

2 - Motu proprio, 1 dec. 1940 76

3 - Sermo de pace, 24 dec. 1940 78
Annotationes, Ph. Aguirre, S. I. . . . 80

4 - Constitutio Apostolica, 4 sept. 1940 90
Annotationes, L. Lopetegui, S. I. . . . 95

14-15 - Acta summatim relata 143

Suprema S. Congregatio S. Officii.

5 - Decretum 22 febr. 1941 102

6 - Notificatio 8 mart. 1941 103

Congregatio de D. Sacramentorum.

7 - Normae pro exsequendis articulis xxii-xxv Concordati lusitani 104
Annotationes, Ph. Aguirre, S. I. 123

8 - De Instructione d. 26 men. maii a. 1938 studiosius servanda 128

Congregatio Concilii

9 - Resolutio 15 iun. 1940 129

18 - Acta summatim relata 148

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXX / FASC. I-II
15 APRILIS / 1941

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1941

v. 30
1941

IMPRIMATUR

Romae, 24 april. 1941.

P. E. PORTA S. J.
Praep. Prov. Rom. S. J.

IMPRIMI POTEST

Romae, 25 april. 1941.

† ALOYSIUS TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. ger.

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De cognitione aestimativa requisita in consensu matrimoniali [1]

I

Species facti (omissis).

1. *In iure.* Consensus matrimonialis, qui ad matrimonium constituendum absolute requiritur (can. 1081, par. 1), a Codice ita definitur: « Actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (can. 1081, par. 2). Haec in Encyclica Pii XI « *Casti connubii* » diei 31 decembris 1930 sic illustrantur: « Quam-

[1] Cum in una causa *Nullitatis matrimonii coram* WYNEN, quae decisa est apud S. R. Rotam die 25 februarii 1941, disputetur de hodierna doctrina circa aestimationem valoris seu pretii consensus eliciti in matrimonio, et circa necessitatem appretiandi momentum ipsius contractus, opportunum visum est nobis atque utile *disputationem iuris* eiusdem sententiae nostris lectoribus iam nunc offerre. Sententia exponit doctrinam a nostris auctoribus, sive de theologia morali sive de iure canonico agentibus, penitus fere neglectam. Causa in prima instantia sententiam pro nullitate matrimonii retulit. Tribunal secundae instantiae eam infirmavit. S. R. Rota denique in tertia instantia pariter declaravit non constare de matrimonii nullitate in casu. Doctrinam *in iure* expositam non facilis esse applicationis unusquisque videt; quare iudex caute procedat necesse est. Verumtamen applicatio doctrinae perquam difficilis in detrimentum cedere eiusdem bonitatis non debet. Quare S. R. Rotae Turnus, cognoscens causam, doctrinam ipsam explicandam, aestimandam, declarandam ex rectis nostrae philosophiae atque theologiae principiis assumit opportunissime.

quam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen humana quoque voluntas suas in eo partes habet easque nobilissimas; nam singulare quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu: qui quidem liber voluntatis actus, quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium, ad verum matrimonium constituendum tam necessarius est, ut nulla humana potestate suppleri valeat ».

2. Cum iuxta notissimum effatum: « Nihil volitum, quod non cognitum » ad quemlibet actum voluntatis requiratur praevia cognitio, manifesto etiam ad consensum matrimonialem ponendum requiritur sufficiens cognitio obiecti formalis eiusdem consensus, id est naturae matrimonii. Iamvero can. 1082, par. 1, exponit quaenam cognitio essentiae matrimonii ad valide contrahendum requiratur, videlicet: « Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos ». Citatus igitur canon 1081, par. 1, theoretice *definit* consensum matrimonialem, ac sequens canon describit *cognitionem practice necessariam* de natura matrimonii, ut consensus nupturientium sacrum foedus efficere valeat. Homines autem, descripta scientia muniti, valide contrahunt, dummodo eorum actus voluntatis saltem implicite complectatur ea quae scitu necessaria sunt; sufficit igitur intentio contrahendi sicuti ceteri homines christiani matrimonium ineunt.

II

3. Moderni tamen psychologi haud pauci, et dependenter ab eis psychiatri, docent ad ponendum actum humanum, et consequenter ad consensum matrimonialem eliciendum, non sufficere simplicem usum rationis et actum formalem voluntatis, sed requiri insuper *appretiationem*

seu *aestimationem* obiecti, quae continet elementum et cognoscitivum et appetitivum ideoque functionem tam rationis quam voluntatis. Immo sunt qui statuant *tertiam quandam facultatem* sufficienter *aestimandi* naturam et momentum obiecti actus voluntatis eliciendi, et exigant semper talem *ponderationem praeviam*. Cum in causa praesenti habeantur depositiones et vota septem medicorum et peritorum hanc doctrinam exponentium et approbantium, oportet eandem doctrinam accuratius perpendere, quippe quae in theologia morali et iure canonico hucusque penitus fere negligitur. Iudex enim, « cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit » (can. 1804, par. 2), idque eo magis, si plures periti, in diversis instantiis constituti, ut in casu, eandem doctrinam uniformiter sectantes, sustinent nullitatem consensus matrimonialis a viro convento praestiti.

4. Doctrina modernae psychologiae, adhibita forma scholae nostrae, breviter ita exponi potest. Ut obiectum voluntatis dici possit actu deliberato et libero ab homine appetitum seu volitum, *prius eius valor debet esse appetitus vel volitus*, saltem quoad substantiam. Est autem valor ipsa obiecti *bonitas*, in quantum est conveniens et appetibilis, seu est id *in quod* et *propter quod* voluntas secundum specificam proprietatem suam fertur in obiectum. Quare voluntas nequit dici modo sibi proprio obiectum aliquod appetere et amplecti, si, ne quoad substantiam quidem, *valorem* obiecti attigerit. Valor autem obiecti actu humano appeti nequit, nisi antea fuerit et cognitus et *ponderatus*. Ideo homo, non valens alicuius obiecti *valorem* (aestheticum, socialem, ethicum, iuridicum) percipere et ponderare, ob hanc rationem in eodem ordine (aesthetico, sociali, ethico, iuridico) incapax dici debet ad idem obiectum actu deliberato et libero appetendum et volendum; et si nihilominus ad illud appetendum transit, actus pósitus in respectivo ordine est nullus, quippe qui

in hoc ordine non procedit a deliberata et libera voluntate. In tali casu enim obiectum, quod appetitur, pro voluntate appetente privatum dici debet qualitate transcendentali et essentiali, qua carere nequit, quin eo ipso in respectivo ordine quoad voluntatem cesset esse id quod habet respectum « boni voliti » seu « obiecti appetibilis ». Iamvero ubi primum deest aliquod elementum essentiale in obiecto, circa quod versatur determinatus actus voluntatis, idem obiectum quoad deliberatam voluntatem iam *non est* id quod *dicitur* esse. Unde contractus matrimonialis, cuius valor ethicus, socialis, iuridicus ne quoad substantiam quidem cognoscitur, *non* iam *est* contractus matrimonialis pro voluntate ponente actum contrahendi, licet *dicatur* id esse; aliis verbis: contractus matrimonialis pro voluntate *in ordine sociali, ethico, iuridico non iam exsistit*, ideoque omnino non exsistit, quia matrimonium nisi in ordine sociali, ethico, iuridico non exsistit. Qui ordines ex conceptu suo denotant *valorem*, qui singulis obiectis et actibus eiusdem ordinis competit. Praeterea nullum obiectum, suo valore privatum, amplius persistere potest in ordine valorum, quippe quod solo valore suo tali ordini inseritur. Unde sequitur hominem, qui nequeat matrimonii valorem socialem, ethicum, iuridicum percipere, ideo esse incapacem ad idem matrimonium contrahendum.

5. Huic doctrinae plene adhaeret prof. Fumarola, peritus a Nobis constitutus, qui tam in suo voto scripto quam in sua excussione iudiciali proclamat virum conventum, utpote « immoralitate constitutionali » affectum, non potuisse praestare validum consensum matrimonialem, etsi « aveva indubbiamente nozione dell'atto matrimoniale », et in eo « la libertà di volere non è affatto esclusa, a patto però che questa libertà si intenda dal punto di vista formale, poichè il volere implica non solo libertà della volontà, ma integrità dell'intelligenza e del contenuto etico dell'atto volitivo ». Idem peritus eandem rem insuper ita pronuntiat: « Il sig. Tito pur avendo abbastanza sufficien-

za nella sfera intellettiva non può ritenersi del tutto libero nel determinarsi, mancando alla determinazione uno degli elementi fondamentali per la validità della medesima, cioè l'elemento etico. Ne viene quindi di conseguenza, data la sua immoralità costituzionale, che egli *non poteva valutare sufficientemente il lato etico dell'atto matrimoniale, tanto meno l'importanza degli impegni che da questo atto derivano*. Egli comprendeva l'atto che compiva, ma non vi si determinò liberamente. Quindi il sig. Tito deve ritenersi irresponsabile sia dal punto di vista morale che giuridico ». Omnino idem, immo iisdem fere verbis, dicunt tres medici, qui fuerunt a curatione viri conventi, in prima instantia excussi, et peritus in hac instantia constitutus, necnon duo periti a Tribunali secundae instantiae electi.

Frustra huic opinioni obiceretur, ex philosophia scholastica ad actum humanum non requiri nisi usum rationis et determinationem voluntatis, ideoque tertium elementum ab hodierna psychologia statutum seu specialem functionem appretiationis et aestimationis esse exclusam neque ullam mereri considerationem. Peritis enim videri posset iudices ne intellexisse quidem ipsorum vota principiis scientificis innixa. Ideo modernae psychologiae doctrina valoris seriori examini subicienda est, et deinde examinari debet, quid de applicatione huius doctrinae ad casum concretum tenendum sit.

III

6. Ante omnia dicendum est *doctrinam valoris*, prout proponitur ab hodiernis psychologis, Auctoribus catholicis minime exclusis, quoad rem non fuisse ignotam antiquae philosophiae scholasticae. Id statim apparet, si accurate perpendantur quae Auctores scholastici tradunt de apprehensione et appetitione *boni*, sive ordinis rationalis sive ordinis mere sensitivi. Revera homo « bonum » per

intellectum non solum *intellectualiter* « ut bonum » *apprehendit*, sed simul, et quidem numerice eodem actu, etiam appretiat seu aestimat et ponderat, cum intellectus proponat voluntati *quid valeat* illud bonum, tum in abstracto seu in hoc vel illo ordine, tum potissimum in concreto pro ipso homine, qui circa hoc obiectum aliquem actum deliberatum ponere intendit. Haec *appretiatio* non est mera *repraesentatio* intellectualis seu conceptus valoris; nam sicut *idea ponderis* alicuius rei materialis (v. g. pondus duarum librarum) non est idem ac *ponderatio* eiusdem rei (quae efficitur rem manibus prehendendo), ita ad conceptum seu praesentationem valoris accedat oportet eiusdem appretiatio. *Valor rei*, prout supra monitum iam est, identificatur cum ipsa re, in quantum res est quoddam *bonum appetibile*, sive in se sive pro subiecto agente, atque *perceptio* valoris est perceptio huius bonitatis, sive mere *repraesentativa* sive simul *aestimativa. Res* vero intelligitur obiectum, sive materiale sive immateriale, circa quod versatur appetitio voluntatis. Porro in *valore rei* distingui debent *substantia valoris*, quae identificatur cum substantiali obiecti bonitate et appetibilitate, et *gradus accidentales*, qui addunt quantitativas tantummodo differentias, secundum plus et minus. Pariter *actus subiectivus appretiationis* est aut *substantialiter integer*, cui nihil deest, aut *substantialiter non-integer* seu cui deest aliquod elementum substantiale. Insuper, salva substantiali integritate, una appretiatio ab altera differre potest *gradu*, seu esse perfectior vel minus perfecta. Tandem perceptio et appretiatio valoris potest esse *directa* vel *reflexa*, prout homo aut tantummodo *ipsum valorem* percipit aut simul *rationes et fundamentum* valoris ac appretiationis intelligit. Appretiatio, quam omnis homo sanus in omni iudicio practico natura duce spontanee peragit, est appretiatio directa.

IV

7. Quibus praemissis, haec statui possunt. In non paucis iudiciis revera duplex functio cognoscitiva distingui potest et debet: altera mere repraesentativa seu *conceptualis*, altera ponderativa seu *aestimativa*; quae duplex functio maxime attenditur in iudiciis quae versantur circa « agibilia », seu in iudiciis practicis. Cognitio mere conceptualis effert *quid sit* obiectum cognitionis, cognitio aestimativa, quanti momenti vel valoris illud sit, seu *quid valeat*. Generatim homo utrumque momentum simul attingit eodem actu cognitionis; maxime adultus in iis, quae intra cotidianam et ordinariam experientiam continentur. At neque re neque conceptu duae hae cognitiones idem efferunt, sed efferunt eiusdem obiecti *respectus diversos*. Experientia teste, prius et multo facilius efformatur iudicium mere conceptuale; posterius et difficilius acquiritur cognitio aestimativa. Insuper notandum est *usum rationis*, qui ad omnem actum humanum requiritur, spectare tum cognitionem conceptualem, tum cognitionem aestimativam, atque exigere capacitatem tum *exercitii* rationis, tum *dominii* rationis, seu capacitatem hominis disponendi de seipso et de sua actione secundum duplicem illam obiecti cognitionem. Notetur adhuc aliud esse *appretiationem* valoris et aliud *experientiam* valoris; illa quoad substantiam et quoad gradus accidentales plene adesse potest, quamvis altera plane deficiat. Quare sequitur, secundum psychologiam modernam numquam valorem alicuius actus impugnari posse ob deficientem valoris experientiam, licet impugnari valeat ob defectum requisitae appretiationis.

8. Porro aliud est, aliquem hominem *carere* requisita cognitione aestimativa, aliud, ipsum eam *neglegere*. Puer quinque annorum, qui faenile sui patris incendit, etsi habeat cognitionem conceptualem tum faenilis tum incendii, *non habet* cognitionem aestimativam *criminis* seu laesionis ordinis recti *obiective gravissimae*, quam patrat; proin-

de haec ei neque potest imputari. Habet tamen cognitionem et conceptualem et aestimativam sui actus uti *illiciti alicuius facti puerilis*, ideoque tali ratione sua actio ei imputatur ac poena est digna. Adultus vero, qui eundem actum externum ponit, communiter habet non solum cognitionem conceptualem, sed etiam cognitionem aestimativam *criminis* quod patrat, at eam negligit; nam, ea non obstante, ad crimen peragendum procedit, ideoque plene de eo respondere debet. Haec autem essentialis differentia inter puerum et adultum, quoad proprii actus imputabilitatem, multo magis quam in iure poenali valet in iure civili, et potissimum in iure contractuum. Puer quinque annorum, qui mille libellis ludos et oblectamenta puerilia emit, etsi forte *conceptualiter* bene scit quid sint mille libellae, ludi et oblectamenta, quid emere et vendere, tamen quia caret requisita mentali evolutione et maturitate, nondum, ne quoad substantiam quidem, *aestimare et ponderare* valet, quid sit mille libellis oblectamenta ludosque emere. Ideo, etiam spectato solo iure naturae, dici debet *invalide contrahere*.

Si quando homo, qui ob suam aetatem praesumendus est praeditus facultate rem sufficienter aestimandi, nihilominus dicitur egisse absque sufficienti cognitione aestimativa, id provenire potest aut ex eo quod *noluerit*, aut quod *non potuerit* rem agendam sufficienter aestimare seu ponderare. Qui *non vult* hanc cognitionem sibi comparare, generatim neque subiectivam imputabilitatem neque obiectivam vim obligativam actus effugit, cum ignorantiam affectet neque vix unquam discerni queat num vere defecerit cognitio aestimativa sufficiens, etiam confusa vel implicita. Qui vero *non potest* aestimare saltem substantiam rei agendae, is impeditur in naturali sua appretiandi facultate aut ex impedimento tantummodo actuali et transitorio (ebrietate, delirio, febri vehementi, etc.), aut ex defectu habituali (sive congenito sive in decursu vitae acquisito); huiusmodi defectus habitualis habetur in non

paucis morbis mentalibus et anomaliis psychicis, quibus recenti tempore adnumeratur immoralitas, ut aiunt, constitutionalis.

V

9. Si haec omnia prae oculis habeantur, intelligitur sensus votorum a peritis, in causa praesenti ascitis, datorum. Periti nempe, adhibentes modum cogitandi et terminologiam modernae psychologiae, exigunt, praeter intellectionem conceptualem et consequentem actum voluntatis, « tertium elementum » ad consensum matrimonialem valide eliciendum; insuper asserendo virum conventum, ob suam « immoralitatem constitutionalem » seu ob deficiens « elementum ethicum », non potuisse cognoscere *valorem* et *momentum* matrimonii ideoque non elicuisse consensum validum, exprimere volunt virum *non potuisse* habere necessariam *appretiationem* seu cognitionem aestimativam consensus eliciti. Reapse vero non agitur de novo quodam et *tertio* elemento, tam ab intellectu quam a voluntate distinctum, sed potius de accuratiore descriptione praeviae cognitionis, qua actus voluntatis sit et vocari possit humanus; etenim praeter cognitionem conceptualem, quam etiam puer quinque annorum habere potest vel sanus homo adultus in somno, necessariam esse affirmant cognitionem aestimativam, ut « volitum » etiam ratione *valoris*, inseparabiliter cum obiecto iuncti et necessario per voluntatem amplectendi, revera sit « praecognitum ».

10. Sicuti supra iam dictum est, haec doctrina, non obstante terminologia prorsus nova, quoad substantiam concordat cum principiis philosophiae scholasticae qua nos utimur. Praeterea recolendum est, iuxta doctrinam auctorum scholasticorum et iurisprudentiam ecclesiasticam nullatenus sufficere merum usum rationis ad valide ponendum consensum matrimonialem, seu ad praeviam cogni-

tionem naturae matrimonii descriptam in cit. can. 1082, sed insuper requiri *discretionem et maturitatem iudicii* quae contractui matrimoniali ineundo *proportionata* sit. Etenim, docente S. Thoma: « Maior discretio rationis requiritur ad providendum in futurum, quam ad consentiendum in actum praesentem; et ideo ante potest homo peccare mortaliter, quam sese possit obligare ad aliquid » (Dist. 27, q. 2, art. 2, ad II). Id quod, iuxta communem doctrinam Auctorum, a fortiori valet de contractu matrimoniali, qui homini grave et perpetuum onus imponit. Haec diligenter perpendenti ilico apparet in maturitate iudicii celebre illud « tertium elementum » a Modernis *novo nomine ditatum*. Quare iterum dicendum est doctrinam modernae psychologiae non esse rem plane novam, sed iam innotuisse philosophiae scholasticae ac doctrinae iuris canonici, ideoque generatim agi de iisdem principiis. Cavendum tantummodo est, ne nova terminologia confusionem pariat neque trahatur ad consequentias falsas vel perniciosas, in iudiciis de validitate alicuius matrimonii concreti omni studio evitandas.

11. In iudicanda enim validitate consensus matrimonialis certi cuiusdam hominis, qui ex una parte est et proclamatur praeditus intelligentia ac libero arbitrio, et ex altera parte in contrahendo neque ebrius erat neque amentia, sive habituali sive actuali, laborabat, statim praesumendum est eum *validum* elicuisse consensum matrimonialem, nisi contrarium *certo* fuerit probatum. Quapropter in tali casu cautissime consideranda sunt vota psychiatrorum, qui nihilominus declarant defuisse aliquod elementum essentiale validi consensus. Siquidem iam *theoretice* est res ardua adaequate describere actiones facultatum spiritualium hominis, quae per plus quam duo millia annorum, ab Aristotele usque ad hodiernam diem, occupavit et etiam nunc occupat mentem virorum maxime acutorum et perspicacium, speculationi metaphysicae et investigationi veri deditorum. Neque minus difficile est in casu

practico alicui homini, sufficienti intelligentia communi ac libero arbitrio praedito, abiudicare facultatem ponendi actum vere humanum, saltem quoad obiectum determinatum de quo agitur, v. g. matrimonium. Id eo magis tenendum est, quia cognitio conceptualis et cognitio aestimativa regulariter *per numerice eundem actum* natura duce peraguntur, et quia praesumendum est determinatum quendam hominem adultum, qui gaudet generali intelligentia et libero arbitrio atque cognitione de natura matrimonii, descripta in cit. can. 1082, naturam necnon cum ea coniunctum valorem reapse cognoscere posse per actum mentalem, qui requiritur et sufficit, ut deinceps voluntas actu humano eliciat consensum validum. Sufficit nempe cognitio aestimativa *de substantia* ac *substantiali valore* matrimonii, non requiritur ponderatio exacta omnium iurium et obligationum cum matrimonio connexarum. Porro sufficit cognitio *directa,* non requiritur cognitio reflexa per novum actum intellectus.

12. Restat proinde ut videamus an haec praesumptio superetur illa immoralitate, quam vocant « constitutionalem ». Imprimis quaedam praemittenda sunt de via et modo, quibus ad conceptum immoralitatis constitutionalis perventum sit. Treccani (*Enciclopedia Italiana*, v. Immoralità costituzionale) rem breviter sic exponit: « Sul principio dello scorso secolo, si discusse a lungo se era possibile un difetto etico senza disordine o deficienza dell'intelletto. Ma sotto i titoli di *folie raisonnante, manie sans délire, folie morale,* Ph. Pinel, I. E. D. Esquirol, L. Marcel, I. Falret unirono assieme casi disparati di psicopatie diverse. Con Ch. Prichard s'afferma nettamente una *moral insanity* di natura costituzionale ed ereditaria; e questo concetto fu validamente sostenuto anche da B. A. Morel e da H. Maudsley. A questa dottrina si ricollegano anche le vedute di C. Lombroso nella loro forma iniziale, dal 1872 al 1885: il *delinquente nato,* nuova incarnazione della pazzia morale, rappresentava una reversione atavica e portava

scritto questo regresso nei suoi connotati somatici e psichici; soltanto più tardi Lombroso delineò la figura del delinquente nato piuttosto in un senso patologico, considerando la delinquenza congenita come una varietà d'epilessia. A questo modo il criminale nato si riaccostava ai cerebropatici dall'infanzia; e in questo senso si spinsero maggiormente gli alienisti tedeschi, i quali considerarono i pazzi morali come véri *Schwachsinnige*, tanto che R. Krafft-Ebing finì col mettere una *moralische Idiotie* a fianco dell'idiozia e del cretinismo. Questo indirizzo (recte animadvertitur) va abbandonato » (vol. XVIII, pag. 889 s.). Plura apud Tanzi-Lugaro, *Trattato delle malattie mentali*, ed. 3, vol. II, pag. 733 ss., qui v. g. scribit: « La pazzia morale andò spesso confusa con la monomania, con l'imbecillità, persino con la mania, con la melancolia e con le ossessioni; cambiò spesso di nomi e di connotati; fu radiata dalla psichiatria per risorgere dopo qualche anno; fu messa ai voti in un Congresso d'alienisti italiani e passò a debole maggioranza come l'Ente supremo alla Convenzione di Francia; scomparve dai resoconti della psichiatria tedesca verso il 1883 e riapparve col nome di *Gemütswahnsinn*, ben presto abbandonato in favore del nome antico » (pag. 773). Iam ex hac incertitudine et varietate Auctorum modernorum apparet, quam caute utendum sit tali doctrina in iudicanda nullitate alicuius matrimonii, quod contractum esse dicitur ab homine laborante aliquo defectu, de cuius non solum nomine appropriato, sed etiam essentia Auctores in diversas, imo in contrarias abeunt sententias. Simul autem apparet, quibus ambagibus perventum sit ad illam « immoralitatem constitutionalem », uti Tanzi vocat amentiam moralem, saeculo elapso primum inventam. « *L'immoralità costituzionale* - scribit Cevidalli (*Compendio di Medicina Legale*, ed. 2, pag. 524) - è la felice denominazione italiana, con la quale il Tanzi chiama ciò che si indica, secondo la nomenclatura inglese, come *pazzia morale* ».

13. Tanzi putat hoc novo nomine facilius evitari posse

erratas sententias Tribunalium. « All'attuale incertezza di criteri giuridici - scribit ad rem - che spinge anche i giudici a far prosciogliere per infermità di mente gl'immorali anomali, contribuisce in gran parte la suggestione di nomi equivoci, come quelli d'*imbecillità morale* e di *pazzia morale*, che s'applicano male a individui ben poco imbecilli, tutt'altro che pazzi e nient'affatto morali. Anche per questo, cioè per non aumentare la confusione dei Tribunali, è opportuno di adottare le espressioni: *immoralità costituzionale, immorali di nascita,* che comprendono la criminalità in azione dei *delinquenti nati* e la criminalità in potenza degli *immorali* obbedienti alla legge per puro ritegno di prudenza. Se gli alienisti saranno fermi e concordi nel dichiarare che l'immoralità congenita è un'anomalia, non una malattia, anche il legislatore e i magistrati saranno più precisi e concordi nell'assegnare agl'immorali di nascita un trattamento che rassicuri la società, ma con giustizia e oculatezza » (l. c., vol. II, pag. 754 s.). Auctor igitur adhibet quidem nomen novum, sed simul revertitur ad doctrinam obsoletam *delinquentis nati,* quae prorsus repugnat libero arbitrio hominis.

Ceterum qui « immoralitatem constitutionalem » invenit aut saltem denominavit, fatetur nullatenus agi de scientia certa, sed de re multum disputata: « L'immoralità costituzionale è il soggetto d'un *capitolo crepuscolare* e *molto discusso* nell'oscura patologia del carattere... E' un fatto che la natura patologica d'un carattere in genere o d'un carattere malvagio in particolare è *indimostrabile,* anzi perfino *insospettabile* finchè una serie d'azioni singolari o di *misfatti mostruosi* non venga a rivelarla » (Tanzi-Lugaro, l. c., vol. II, pag. 724). Unde desumenda est nova ratio, ob quam in diiudicanda nullitate alicuius matrimonii, ex capite eiusmodi defectus, omnino cauti simus necesse est.

14. Notetur insuper quod immoralitas constitutionalis, quam modo contemplamur et quam periti, utpote usi cl.

Tanzi magistro, secuti sunt in votis exarandis, intelligi debet *sensu psychologico* tamquam incapacitas *psychologice* recte ponderandi valorem ethicum et secundum hanc rectam aestimationem dirigendi proprium agendi modum. Non igitur sensu theologico accipienda est tamquam incapacitas *conceptualiter cognoscendi* inhonestatem et illiceitatem alicuius actus et ita contrahendi culpam. Uterque sensus intime quidem nectitur, quia recte quaeri potest, num is culpam theologicam contrahere valeat, qui valorem ethicum aestimare nequeat. At psychologi et psychiatri, qui se continent intra proprium campum, hunc respectum immoralitatis constitutionalis neque notare neque examinare solent. « Il criterio diagnostico più essenziale - animadvertit Tanzi-Lugaro, l. c., vol. I, pag. 377 - anzi il solo che ci permetta veramente d'affermare un'anomalia dei sentimenti etici, è prettamente psicologico. E' la psicologia che s'applica all'accertamento delle manifestazioni immorali e criminali ». Iure merito quidem Taparelli (*Saggio teoretico di Diritto naturale*, vol. I, diss. I, cap. IV, n. 78), a Substituto Defensoris Vinculi in suis Animadversionibus citatus, insurgit contra illos philosophos, qui invenerunt speciale organum sensus moralis, scribens: « Se le nozioni morali inchiudono idee astratte, se le idee astratte formano la prova più evidente della spiritualità dell'anima, se la spiritualità consiste nell'operare indipendentemente dalla materia: egli è chiaro che tanto ripugnano fra di loro i termini *organo-morale* quanto i termini *materia-pensante* ». Sed idem Auctor iam versatur extra doctrinam, quam heic tractamus, si prosequitur: « La moralità di un'azione altro non è che la sua direzione all'ultimo fine; or questa direzione è una relazione, ed ogni relazione è una verità; dunque conoscere la moralità delle azioni egli è conoscere una verità. Perciò, l'intelletto, facoltà di conoscere il *vero* in generale, deve tendere necessariamente anche al *vero morale* » (l. c. n. 80).

15. Nullatenus autem sustineri potest immoralitatem

constitutionalem, cuius patrocinium susceperunt Tanzi multique psychiatri ab eo profecti, non esse aliud nisi speciem morbi mentalis. Quod ipse Tanzi evertit, scribens: « Finchè non possa realizzarsi quest'ideale ben difficilmente raggiungibile (scl. domus idoneae et accommodatae), è meglio non commettere lo sbaglio d'inviare fra i pazzi, dichiarandoli impunibili, i rei per deficenza costituzionale di sentimenti etici, per imbecillità morale, per pazzia morale, ai quali i periti zelanti hanno reso un bel discutibile servizio facendoli prosciogliere per infermità di mente. Giacchè non possono essere internati in istituti adatti, è meglio che questi anfibi lucidi, ma moralmente imperfetti, vadano in *carcere*, al quale sono certo *assai più adatti che non al manicomio* » (l. c., vol. II, pag. 754). Siquidem illi homines considerandi sunt ut tales quibus crimina imputari debeant. Quo iure tunc eis abiudicatur facultas ponendi actum vere humanum, v.g. validum consensum matrimonialem? Nobis respondetur tales homines non posse sufficienter aestimare valorem et momentum matrimonii omniumque obligationum cum eo connexarum. Sed quomodo scire possumus, talem defectum esse adeo gravem, ut aestimare nequeat *substantialem* valorem matrimonii, si ipse Tanzi fatetur difficulter statui posse fines certos inter normam et anomaliam, hisce verbis: « In tutti i modi non bisogna dimenticare che questo genere d'anomalia si ricollega (come qualunque altro tipo d'anomalia psichica o somatica) per *gradazioni infinite* alla normalità; e che non non è scientificamente corretto voler introdurre a tutti i costi una distinzione netta là dove obiettivamente c'è *un passaggio graduale ed insensibile* » (l. c., vol. I, pag. 377).

Ex omnibus rationibus adductis apparet quam caute perpendere oporteat peritias asseclarum doctrinae expositae, iuxta quam certus quidam homo, qui se maculavit repetitis delictis iisque gravibus, incapax declaratur ad validum consensum matrimonialem eliciendum.

In facto (omissis).

De obligatione vitandi probabile periculum peccandi

Vetus quidem et pervulgata quaestio est utrum liceat se probabili tantum peccandi periculo obicere necne.

Cum recensionis causa alteram editionem casuum conscientiae a R. P. Ter Haar C. SS. R. publici iuris factam [1] in manus sumpserim, non potui quin mirarer quam vehementer quamque sine intermissione l. auctor totus incumbat ut lectorem ad partem negantem (sic dictam strictiorem) inducat.

Quare veritatis studio motus, allata in libro argumenta examinanda suscepi eaque mihi haud efficere quod intendunt visa sunt. Quae sequuntur opinionem meam, ut spero, comprobabunt.

Praemittenda.

Periculum definitur [2]: « aliquid homini sive externum sive internum quod ipsum ad peccatum futurum movet »: idque duplex distingui potest; aliud « *certum*, cum nempe periculi coniunctio cum peccato futuro moraliter est certa vel quasi certa, *probabile* aliud, cum haec coniunctio est graviter probabilis, sed ita tamen ut futuri peccati vitatio solide etiam probabilis habeatur ».

Probabile periculum (grave etiam aut prudens vocatum), in duo genera distribuitur: in probabile *a posteriori* « quando illa coniunctio periculi cum peccato ex eo constat quod quis in illo frequenter cecidit », et in probabile *a priori* quod datur « cum prudenter timetur lapsus ipsius

---

[1] Franciscus Ter Haar C. SS. R., *Casus Conscientiae*, Vol. I, editio altera, Marietti, 1939.

[2] Definitiones et divisiones, quae in « Praemittenda » inveniuntur, desumptae sunt ad litteram ex opere citato (*Cas. Consc.* P. Ter Haar, 2).

(hominis qui illi se exposuit), ita tamen ut etiam peccati vitatio prudenter expectetur ».

Ex his intelligi potest quo modo rigidioris sententiae fautores [3], huic periculi probabilis notioni *occasionem* aptantes, proximam peccati occasionem eam dicant, quae externum vereque probabile periculum continet quae, ut aiunt, « aliquem ad probabilem futurum lapsum inducat aut sollicitet ». Exinde eam dari constat, vel ex sola praeteritorum lapsuum experientia, (occasio proxima *a posteriori*), vel ex sola intrinseca hominis fragilitate, (proxima *a priori*), quando scilicet ubi ea adest, non quidem homines communiter, sed aliquis in particulari propter eius pravam inclinationem, aut propter subiectivam dispositionem et vehementem ex ea ortam tentationem, in gravi et probabili delinquendi periculo versatur.

Status quaestionis.

Antequam ad probationes excutiendas progrediar operae pretium erit de quo agatur brevi praecidere. Non est huius dissertationis pervestigare an cuivis liceat periculum seu occasionem adire quacum, — spectatis omnibus actionis adiunctis tum ex parte subiecti tum ex parte obiecti — futurum peccatum plane coniungitur illa late morali certitudine, quae in humanis sufficere debet ad obligationem fundandam. Sed inquiritur, num homo graviter peccet se periculo gravis peccati obiciens, cum illam moralem certitudinem de futuro peccato nullo modo habet; immo, cum perpensis omnibus actionis, tum ex parte subiecti, tum ex parte obiecti, circumstantiis, ipsi est solida et positiva probabilitas a se peccatum grave non patratum iri, etiamsi et ei maneat vera et positiva probabilitas oppositi.

---

[3] *Sententiam rigidiorem* voco illam, quae cum P. Ter Haar tenet: « exponere se sine causa proportionata periculo hic et nunc vere solideque probabili peccandi mortaliter, est peccatum grave ».

Nec quaero an in casu modo dicto aliunde, alia de causa, gravis obligatio illius periculi vitandi oriri non possit; sed an gravis haec obligatio ex ipso et solo probabili periculo exoriatur.

His positis, contendo tandem non constare de gravi peccato in eo qui vera, positiva, et solida probabilitate non labendi innixus, probabili tantum peccandi periculo se exponit.

Argumentorum investigatio [4]

I

Prima rigidioris sententiae probatio, e reverentia erga Supremum Legislatorem debita petitur: « Qui sine ratione se committit periculo in quo se probabiliter lapsurum praevidet, Supremo Legislatori, non levem, sed gravem irreverentiam infert, ipsoque facto eum contemnit; quia etsi non verbis, facto tamen indifferentem se ostendit, utrum Ipse, occasione suae actionis, graviter offendatur necne » [5].

Haec ratio, ut iacet, principium clare petit. Etenim quod ostendi debet est sitne re vera indifferens, utrum Deus occasione suae actionis graviter offendatur necne, qui v. g. in ea constitutus numquam antea peccavit, quique hic et nunc prudenter iudicat se in ea non peccaturum, quamvis etiam prudenter existimat se in ea lapsurum, et antequam periculosam actionem ponat, nonnulla remedia adhibet ne illi succumbat.

At primum argumentum ita corroboratur: « Apposite Viva: « Eodem modo adversus reverentiam regi debitam delinquit, qui regem laedit, et qui citra necessitatem ex-

---

[4] Argumenta investiganda desumimus ex P. Ter Haar, op. cit., sed nemo non scit eadem argumenta esse illa traditionalia quae a rigidioribus afferuntur iam a Viva. Unde illa, potius quam P. Ter Haar, argumenta rigidioris sententiae dici possunt.

[5] Op. cit. n. 4 a.

ponit se periculo illum laedendi » (In prop. I. Innoc. XI, n. 16). Unde generatim S. Thomas: « Quicumque non cavet pericula, videtur *contemnere* id cuius detrimentum pericula inducere possunt ». (Quodlib. III. a. 9 ad 3) »[6].

Quid « extra necessitatem » significat? An extra gravem necessitatem? Praesertim vero de quo periculo agitur? De gravi an de levi? Nam consensu omnium, idem est (saltem quoad internum actum) « regem laedere », ac « citra *gravem* necessitatem exponere se periculo *gravi* illum laedendi ». Tunc enim agnoscitur vigere principium: Idem est peccare ac peccandi periculo se obicere. An vero qui *probabili* peccandi periculo, (etiam sine gravi de causa), se obicit, *grave* periculum adit? Hoc praesumit Viva, minime probat. Immo, ut spero, ostendam postea aliud esse exponere se *probabili* periculo gravis peccati, et aliud exponere se *gravi* periculo lethalis peccati; vel si mavis, multum interesse inter periculum probabile et grave periculum.

Ad verba Angelici quod attinet, nimis incerta sunt ut argumentum tueantur. In primis « videri contemnere » non est simpliciter contemnere. Aliunde si in praefatis verbis, ut sunt, consistimus, statim apparet S. Thomam haud explicite dicere « quicumque non cavet *probabilia* pericula videtur contemnere... ». Ubi igitur rigidiores legere videntur probabilia pericula, alii, nisi absurdum ostendatur, gravia pericula legent.

II

« Ut quis certus sit se in probabili peccandi periculo vel in gravi tentatione peccatum formale vitaturum (ad quod vitandum stricta obligatione tenetur), expectare debet Dei gratiae auxilium quo adiuvetur. Homo enim lapsus sine gratiae auxilio, suis viribus relictus, graves illas ten-

---

[6] *Ibid.*

tationes non certo, sed probabiliter tantum superare potest. Est haec veritas theologice certa. Atqui expectare a Deo auxilium in gravi periculo, cui homo libere se obicit et a quo ipsemet se liberare potest, illud scilicet non adeundo vel illud relinquendo, est gravis praesumptio et temeritas, immo ut S. Thomas ait, tentatio Dei « interpretativa », quia « absque utilitate et necessitate » hoc auxilium expectat. « In hoc Dei tentatio consistit, quando praetermittit homo facere quod potest ad pericula evadenda, respiciens solum ad divinum auxilium » (II-II, q. 97, a. 1) [7].

Huius argumenti radix et quasi fundamentum est: Homo stricta obligatione in probabili peccandi periculo vel in gravi tentatione, peccatum formale vitare tenetur. Convenit; ita prorsus. At pergit: « ut quis certus sit se, in probabili peccandi periculo vel in gravi tentatione, peccatum formale vitaturum expectare debet Dei gratiae auxilium quo adiuvetur ». Quorsum haec? Discrepare enim videntur inter se; formale peccatum in probabili periculo *vitari* debere, et debere *certo sciri* in probabili periculo formale peccatum *vitatum* iri.

Primum significat: in periculo probabili adeundo agens debet *licite agere*. Alterum vero: in probabili peccandi periculo agens certo debet scire se *non peccaturum esse*. Verum est nos, et in periculo probabili et quandocumque et quomodocumque et licite agere et, si vis, practice certos de liceitate actionis ponendae (id est de liceitate probabilis periculi adeundi), esse debere. At unde constat nos ad adeundum probabile peccandi periculum, praeter certitudinem modo dictam de liceitate actionis ponendae, etiam illam aliam certitudinem habere debere, sc. nos in illa actione nequaquam esse peccaturos? Ea, forte, de causa quod qui agit non certus se non esse in actione peccaturum, cum talem actionem adit, periculo probabili peccandi se exponit?

---

[7] Op. cit. n. 4 b.

Tunc ex his consequitur eum, qui in periculum probabile peccandi se infert, ideo peccare, quia periculo peccandi se obicit, quod est praecise demonstrandum.

Instari adhuc potest. Quis hac certitudine, (se in actione non peccaturum) umquam gavisus est? Dixeris: quicumque actum a gravi periculo alienum agit, is, etsi fortasse non subiective, (imprudenter enim vel etiam levi de causa dubitare potest) obiective tamen, illa certitudine potiri dicendus est. Sit ita: sed quaero: si levis probabilitas, seu levis - etsi fundatus - timor futuri in actione peccati non sufficit ut quis dicatur obiectiva certitudine non peccandi carere, atque ideo se periculo peccandi exponere censeatur; cur fundata lapsus probabilitas, satis est ad illam obiectivam certitudinem destruendam? Cur is, qui cum hac futuri peccati probabilitate agit, se in peccatum inferre putatur? Brevi, assertum: agens stricta obligatione tenetur certus esse, se in peccandi periculo vel in gravi tentatione peccatum formale vitaturum, hoc, inquam, assertum non solum est perturbatum, sed et *supposito* non confirmato fulcitur.

Age vero; in antecedenti quod commentamur additur: « ut quis certus sit se in probabili peccandi periculo formale peccatum vitaturum, expectare debet Dei gratiae auxilium quo adiuvetur », quod, ni fallor, aequivalet huic alteri propositioni: ut ille, qui se in periculum probabile committit certus sit se in illo non peccaturum, ei gratiae divinae confidere opus est. Atqui, dicitur in argumento, « expectare a Deo auxilium (gratiae divinae confidere) in gravi periculo, cui homo se obicit libere et a quo ipsemet se liberare potest illud non adeundo, est gravis temeritas, (vel quod idem sonat, non licet). Ergo, qui se probabili peccandi periculo libere obicit, a quo ipsemet se liberare posset illud non adeundo, nequit certus esse se in eo non peccaturum.

Maior argumenti ita corroboratur: « Homo lapsus sine gratiae auxilio suis viribus relictus, graves illas tentationes

(scilicet quae in periculo probabili occurrent) non certo, sed probabiliter tantum superare potest. Est haec veritas theologice certa ».

Rationem examinemus: Thesis, quam recentiores theologi communiter tenent — cum tamen inter se de censura eidem imponenda dissentiant — est: omni homini diu habenti usum rationis occurrunt tentationes tam graves ut sine auxilio gratiae eas honeste superare non possit [8]. Quid tamen sit gravis tentatio, quodnam gratiae auxilium requiratur, non satis illis constat. Ex fontibus revelationis theologi id certo tueri posse *videntur*, sc.: homo diu vivens in tam insidiosas ac vehementes ad peccatum tentationes incurret, quas ut confligat et frangat gratiae auxilio ita indigebit ut naturalis honestatis motivum ad id non sufficiat.

Neque igitur theologice certum est hominem auxilio gratiae egere ut probabile periculum superet, neque theologice certum periculum probabile, *ut* et *quia* probabile, esse grave.

Quare hac probatione reiecta, maior adhuc demonstranda manet. Praeterea omne periculum grave est probabile; sed non omne probabile periculum est grave, nisi forsitan quatenus ad peccatum grave inducere possit. Grave periculum (de quo theologi ubi de necessitate divinae gratiae disputant), illud dicitur quod magna vi ad peccatum sollicitat aut impellit, quod agentem ita ad peccatum movet ut sat difficile victu fiat. Probabile vero periculum, *qua probabile*, iam tunc habetur, cum prudenter agentis lapsus timetur; in dubio positivo quo utrumque, tum lapsus tum peccati vitatio, prudenter quasi aeque probabile praevideri liceat; ubi agens se probabiliter lapsurum praevideat; cum obiectum detur, quod hic et nunc in periculum probabiliter saltem peccandi inducit. Atqui de se peccatum probabile aliter sonat ac peccatum superatu difficile, atque

[8] Vide Pesch, *Praelectiones Dogmaticae, De Gratia Actuali* Prop. XIII.

teste experientia, peccatum uti probabile extare potest, ubi agenti omnino sufficientes vires - auxilio gratiae omisso - insint, ut honeste illud superare possit. Consideranti haec, minor ut nullo modo probata apparebit.

Adducitur nihilo minus aliqua argumenti confirmatio: « Brevi ita Lehmkuhl »: « Theologia docet hominem moraliter non posse suis viribus gravem tentationem vincere, sed indigere ad id auxilio divinae gratiae, quam in eiusmodi circumstantiis sperare temerarium est » (Casus conscientiae, II, 596). « Neque petitio auxilii Dei tunc quidquam valet; quin etiam, ut scite advertit Wouters, (Man. Th. Mor. II 459), « eiusmodi petitio ne honesta quidem est » adeoque illicita, quia invocatur Deus ut adiutor peccati temeritatis. Profecto ut scripsimus in Opere (n. 39), absonum est dicere Deum cum sua gratia actuali, qua peccatum vitetur, praesto esse etiam ei, qui sine causa se periculo solide probabili Ipsum offendendi exponit, illudque relinquere potest, sed non vult. Unde, si talem gratiam nihilominus peteret, saltem « interpretative » Deum tentaret, ut ait S. Thomas: immo ille quasi irridens Deo diceret: « Et ne nos inducas in tentationem », quadoquidem ipsemet sine ratione adeoque imprudenter se inducit in tentationem seu in periculum Deum graviter offendendi » [9].

Ex his erui posset Pm. Lehmkuhl strictiori opinioni favere, vel saltem tenere quod argumentum intendit, sc. tentationem periculi probabilis non posse ab homine vinci absque divino auxilio, quod aliunde temere sperat, qui sine causa in illud libere se coniecit.

Res vero aliter se habet. Verba illa adducit Lehmkuhl ad tutandam obligationem, qua *occasionem proximam* et *liberam* fugere tenemur. Ita constat ex his quae habet ipse initio paragraphi, e quo illa verba desumuntur et quae non sunt nisi quasi iteratio illorum quae habet in Th. Mor. II n. 618: « Neque in *libera occasione proxima* id admitti

---

[9] Ter Haar, *Cas. Consc.* n. 4 b.

potest ut poenitens mediis adhibitis eam remotam reddere conetur. Temeritas enim summa est divino auxilio fidere in illis circumstantiis in quibus divina lex fugam praecipiat. Eccli. 3, 27: « Qui amat periculum, in illo peribit ».

Aliunde occasionem proximam definit « ea quae dicitur, si periculum labendi est grave, seu sollicitatio ad peccatum solet esse vehemens », « si periculum labendi est grave et instans »; quae definitio ab ea quam adhibent qui periculum probabile, *ut probabile*, proximam occasionem dicunt, multum distat [10].

Quae in confirmatione sequuntur comprobanda sumunt, nempe: hominem, nisi gratiae auxilio fretum, periculum probabile non certo superare posse eumque, ut recte agat, debere scire se posse divino auxilio fidenter inniti. Praeterea (his sepositis), qui sine gravi causa se probabili peccandi periculo obicit de gravi temeritate damnatur [11]. Rem inspiciamus: Periculum probabile, dum non actu aditur, ad peccatum nullo modo trahit; tum vero movere incipit, cum agens, certam illam actionem ponit a qua, ut ipse iure persentit, ad malum plus minusve intente alliciendus est. Quoniam autem periculum, ut dicitur, est probabile, agens rationabiliter meritoque praevidere posse videtur sibi in tali periculo haud vehementius ad peccatum incitamentum esse occursurum, quam quod ordinariis viribus nisus subicere poterit. Quod si re vera, cum in periculo versabitur, illud vehementius esse experitur quam quod credebat, paratus quidem est Deum rogare ut sibi ampliora auxilia ad plenam victoriam largiatur. Ubinam, quaeso, certo gravis temeritas? Nam etsi absque gravi, non tamen sine ulla causa (ut praemisimus) periculum adiit.

---

[10] Lehmkuhl, *Theologia Moralis* II, n. 617 et 618.

[11] De his dicitur in op. cit. n. 6 d « Neque iuvat propositum orandi, nam, ut ait S. Alphonsus cum *communi* Ecclesiae *sensu*, « Deus non adiuvat temere se periculo exponentes. Quin immo ipsa petitio iam peccatum est, utpote tentatio Dei ». Haec, nisi certo demonstrentur, non videntur sonum habere eorum, quae sunt communis sensus Matris Ecclesiae.

Ad arcanam divinae gratiae oeconomiam confugere non nimis convincens aut opportunum videtur. De mysterio huius doni docent theologi: Nemini licere ex peccato ad gratiae defectum vel absentiam arguere; ignorari quid homo respectu observantiae mandatorum sine gratia potest; non ideo quia in Dei auxilio licite speramus certum esse nos peccatum esse vitaturos; Deum illam suam gratiam abundanter, quando, et quomodo illi placet, minus indignis et indignis impertiri. Quid multa? Gravitas peccati ab eo commissi, qui periculum probabile sine gravi causa adit, ex gratiae doctrina difficillime evinci potest, et certe fautoribus sententiae rigidioris illam probare non evenit.

Tentatne, saltem interpretative, Deum qui periculo probabili sine causa gravi se exponit? Iuxta D. Angelicum tentatio Dei est: « quando homo praetermittit facere quod potest ad pericula evadenda, respiciens solum ad divinum auxilium ». Sed qui periculum probabile adit non omittit *omne* quod potest ad periculum evadendum neque solum - ordinariis enim propriis viribus etiam fidit, - ad divinum auxilium respicit. Tutius ageret si periculum defugeret; libenter do. At quia non omnia, vel non meliora quae posset praestat, iam ille Deum tentare dicendus est?

Tentatio Dei interpretativa est illa quae « contingit, quando quis, etiamsi hoc non intendat ut experimentum sumat de Deo, id tamen agit vel dicit quod *ad nihil aliud* videtur *ordinabile* nisi ad experimentum de Ipso sumendum [12]. Nisi igitur demonstretur S. Thomam « ad nihil aliud » ordinatum quam ad Dei experimentum illum actum iudicare, quo quis sine gravi causa probabile periculum adit, vel de facto talem actum non ad aliud quam ad hoc ordinatum communiter haberi, verba S. Thomae nihil pro thesi efficiunt.

---

[12] *Summa Theologica*, II-II q. 97 ad corpus.

III

« Deus statuit hunc ordinem, ut homo faciat quod possit ad finem debitum consequendum, in casu ad vitandum peccatum mortale. Quod si facit homo, tunc Deus adiuvat ad ulteriora, quae homo non potest et humiliter a Deo petit. Est haec iterum certa doctrina catholica, quam post S. Augustinum concilium Tridentinum his verbis exprimit: « Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quae non possis, et adiuvat ut possis » (sess. VI, 11). Atqui, qui sine causa proportionata se gravi et probabili peccandi periculo exponit, certe non facit quod potest, ut finem suum consequatur, a. v. ut peccatum vitet. Ergo, in re gravi perturbat ordinem a Deo statutum » [13].

Tertium argumentum facile refellitur. Nam rigidiorem inter et mitiorem sententiam non quidem disputatur utrum Deus statuerit ut homo quidquid posset ad *peccatum* vitandum praestaret; sed utrum Ipse constituerit ut homo *sub gravi* faceret *quodcumque* posset *ad probabile peccandi periculum vitandum*. Dixeris fortasse: Sed quicumque tenetur peccatum vitare et quidquid in peccatum ducere potest - sc. periculum peccandi - fugere debet. Insto: ergo et periculum leviter probabile adire graviter illicitum. Quod si iuste reicis, probes rogo te merito asserere probabile periculum, *quia probabile*, sub gravi esse, ubi causa gravis abest, declinandum. Periculum grave declinari debet sub gravi concedo; probabile, *qua probabile*, peto ut demonstres.

Reliqua huius probationis non parum obscura apparent. Dicitur, hominem debere « facere quod possit ad debitum finem consequendum ». Quaero: Obstringiturne ad statum perfectionis amplectendum qui ad religiosam vitam sit aptus?

---

[13] Ter Haar, op. cit. n. 4 c.

Quoad illud quod affertur tanquam doctrina catholica Tridentinae Synodi: notandum est verba illa non esse prolata ut doceant, Deum gratiae auxilium denegaturum illi, qui ea quae facere poterat non fecit; nedum ut nos monerent sub gravi praestanda esse omnia, quae in ordinem ad ultimum finem sunt in nostra potestate. Sed Concilium hoc patefacere intendit: « nemini licere temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita, voce uti: Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia » [14]. Ex dictis patet quo sensu minor huius argumenti distinguenda sit et refutanda.

IV

« Ille homo peccat contra caritatem erga seipsum, utens opinione probabili in periculo circa grave damnum animae suae, aliis verbis, in dubio facti, cuius vitatio non pendet ex dictamine conscientiae suae; S. Alphonsus hoc argumentum, quod « convincens » vocat, ita exponit: « Si est illicitum uti opinione probabili sine iusta causa cum periculo damni alieni spiritualis vel corporalis, uti certum est apud omnes, quanto magis id non licebit, ubi periculum imminet propriae animae? (V, 63). Videlicet in utroque casu, tum damni temporalis vel corporalis, tum damni animae propriae, est gravis temeritas sine iusta causa se exponere probabili et gravi periculo. Licet enim quis nunc firme proponat se non lapsurum et hoc probabile reputet, probabile tamen etiam habet se in hoc periculo constitutum, ob naturalem suam inconstantiam et proclivitatem in malum, voluntatem esse mutaturum et ita in peccatum, grave animae suae damnum, lapsurum (Opus, n. 41 sq.). Haec gravis temeritas in re tanti momenti, ut est peccatum mortale et mors animae propriae, facit ut graviter inhonesta sit non solum actio futura peccati probabiliter

[14] *Enchiridion Symbolorum* (DENZINGER-BANWART n. 804).

sequentis, sed etiam ipsa actio praesens se sine causa proportionata exponendi tali peccandi periculo » [15].

Multa etiam in hoc argumento determinare oportet. In primis, qui periculo probabili se committit, opinione probabili *in dubio facti* uti dicitur. Cur ita? Quia — aiunt — ipse cum incertus sit an illo periculo peccatum sequetur vel minus, hoc de quo dubitat est factum « nempe malum seu peccatum quod vitare tenetur et quod praevidet se, ob mutatam in illo periculo voluntatem, probabiliter commissurum ». Quid his respondendum? Concedo prorsus eum, qui periculo probabili se obicit, vere dubitare an periculo succumbet vel illud potius vincet: hinc eum de peccato futuro, *ut futuro*, — de dubio facti — dubitare. At dubitat simul an sit certum peccatum actionem ita periculosam vel hoc periculum ita dubium adire. Atqui hoc dubium iuris censetur. Quod ipse P. Ter Haar implicite aut virtualiter admittit; ait enim: « lex fugiendi hoc (probabile) periculum non est dubia, sed plane certa » [16]. Contrarium asserere vel in praxim propter auctoritatem aliquorum (auctorum)... » Virtualiter igitur concedit esse aliquos qui dubitant utrum lex periculi probabilis fugiendi certa sit necne. Quod ipse asserat hanc legem certo constare, nihil aliud ostendit quam quod, iuxta l. auctorem, nostra quaestio iuris — nempe utrum lex periculum fugiendi etiam sub gravi certo obliget, ubi de periculo probabili, *ut probabili*, agitur — indubiam solutionem habet. Praeterea: omnes rigidioris sententiae auctores fateri debent se gravem obligationem probabilis periculi vitandi imponere, quia putant *hoc* periculum vere et adaequate comprehendi in periculo quod lex certa, tum peccatum, tum peccati periculum vitandi, defugere iubet; dum e contra mitioris sententiae auctores illam obligationem recusant, eo quod iudicant probabile periculum, *ut tale*, non contineri in periculo quod lex pericula fugiendi, vitare

[15] Ter Haar, op. cit. n. 4 d.
[16] Ter Haar, op. cit. n. 6 e.

praescribit. ... « Utrum ergo probabile periculum sit vel non sit periculum a lege prohibitum est quaestio iterum facti ». At vero ad quaestionem iuris reducitur: Lex pericula vitandi prohibetne tum grave tum etiam probabile periculum adire? Brevi; dubium de quo agimus, etsi fundamentaliter et speculative facti, formaliter et in usu est iuris [17].

Ad rationem S. Alphonsi progredior: magna reverentia erga tantum auctorem atque Ecclesiae Doctorem respondeo: antecedens — nempe, « est illicitum uti opinione probabili » sine iusta causa cum periculo damni alieni spiritualis vel corporalis, — concedo: consequens — « quanto magis id non licebit, ubi periculum *imminet* propriae animae » — distinguo; si « *imminet* » in sensu vulgato et communi verbi intelligi licet, id est, si « *imminet* » idem sonat ac impendit, seu mali periculum est non tantum probabile, sed et vere grave, concedo; aliter nego.

Ad penitiorem distinctionis explicationem duo statim seiungenda: utrum S. Alphonsus rigidiorem sententiam tenuerit, et utrum S. Doctor illam sententiam argumento allato demonstret.

Ad primum quod attinet, si expressis verbis quae Sanctus scripsit consistimus, vix dubitare poterimus quin eius auctoritas stet pro rigidiore sententia. In libro V n. 63 Theologiae Moralis haec habet: « an peccet mortaliter qui se exponit periculo tantum probabili mortaliter peccandi.

---

[17] « Ratione obiecti probabilitas est iuris prout circa honestatem vel liceitatem actionis » (Marc Gestermam, *Institutiones Morales Alphonsianae*, Tom. I n. 61). « Dubium iuris versatur immediate et per se circa legem, vel legis obligationem, et consequenter circa actionis honestatem; quaerit enim, etsi theoretice et in genere, quid sit agendum; an liceat conferre sacramentum cum tali materia, inire contractum cum tali pacto » (Id., n. 42, 3°). Non igitur apparet monstruositas, quae in argumento III innuitur, sc. agentis, qui dubitans an occasioni vel periculo tantum probabili se exponere peccatum sit, disputationes theologorum de ea re cernens, legem de periculis vitandis in casu dubiam iudicans, sine gravi causa, actioni probabiliter non periculosae se obiciat.

Prima sententia negat cum Sporer... etc. Sed omnino tenendum oppositum cum Busenbaum... Ratio convincens... » dat argumentum nuper a me distinctum. In libro VI n. 453 eiusdem operis, dicit: « an absolvi possit qui se exponit probabili periculo peccandi. Affirmant Mendo... Sed hanc opinionem iam refutavimus... Ratio est, quia cum adsit probabilitas labendi, iam adest formale periculum lapsus. quod ut diximus omnino est fugiendum, quando occasio est voluntaria ».

Attamen, si vero horum verborum sensui standum est, tunc dubium censeo an Sanctus Alphonsus sententiam, a rigidioris sententiae auctoribus propositam, tueatur. Quid nomine periculi probabilis ille intelligit? Nullum est dubium quin apud S. Alphonsum occasio proxima et proximum periculum practice non aliter discrepant, nisi forte quatenus occasio proxima periculum proximum continet. Iam occasio proxima « per se » definitur illa in qua homines communiter ut plurimum peccant. Proxima autem *per accidens* est illa, quae licet per se respectu aliorum non sit proxima — eo quod non sit apta de sua natura communiter inducere homines ad peccatum — tamen respectu alicuius est proxima; vel quia hic in illa occasione, etsi non fere semper vel frequentius, frequenter tamen cecidit, vel quia spectata eius praeterita fragilitate, prudenter timetur ipsius lapsus » [18]. Et pergit « Periculum autem proximum aliud est formale, aliud materiale. Formale est illud quod est proxime coniunctum cum peccato; ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccabit seu in peccatum consentiet. Materiale vero est illud quod cum peccato non est proxime coniunctum, sed tantum remote, ratione necessitatis et mediorum quae homo adhibet ad peccatum vitandum » [19].

Patet inde occasionem proximam esse, iuxta S. Alphon-

---

[18] S. Alphonsus de Ligorio, *Theol. Mor.* (Aeditio Vatic.) Lib. VI n. 452.

[19] *Ibid.*

sum, quae periculum proximum habet. Iam periculum proximum periculum censetur quod frequenter homines similis conditionis in peccatum mortale inducit ».

Quaeritur nunc: cum dicitur « occasio proxima est illa... in qua « *prudenter* timetur » lapsus, et periculum proximum est illud « in quo homo *probabiliter* peccabit », adadverbium *prudenter* itane accipiendum est ut significet — ubi adsit verum ac solidum fundamentum opinionis, in casu timoris, probabilis futuri peccati? Rursus, illud « *probabiliter peccabit* » debetne intelligi ita: ubi aeque prudenter iudicare possum, eum, qui tale periculum adeat, re vera fore ut peccet et fore ut non peccet, aut etiam simpliciter, ubi prudenter timere possum fore ut ille graviter peccet?

Non ita videtur. Hoc eruitur primum ex exemplis occasionis proximae quae Sanctus apponit. « Ceterum, ait, est quidem in occasione proxima: 1° ille qui retinet in propria domo aliquam feminam cum qua *saepe* rem habuit; 2° qui *frequenter* in ludo prorupit in blasphemias aut fraudes; 3° qui in aliqua caupona aut domo *saepe* se inebriaverit aut ceciderit in rixas vel actus, verba aut cogitationes obscenas » [20].

Praeterea; ipse sibi hanc difficultatem solvendam proponit « Dices: poenitens, qui habet pro se opinionem probabilem, debet absolvi; quia cum sit dispositus habet ius ad absolutionem. Ergo si quis etc... Respondetur: 1° quod illicitum est, ut diximus supra, se voluntarie exponere probabili periculo peccandi. Unde peccat poenitens, qui vult absolutionem recipere antequam occasionem dimittat, cum se immittat in probabile periculum infringendi propositum

---

20 Adde; (in occasione proxima versari) iuvenes et puellae qui aliquo tempore se invisunt animo matrimonium contrahendi, *raro* enim reperit Sanctus iuvenes, qui in tali accessu non peccaverint saltem verbis aut cogitationibus, (S. Aphons., *Theol. Mor.* VI n. 452) et qui versantur in aliquo officio, negotio vel domo in qua *soliti* fuerunt peccare... (S. Alphonsus, *Theol. Mor., Praxis Conf.* n. 69).

et ideo tanquam indispositus nullum ius habet ad absolutionem ». In casu igitur, agens probabili periculo peccandi se exponit, quia probabili periculo infringendi propositum se obicit. Quo modo vero Sanctus hoc probabile periculum infringendi propositum explicat? « Certo moraliter peccat » dicit « qui est in occasione proxima voluntaria et eam non tollit. Cum autem onus tollendi occasionem sit maxime arduum et non impleatur nisi per magnam violentiam, hanc vim difficulter sibi infert qui iam est absolutus; de facili sibi suadebit quod tentationi resistet, quin occasionem auferat; et ita in ea manendo *certe quidem recidet.* Hinc diximus quod, propter praedictum (probabile) « periculum frangendi propositum . . . » [21].

Nemo non videt hic *probabile* longe distare ab illo, quod iudicium mere probabile fundat, atque ad iudicium moraliter certum accedere.

Demum; e poenitentibus in occasione proxima voluntaria versantibus quique eam ante confessionem non adhunc removerunt, illum absolvi permittit, qui, si absolutio ei differatur, non « potest ad confessarium redire, vel non nisi post longum tempus. Tunc enim, si ille iam fuerit confessus peccata sua, et confessarius *prudenter* iudicare valeat eum firmam voluntatem habere tollendi occasionem statim ac poterit, tunc potest et debet ipsum absolvere... Nec obstat dicere quod ipse tunc remaneret in eodem periculo, ut mox dictum est, infringendi propositum. Nam respondetur quod hoc casu tale periculum de proximo fit *remotum* . . .

In casu nostro periculum illud infringendi propositum fit remotum ratione magni oneris petendi confessionem apud alterum. Hoc tamen non admittendum, si poenitens ab alio confessario iam fuerit admonitus de occasione tollenda et non abstulerit; quia tunc haberetur tamquam re-

---

[21] S. Alphonsus, *Praxis Confessarii* n. 66 (*Theol. Mor.*, edit. Vat.).

cidivus..... et non est absolvendus nisi forte afferat extraordinaria signa doloris » [22].

Quo modo illud *prudenter* et illud periculum proximum aestimanda? Ut probabile iudicium atque ut probabile periculum? Rem ipse S. Alphonsus declarabit: « Excipitur... (a casu in quo poenitens absolvi nequit) casus in quo poenitens non possit redire, vel nonnisi post multum tempus. Tunc enim bene potest absolvi, *si censetur* bene dispositus cum proposito statim removendi occasionem; quoniam eo casu periculum frangendi propositum remotum *reputatur* causa magni oneris, quod poenitens deberet pati, abscedendi sine absolutione aut repetendi confessionem apud alium sacerdotem aut diu manendi sine gratia sacramenti. Quapropter cum ille sit tunc in quadam morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem tollat, habet ius ut statim absolvatur. Dum enim hic non potest ante absolutionem occasionem auferre, *censetur* ac si esset in occasione necessaria [23]. Patet S. Alphonsum solutionem permittere quin de *probabilitate* probabilis periculi cogitet, ideoque cum verbis « probabiliter » « probabile » « prudenter » utitur in hac quaestione de occasione vel periculo non de logica vel ontologica, sed de morali probabilitate, ut moralista, immo et ut animarum pastor loquitur; non de probabilitate scilicet qua intellectus in unam contradictionis partem propter rationem prudentem plus minus veram inclinatur, sed de ea quae, etsi certitudini strictae opposita, ad certitudinem late dictam moralem, pro casuum diversitate, plus minusve accedit. Ipse Santus morale et proximum periculum peccandi mortaliter in ipso l. V. n. 63 *tam probabile* animae periculum vocat.

Dices: S. Alphonsus, cum eos absolvi posse negat qui

---

[22] S. Alphonsus, *Praxis Confessarii* n. 67 (*Theol.* cf. l. VI n. 454 *Th. Mor.*).

[23] S. Alphonsus, *Praxis Conf.* n. 67.

se probabili peccandi periculo exponunt, de periculo loquitur quo « probabile est quod ille, qui ei se exponit, peccabit et probabile quod non peccabit; et iterum cum affirmat eos peccare mortaliter qui « se exponunt periculo *tantum probabili* mortaliter peccandi, de periculo agit in quo, iuxta adversarios, est etiam probabile quod non adsit periculum peccandi » [24].

Ergo certum videtur eum de periculo probabili, ut ab auctoribus rigidioris sententiae definito, loqui, ideoque certum illum rigidiorem sententiam sustentasse. Non plane concedo. Ut antea dixi, ipse Sanctus cum probabile periculum fugiendum docet, illud « imminens » vocat: et in l. VI n. 453, ubi tenet graviter peccare eum qui probabili periculo absque gravi causa se obiciat, ait « cum adest probabilitas labendi, iam adest formale periculum lapsus », id est periculum, de quo in n. 452 l. VI dicit « esse illud quo est proxime coniunctum cum peccato; ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccabit seu probabiliter in peccatum consentiet; et in n. 63 l. V. « proximum periculum censetur illud, quod *frequenter* homines similis conditionis in peccatum mortale inducit » et ut alibi notavi, « tam probabile periculum animae » reputatur. Immo periculum probabile ut « *certum* » habet; *certum* utique *in se*, quatenus homo qui actionem periculosam adibit, nequaquam dubitat se in ea aliquid, quod illum ad mortale trahere poterit, esse inventurum. Tantumne ut certum in se? Si periculum est et definitur illud quod influit, quod inducit, non quod inducere aut influere potest; quomodo S. Alphonsus *certum* vocabit periculum de quo *certo nescit*, immo de quo fortasse stricte dubitat an ad peccatum grave inducet vel non? Dicerem ergo S. Alphonsum, si congruenter eum semper loquutum esse volumus, maiorem aliquam moralem connexionem inter periculum, quod probabile vocat, et futurum peccatum admisisse, quam quod de se

[24] S. Alphonsus, *Th. Mor.*, l. VI, n. 453 et l. V, n. 63.

existit inter peccatum et periculum tantum solide probabile.

Quod si quis pro aris et focis tenere vellet, aut certo efficeret, S. Alphonsum rigidiori sententiae prorsus adhaesisse, tunc faterer me ab illo dissentire in quaestione, in qua, ut ipse de aliis fatetur, quod tutius est veritati praeposuit: « Ubi agitur de liberando poenitente a peccato formali, uti debet confessarius opinionibus benignioribus, in quantum christiana prudentia concedit. Sed ubi opiniones benignae periculum peccati formalis proximum reddunt, prout in hac materia occasionum proximarum accidit, dico omnino expedire et quandoque oportere ut confessarius opinionibus et sententiis rigidioribus utatur; tunc enim hae valde magis prosunt animarum saluti. Sed de opinione S. Alphonsi satis [25].

Iam ad intrinsecam probandi vim, quam argumentum « convincens » habet. Plane concedo « illicitum esse uti opinione probabili sine iusta causa cum periculo damni alieni spiritualis vel corporalis ». Idque concedo, non quia peccatum sit in *dubio facti* probabilismo - vel si vis aequiprobabilismo - uti; probabilismus enim et aequiprobabilismus in se maxima innocentia fulgent - sed propterea quod tali in casu periculum, ut periculum, damni - subintelligitur gravis - iudicatur voluntarie suscipi, ideoque is, qui periculum vult, et grave damnum intendere censetur.

Consequens « quanto magis id non licebit, ubi periculum imminet propriae animae » negavi, si huic propositioni aequivaleat: — quanto magis id non licebit, ubi mere probabile propriae animae periculum detur. Causa est quia, cum periculum tantum probabile adest, agens qui illi etiam sine gravi de causa, se obicit, non ex eo censetur periculum, ut tale, et grave malum, quod inde forte sequetur, *intendere*.

Ita sentire dicendi sunt qui definiunt occasionem pro-

---

[25] S. Alphonsus, *Praxis Conf.* n. 69 editio citata; cf. T. M. l. VI n. 456.

ximam « obiectum externum, quod ita ad peccatum allicit ut hominem qui in ea versetur, moraliter certo, frequentius, ut plurimum, pluries, ad peccatum trahet. Ita, logice saltem, sentire debent quicumque proximam occasionem ad « obiectum externum quod aliquem inducit in periculum probabiliter saltem peccandi » non coarctant. Nihil enim est occasio quam periculum externum.

Hi autem quamplurimi numerantur, quos inter Theologiae Moralis facile principes invenies.

A. R. P. Ter Haar adducuntur ut rigidiori de occasione proxima theoriae adhaerentes, ante S. Alphonsum, S. Thomas [26], Ludovicus Lopez, Tournely, Roncaglia, Billuart, Lo-

---

[26] S. Thomam opinionem docuisse rigidiorem ita probatur in opere « De occasionariis et recidivis » ab eodem P. Ter Haar conscripto n. 52. « Sufficere periculi probabilitatem ut quis huic periculo se temere exponens mortaliter peccet, clare iam docet S. Thomas. Tractans enim quaestionem particularem de communicatione cum infidelibus haec ait: Si aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium *magis sperari* possit quam fidelium aversio a fide, *non* sunt *prohibendi* infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet Paganis vel Iudaeis; et *maxime* si *necessitas urgeat*: si autem sint simplices et infirmi in fide de quorum subversione *probabiliter* timeri possit, *prohibendi sunt* ad infidelium communione; et praecipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant vel absque necessitate eis communicent ».

Et ad tertium « dicendum quod magis est probabile quod servus, qui regitur imperio domini, convertatur ad fidem domini fidelis, quam e converso et ideo non est prohibitum quin fideles habeant servos infideles; si tamen domino periculum immineret ex communione talis servi, deberet eum a se abicere, secundum illud mandatum Christi Domini (Matth. 18). Si pes tuus scandalizaverit te, abscinde eum et proice abs te. (*Summa Theol.* II-II q. X, a. IX in c. et ad 3).

Textum D. Angelici tranquille consideranti dubium occurrere poterit, quo iure l. auctor S. Thomam sibi advocare potuerit. S. Thomas communionem permittit, cum ex ea *magis sperari potest* infidelium conversio — et hoc maxime si necessitas urgeat —, quam fidelium aversio. Unde, iuxta S. Thomam, licet illa communio, cum probabilis est fidelium aversio, quamvis non tam probabilis quam infidelium conversio. Quod fidelium aversio ad mentem S. Thomae hoc in casu sit *probabilis*, constat ex illo « *et maxime si necessitas urgeat* » et tandem ex illo ad tertium « *magis est probabile* quod servus convertatur ad fidem domini quam e converso ». Ergo etsi conversio sit probabilis, immo probabilior quam aver-

pez, Caramuel, Cardenas « et alii qui addi possent: post S. Alphonsum, Savini del Vecchio, Panzutti, Gousset, Bouvier, Martinet, Jaugey, Theologia Claramontensis, Berardi, Konings, D'Annibale, Van Rossum, Lehmkhul, Marc, Aertnys, Ciolli, Tanquerey, Prümmer, Schuhch, Ojetti, Morino.

Praesumere igitur possum omnes fere alios contra talem occasionis proximae definitionem militare [27]. Immo probabiliter neque ex allatis plures opinionem rigidiorem tenent. Ita Lehmkuhl, ita Oietti, ita Prümmer, ita Tanquerey, ita abs dubio alii. Hi enim, ut ex verbis eorum a Ter Haar adductis constat, ad occasionem proximam constituendam saltem periculum grave, instans, quod frequenter hominem in peccatum ducat, requirunt. Age vero; ut innui, periculum probabile, non eo quod probabile est, iam ideo grave, instans est. Periculum v. g. in quo, si quis, in iisdem adiunctis illi centies se exponit, ter vel quinquies

---

sio, haec tamen aversio manet adhuc vere probabilis. Nonne potest exinde concludi adversus P. Ter Haar S. Thomam docere licitum esse, etsi necessitas non urgeat, periculo probabili fidei amittendae se exponere? Dices: S. Thomam id concedere quando, etsi non urgeat necessitas, tamen datur necessitas seu causa gravis et proportionata. Verum, respondeo, S. Thomam dicere « et maxime » concedendam communionem quando adest urgens necessitas, sed minime dicere illam negandam quando non detur *causa gravis* de cuius natura ne verbum facit. Avertat Deus mihi S. Thomam vindicem: tamen monstrare cupio rigidiores D. Angelicum adscribere sibi quia semel utitur verbo *Probabile* quin ullam operam dent ut demonstrent eos omnino hoc verbo intelligere quod S. Thomas intellexit.

[27] Occasio proxima non est nisi periculum externum proximum. Si igitur tantum isti — et si plures essent, ab auctoribus adducerentur — periculum probabile in sensu rigidiorum ut occasionem proximam de se vitandam admittunt, hi tantum et non alii, S. Alphonsi consequens approbant. Inutile prorsus et iniustum esset illos theologos inter rigidiores adnumerare, praesertim inter eos qui ante Caramuel scripserunt, qui dicunt *probabile* periculum esse fugiendum, dum simul aliis in locis, occasionem proximam de se vitandam illam definiunt quae semper vel fere semper, quae moraliter certo, quae pluries vel ut plurimum agentem in peccatum mortale trahit, nec quaestionem de periculo tantum probabili, in sensu rigidiorum, tractant aut si tractant, mitiorem sententiam non refellunt. Hinc patet quam exaggeratum sit asserere sententiam rigidiorem fuisse umquam *communem*.

labetur, in singulis centum casibus vere probabile est: etiam grave, quatenus ad mortale ter vel quinquies ducet: sed non censebitur grave, qua probabile periculum. Periculum quod ad mentem longe maioris partis theologorum, grave, vel graviter probabile dicitur, est illud quod vel natura sua vel saltem imbecillitate agentis, vehemens est; non illud in quo probabiliter saltem peccatur, aut quod spectata, vel eius natura vel agentis fragilitate, solidum fundamentum praebet quo agens prudenter putet se in eo probabiliter peccaturum.

Neque dixeris quaestionem de periculo probabili vitando esse veluti determinationem quandam quaestionis magis generalioris de occasione, ideoque non recte a me concludi eos auctores, qui latiorem occasionis proximae notionem tuentur, inde rigidiorem sententiam de periculo probabili vitando reicere. Sane enim omnibus cuiuscumque temporis moralistis semper fuit opus accurate solvere, a quo praecise limite connexionis periculum inter et peccatum, sive occasioni, sive periculo sine gravi causa se obicere grave peccatum est. Paucis igitur, S. Alphonsi consequens magno et magni nominis theologorum numero comitatus nego.

Ulterius aliquam explicationem intrinsecae rationis negationis dabo. Ipse P. Ter Haar affirmat: « pericula probabilia, id est probabiliter peccandi graviter contra aliquod Dei vel Ecclesiae praeceptum esse innumerabilia et quasi cotidiana in nostra praesertim societate » [28]. « Sententia » rigidiori opposita, ait, « est periculosa non pro laicis tantum, sed etiam pro sacerdotibus et utriusque se-

[28] Ter Haar, *De Occasionariis et recidivis*, n. 30. Ne aliquis decipiatur putans rigidiores, (cum tot dentur proximae occasiones vel quod in idem recidit pericula probabilia), teneri plurima in praxi sub gravi prohibere ideoque strictos nimis apparere: legantur quaeso solutiones ad casus practicos datae a R. P. Ter Haar v. g., et excepto uno aliove casu, idem permittit quod mitior concederet. Immo aliquando, v. g. in materia de scholis mixtis vel neutris et de choreis, solutiones dat, quae mitiori sententiae mites nimium videntur.

xus religiosis. Hi enim hac praesertim nostra aetate, haud raro gravibus — lege probabilibus — mundi periculis, cum circa fidem tum maxime circa mores, obnoxii sunt. Si ergo illa doctrina pro practice probabili habeatur, certe multi ex hisce... illa pericula, in quibus tum lapsus, tum lapsus vitatio est quasi aeque probabilis, non fugient, sed eis temere se exponent, et sic saepe misere cadent » [29]. Quid est hoc nisi confiteri pericula probabilia etiam relativa esse innumerabilia? Et quoniam difficile admodum erit iudicare utrum adsit solida probabilitas vel minus, eo ingentiora evadent quo puriores et timoratiores conscientiae dentur. Ergo, incommodum et difficultas ea vitandi adeo gravis fit, ut qui, etiam absque alia gravi causa, periculum tantum probabile adit, illud, ut probabilem causam mali, non velle, sed permittere existimatur. Alteram meae negationis fundamentum exponem in explicatione argumenti quod sequitur [30].

V

« Denique qui vult ponere causam, vult etiam, saltem indirecte, effectum quem praevidet ex illa causa non solum certo, sed etiam vere probabiliter secuturum, nisi proportionata adsit ratio ponendi hanc causam; est enim

---

[29] Ter Haar. *Cas. Consc.*, n. 7. Ruina morum vel laxismus, quem c. auctor ex mitiore sententia sequuturum praevidet magis ignominia afficit illos, qui in ordine ad bonum faciendum vel malum vitandum, tantum de his curant quae sub gravi iniunguntur, quam ulla dedecoris nota mitiorem sententiam inurit. Aliunde iidem pernitiosi effectus practice oriri possunt ex modo agendi illorum rigidiorum, qui ad vitandum nimium rigorem theoriae *gravitatem* causae proportionatae minuerent.

[30] Alia ratio quae afferri potest ut fundamentum ad consequens S. Alphonsi negandum est illud saepe repetitum: Lex gravis vitandi probabile tantum periculum sumitur tam certa esse quam lex « Neminem laedes ». Ut dixi, vi huius legis certum est me sub gravi vitare debere quidquid est *causa* certa vel probabilis damni gravis proprii vel alieni. At estne eodem modo certum me sub gravi fugere debere quidquid est *occasio* tantum probabilis damni gravis proprii?

non occidere potest. Praeterea venenum iam agens esset ille effectus voluntarius in causa. Sic qui captus dulcedine veneni quod praevidet, non certo quidem sed probabiliter mortem allaturum, illud nihilominus sine ratione sumit, ab omnibus suicidii reus habetur, etiamsi mors aeque probabiliter non sequatur, quia licet directe tantum intendat dulce venenum, tamen indirecte et in causa vult mortem. Atqui in casu nostro periculum est causa, quae iuxta praevisionem operantis probabiliter producet effectum malum, nempe lapsum in peccatum; neque ulla est, ut supponitur, iusta et proportionata ratio hanc causam, id est, hoc periculum adeundi. Ergo, qui vult hoc periculum probabile vult etiam, saltem indirecte et in causa, ipsum effectum seu peccatum probabiliter secuturum »[31].

Ut forma scholastica respondeam: Qui vult causam vult etiam effectum malum, quem praevidet ex illa causa etiam probabiliter secuturum ...si causa est causa per se, concedo; si est causa per accidens subdistinguo; si et est lex, quae talem causam ponere vetat ne praecise ille probabilis effectus malus sequatur, concedo, si talis lex non datur, nego.

Ad minorem « Atqui in casu nostro periculum est causa quae iuxta praevisionem operantis probabiliter producet effectum malum »: periculum est causa per se, nego; est causa per accidens et datur insuper lex quae prohibeat tale periculum, vel melius, actionem periculosam poni, ne peccatum sequatur, *peto probationem*. Argumentum iterum supponit quod esset demonstrandum.

Quod ex his, quae ad exemplum veneni adiciam, clarius patebit. Qui capitur dulcedine veneni, quod praevidet probabiliter tantum mortem ei allaturum, reus suicidii habetur, quia venenum natura sua ita est comparatum ut mortem producat, aliis verbis, mors physice in veneno, ex se vel ex veneni natura continetur. Nemo venenum definiet v. g. potum qui potest occidere, aut tam occidere quam

[31] Ter Haar, *Casus Consc.* n. 4 e.

unica causa efficiens efficax mortis probabiliter ex eo secuturae.

E contra in actione probabiliter tantum periculosa, neque periculum est causa per se mali seu peccati, cum peccatum tam potest sequi quam non sequi, neque cum influit unica causa est, nisi rigidiores humanam voluntatem necessario peccare asseverent.

Perpendatur quaeso discrimen quod interest inter influxum pyroboli probabiliter explosuri, quod ad domum collocatur, et influxum visitationis mulieris, honestate et pudicitia communi praeditae, in virum qui numquam in castitatem hucusque peccavit, sed qui propter tentationes, quas nunc experitur, iudicat se in illa visitatione probabiliter tantum esse peccaturum.

Ut verbis Suarezii utar: actio, quae iudicatur periculum tantum probabile continere, et effectus probabilis eiusdem, nempe peccatum, censenturne rationem habere unius obiecti disconvenientis seu a voluntate vitandi? Rigidiores affirmant et probare conantur, sed ut e nostra dissertatione constat non probant [32].

Si usus coticula vel lapis lydius sententiarum moralium dici debet, rigidior parum omnino probabilis, quia inutilis, videtur. Nam quid consulet animarum director vel confessarius, cum poenitentes timoratae conscientiae pericula, ipsis probabilia, passim reperient? Nonne antequam obligationem ea fugiendi imponant, ipsi pro viribus an periculum grave sit et quam grave sit investigabunt?

MICHAEL FÁBREGAS S. I.

---

[32] Ut dicam quod sentiam, tota ista thesis de periculo tantum probabili vitando, nihil aliud videtur quam applicatio illius principii aequiprobabilismi. « In dubio de legis certae cessatione, concurrentibus argumentis aeque vel fere aeque probabilibus, sequenda est quae legi favet opinio ». Iam haec thesis non nisi probabilis est. Aliunde in applicatione supponitur legem vitandi periculi esse illam certam « Neminem laedes » vel « Non peccabis »; dubium esse an in casu probabilis periculi illi legi satisfaciat qui absque causa gravi periculum tantum probabile adit. Cum igitur probabile sit illi non satisfieri, vi principii aequi probabilismi, standum est pro lege seu periculum fugiendum est. Hisque, aliis graves obligationes imponere volo?

Practica quaedam applicatio canonis 1099, § 1°

Sequens mihi propositus est casus. Petrus et Anna, acatholici extra Ecclesiam catholicam baptizati, iam per duos annos a sacerdote instructi sunt in doctrina catholica. Cum morali certitudine de valore suscepti baptismi pro utraque parte constat; nullum ipsis superest rationabile dubium circa veritates catholicas, idque saepe sacerdoti asseruerunt; atque in locis, in quibus noti non erant, iam non semel, immo pluries devote sacrificio missae astiterunt aliaque externa fidei signa publice dederunt. Cupiunt formaliter reconciliari cum Ecclesia atque in forma canonica matrimonium contrahere; ast parentes Petri religioni catholicae valde adversi sunt, atque Petrus ipsorum pecuniario subsidio omnino indiget; unde, formalem transitum ad Ecclesiam catholicam ad tempus differentes, matrimonium mere civile contrahunt. Estne hoc matrimonium validum?

I. Pauca praenotanda videntur de fidei occultatione, de qua in casu quoque sermo est. Cum divinum praeceptum fidem profitendi sit affirmativum, sine dubio circumstantiae haberi possunt, in quibus ob gravem causam praeceptum ad tempus saltem non obligat; non tamen in Ecclesiam videtur recipi posse qui vellet per totam vitam esse occultus catholicus [1]. Petrus et Anna, etsi formaliter ad Ecclesiam nondum transierunt, persuasi cum sint de veritatibus Ecclesiae catholicae atque de sectarum erroribus, iam obligantur fidem profiteri, atque ob gravia solummodo incommoda a publica professione ad tempus excusari valent. Numquam tamen actum ponere ipsis permitti pot-

[1] VERMEERSCH, *Theol. mor.* II n. 26.

est, qui ex communi aestimatione adhaesionem sectae haereticae manifestare videretur; quare prohibentur coram ministello acatholico qua tali contrahere matrimonium. Si iam quaeritur, utrum legislator ecclesiasticus ante formalem receptionem in Ecclesiam pro ipsis iam urgeat observationem praeceptorum, quae directe intendunt subiecti sanctificationem, v. g. abstinendi a carnibus, audiendi missam, quae praecepta iuxta plures Ecclesia pro haereticis non tamquam obligatoria proponit, haec quaestio videtur solvenda iuxta significationem vocis « conversi » de qua statim. Attamen, si obligatio per se exstaret, propter difficultates, quae fidei occultationem permittunt, ratio quandoque excusationis vel saltem obtinendae dispensationis facile haberetur.

II. *Quaeritur iam, utrum matrimonium civile in nostro casu sit validum*?

1°. Si Petrus et Anna, mente quidem adhaerentes catholicae religioni, ante formalem transitum ad Ecclesiam connumerandi non sunt nec inter baptizatos in Ecclesia catholica nec inter « ad eam ex haeresi aut schismate conversos », iam nullum dubium moveri potest circa valorem huius matrimonii civilis; acatholici enim « sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam (can. 1099 § 2).

2°. Petrus vero et Anna coram sacerdote ipsos instruente declararunt se omnes catholicas admittere veritates; sacramenta non susceperunt quidem, sed fidem saepe publice professi sunt devote assistentes Missae, signo crucis se signantes, coram SS. Eucharistia genuflectentes. Num Petrus et Anna, valide baptizati, utique extra Ecclesiam catholicam, post tot fidei manifestationes ante formalem transitum, cum relatione ad effectum can. 1099 § 1, 1° forsan iam vocandi sunt *conversi*? In commentario in

decret. « Ne temere » Patrum provinciae Germaniae inferioris ordinis Fratrum Minorum [2], scribitur aliquem vocandum esse conversum ex haeresi vel schismate « vel formali haeresis abiuratione, vel actibus religionis, *qui sufficienter manifestant animum adhaerendi Ecclesiae* ». Idem sentit Vermeersch [3], qui magis in specie enumerat actus religionis, qui illum animum certissime ostendunt: « Quodnam ergo erit habituale criterium personalis professionis? Ni fallimur, erit regulariter ultronea atque conscia susceptio sacramenti in Ecclesia catholica, confessio, confirmatio, et vel maxime prima communio. Procul dubio, qui catholice primam fecerint communionem, censebuntur satis professi religionem catholicam, ut numquam immunitate acatholicorum frui possint », Quamquam haeretici, ut in Ecclesiam catholicam admittantur, per se, secundum normam statutam in can. 2314 § 2, abiuratione iuridice peracta, fidem formaliter debent profiteri et pro foro externo absolvi ab excommunicatione, *conversi* tamen relate ad formam substantialem matrimonii, ad valorem servandam ex praecepto can. 1099 § 1 1°, forsan ii quoque sunt, qui *non* formaliter, sed ex factis solummodo concludentibus fidem catholicam publice sunt professi. Conversio enim ad Ecclesiam catholicam fit *aut* per baptismum *aut*, si de facto et valore baptismi in haeresi suscepti sufficienter constat, per solam professionem, quae, si est formalis, certissime inducit effectum can. 1099 § 1, 1°, si est *tacita* tantum, i. e. se ostendens solummodo in externis actionibus, iuxta auctores iam indicatos et alios [4] eundem effectum quoad formam matrimonii quoque producit. Formalis enim transitus ad fidem catholicam non semper exigi videtur ut quis

[2] *Commentarium in Decretum « Ne temere »* (Woerden, 1909), p. 24, n. 36.

[3] *De fórma sponsalium ac matrimonii post decr. « Ne temere »* (1908), p. 53, n. 87.

[4] Oesterle, *Apollinaris* 1939 p. 103 ss.; Triebs, *Handbuch des kanonischen Eherechts* IV p. 607, ubi agit de professione « durch konkludente Handlung ».

conversus seu catholicus vocari queat; nam non pauci auctores docent[5] v. g. post conversionem parentum non solummodo filios extra Ecclesiam catholicam baptizatos, qui tunc erant infantes, si ab infantili aetate adoleverunt in catholica religione, censeri conversos, sed immo filios infra aetatem 14 annorum qui tunc iam pervenerant ad usum rationis, si, etsi per aliquot annos educati fuerint in secta haeretica, postea in religione catholica adoleverunt eique non contradixerunt.

Multi vero auctores vocem « conversi » relate ad can. 1099 § 1, 1° non explicant, plures canonistae de tacita professione non agunt, atque inter fautores professionis tacitae alii expresse susceptionem sacramentorum exigunt, alii in genere de actionibus, ex quibus concluditur ad fidem, solummodo verba faciunt, Quare quoad Petrum et Annam, qui sacramenta non susceperunt, non certo probatur, ipsos eo sensu esse conversos, ut per se valide contrahere non valeant extra formam descriptam in can. 1094; leges enim, etiam irritantes, in dubio iuris non urgent (c. 15). Propter idem dubium, si iam matrimonium civile a Petro et Anna fuerit contractum, certo praesumitur valor donec contrarium probetur (c. 1014).

3°. Etiam si quis admittat Petrum et Annam propter positas externas actiones religionis catholicae iam ante formalem transitum vocandos esse conversos in ordine ad can. 1099 § 1, 1°, tamen in hac quoque sententia matrimonium civile validum matrimonium dicendum est. Petrus et Anna enim, ut in casu supponimus, gravi metu adducti ne offendant parentes Petri, formalem transitum ad tempus differre firmo statuerunt. Ante formalem vero transitum nullus Ordinarius loci matrimonium conscientiae permittet, nullus parochus matrimonio assistet, tum quia auctores dissentiunt in vocandis ipsis conversis, tum quia pa-

[5] Cappello, *Periodica* XX p. 79, n. 6; Vromant, *De matrimonio* n. 215. 2; Linneborn, *Eherecht* p. 374. nota; Wernz-Vidal, *Ius matrim.* n. 551. I. b.

rochi, sententias inter canonistas non considerantes, practice ante formalem transitum assistentiam recusant. Versantur igitur Petrus et Anna, valide baptizati, in circumstantiis can. 1098, 1° propter grave incommodum habendi vel adeundi parochum vel Ordinarium; quare valet matrimonium initum coram duobus solis testibus. Neque opponere licet incommodum habendi parochum vel Ordinarium minime esse grave, cum partes, quin timenda sit divulgatio, *occulte* possint haeresin abiurare, qua abiuratione facta, cum utraque pars iam valide baptizata sit, de facto iam formaliter transitus ad Ecclesiam catholicam est effectus, et cum licentia Ordinarii loci *secreto* possunt pro Ecclesia inire matrimonium. Non audeo asserere quod Ordinarius iudicaret gravissimam et urgentissimam causam (c. 1104) prostare ad concedendam licentiam pro matrimonio secreto seu conscientiae; hoc autem certum est tam ad abiurationem quam ad secretum matrimonium praeter sacerdotem duos adhuc adesse debere testes, qui pro matrimonio conscientiae utique secreto tenentur (c. 1105), unde intelligi potest partes gravem metum, ne parentibus innotescat transitus ad Ecclesiam catholicam, deponere non potuisse... Graves auctores [6] post responsum quoque Commissionis Codicis 25 Iulii 1931 ad 1 exigunt incommodum physicum, alii [7] tamen incommodum morale sufficere putant; quare ex principio can. 15 hoc matrimonium cum gravi incommodo morali coram solis duobus testibus contractum invalidum declarare non licet... Neque invalidum vocari posset hoc matrimonium si vera est sententia, quae requirit ad applicationem can 1098, 1° testes privatos [8], cum practice in legislatione civili

---

[6] Maroto, *Apollinaris* 1931, p. 381; de Becker, *Ephem. Lovan.* 1931, p. 384.

[7] Vermeersch, *Periodica* XXI p. 43 sq.; Heribert Jone, *Gesetzbuch des Kan. Rechtes* II, ad can. 1098; Vromant, *De matrimonio* n. 204, cui sententiae favere videtur resp. S. C. de Sacr. 24 Aprilis 1935.

[8] Močnik, *Apollinaris* 1936, p. 304-307.

ad matrimonium exigantur vel saltem addi possint testes privati... Tandem in nostro casu in matrimonio civili ineundo partes sine dubio gerunt intentionem contrahendi matrimonium *canonicum* seu *catholicum* [9], quippe quae, legislationem ecclesiasticam libenter admittentes, intentionem habent valide contrahendi matrimonium, quod inter baptizatos validum non est nisi sit canonicum seu catholicum.

4°. Conclusio igitur est: Petrus et Anna matrimonio civili valide iuncti sunt, idque si considerentur sive ut acatholici sive ut conversi.

H. Beijersbergen S. J.

Ad Responsa de competentia annotationes

Dubia, quae in Responsione, a Pont. Commissione Codicis interpretum d. 8 iulii a. 1940 data solvuntur [1], orta sunt praesertim, evulgato Motu Proprio *Qua Cura* Pii XI, de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis, in quo sub num. IV, et V haec statuebantur: IV. Horum tribunalium (sc. noviter ordinatorum) iura et officia necnon practicam agendi rationem Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum definiet, etiam circa tempus quo quae supra statuimus exsecutioni demandanda sint, necnon circa normas temporarias relate ad causas pendentes. V. Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum vigilem sedulamque det operam, ut tum officiales, tum iudices, tum praesertim promotores iustitiae et vinculi defensores muneribus suis rite naviterque perfungantur iuxta normas ab eadem S. C. editas vel edendas.

---

[9] Oesterle, *Apollinaris* 1936, p. 446-462.
[1] Cf. *AAS* XXXII, 31; *Period.* XXIX (1940) 394 ss.

I. Cum praescriptiones hae ex directa auctoritate R. P. procederent, nullum dubium erat ad S. C. de Sacramentis pertinere iura quae in praedictis taxative determinantur, quaeque denuo in hodierna Responsione confirmantur. Verum alicui videri poterat has facultates procedere insuper ex illa praeeminentia quam Codex eidem S. C. detulit, cum de eiusdem competentia definivit universam legislationem circa disciplinam septem Sacramentorum (can. 249 § 1). Unde quaestio magis generalis facta est ut definiretur natura eiusdem praeeminentiae, contentae non solum in praedicta paragrapho, sed et in § 3, ubi praescribitur ad S. C. de Disciplina Sacramentorum deferri posse quaestiones de validitate matrimonii. Ex his, ergo, duabus praescriptionibus Codicis sequi poterat dubium quousque sese extenderet competentia S. C. et quae esset natura huius competentiae in causis omnibus nullitatem matrimonii pertractantibus.

Quod attinet ad legislationem circa disciplinam matrimonii, et consequenter ad disciplinam causarum matrimonialis nullitatis, res iam definita erat in Motu Proprio Benedicti XV, *Cum iuris* in quo Commissio constituitur ad Codicis canones authentice interpretandos (cfr. *AAS*, IX, 1917, 483 s.). Etenim in II dicitur: « Sacrae Romanae Congregationes nova Decreta Generalia iamnunc ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat. Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones*, si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praescriptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant ». Ex hoc numero deducitur competentiam S. Congregationis esse exsecutivam seu administrativam praescriptorum Codicis, quam exercet praesertim per *Instructiones* datas vel dandas de modo agendi et de disciplina servanda in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum. Inter iam editas instructiones eminent Instructio de competentia iudicis in causis matrimonialibus ratione quasi domicilii (23

decembris 1929), litterae circulares de relatione causarum matrimonialium quotannis S. Congregationi de disciplina Sacramentorum mittenda (1 iulii 1932) et praesertim Instructio servanda a tribunalibus dioecesanis in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum (15 augusti 1936).

Quod attinet autem ad competentiam S. C. in pertractandis ipsis causis matrimonialibus, nulla erat quaestio circa causas dispensationis matrimonii rati et non consummati, quia ad eam exclusive pertinent. (can. 249 § 3, 1962, 1963 § 1). Verum de causis nullitatis matrimonii, exceptis iis quae referuntur ad privilegium Paulinum et in quibus competens est S. Congregatio S. Officii, quaestio facta est circa sensum verborum canonis: *Pariter ad eam deferri possunt quaestiones de validitate matrimonii, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittat.* Sensus autem dubii est hic: an quaestiones de validitate matrimonii deferri possint ad S. C. vi iurisdictionis superioris qua eadem polleat, quaeque posset definiri, ut fert dubium Commissioni propositum, « generalis et praeeminens iurisdictio in causis nullitatis matrimonii », necne. Effectus principaliores huius praeeminentis iurisdictionis indicantur in ipso dubii tenore, nempe, facultas advocandi praedictas causas ad se, vel suspendendi earum cursum aut sententiarum in iisdem latarum exsecutionem.

Pro sententia affirmativa duplex ordo argumentorum militare videbantur: alter ex historia desumptorum, alter ex natura ipsa causarum matrimonialium. Ex historia allegari poterat quod S. C. C. numquam desiit prius tractare causas matrimoniales, ita ut a tempore Benedicti XIV (const. *Iustitiae et pacis,* 20 octobris 1746) haberentur aeque competentes in Curia Romana S. R. Rota et S. C. Concilii. At ab anno 1870 una S. C. Concilii causas matrimoniales pertractare perrexit, ordine plerumque proprio, i. e. administrativo seu disciplinari, quamvis procederent ex

appellatione a sententiis tribunalium, usque dum in const, *Sapienti Consilio* Pius X iussit « per SS. Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes » prout erat iam statutum in litt. Secretariae Status, 17 aprilis 1728, sed et decrevit ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolverentur ad Sacrae Romanae Rotae Tribunal, per praedictam Const. iterum in exercitium revocatum. Cfr. Const. *Sapienti Consilio*, II, n. 2, in AAS. I, pag. 15.

Attamen in eadem Const. de competentia S. C. de disciplina Sacramentorum (quae in praesenti re substituebat S. C. C.) declarabatur: « Quaestiones quoque de validitate matrimonii... eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad sacrae Romanae Rotae tribunal remittat ».

Praedictae praescriptiones evidenter intendebant distinctos servari ordines administrativum seu disciplinarem, et contentiosum seu iudicialem, illum SS. Congregationibus, hunc Tribunalibus attribuens. Quae distinctio in Const. *Sapienti Consilio* quodam rigore imponebatur, qui tamen rigor quibusdam auctoribus (v. gr. Wernz-Vidal, Ius canonicum, II, pp. 479, 485) in Codice (can. 249, 250, 251, 257) attenuatus videbatur. Exinde fundata sententia erat apud quosdam S. C. de disciplina Sacramentorum conservasse universalem competentiam in omnes quaestiones de validitate matrimonii, propter quam ipsa definiebat an pertractandae essent administrativo ordine, vel contentioso seu iudiciali. Qua supposita competentia nonnulli crediderunt apud ipsam S. C. manere iuridisdictionem praeeminentem, etiamsi causae matrimoniales in tribunali agerentur.

Ad fulciendam hanc opinionem appellari posse vide-

batur ad naturam causarum matrimonialium, quae sunt institutae propter bonum publicum, quia maxime interest eiusdem boni publici sanctitatem matrimonii et indissolubilitatem coniugii sartas tectasque servare. Boni publici cura est in Ecclesia commissa Episcopis (cfr. can. 336) sub auctoritate Romani Pontificis (cfr. can. 329 § 1), et maxime connexa in his causis cum ipsa disciplina matrimonii, quae ad normam can. 249 § 2 spectat suprema ratione ad S. C. de disciplina Sacramentorum. Exinde firmari videbatur praeeminens iurisdictio eiusdem S. C. in omnibus causis nullitatis matrimonii, quam propter bonum publicum exercere valeret per auctoritatem suam in tutores boni publici causarum matrimonialium, sc. promotorem iustitiae et defensorem vinculi.

Pontificia tamen Commissio ad Codicis canones authentice interprectandos haec argumenta omnino valida tenuisse non videtur. Nam ad primum dubium supra relatum de generali et praeeminente iurisdictione S. C. in causis nullitatis matrimonii respondit: *negative*.

Ratio praecipua et fundamentalis huius decisionis maximi momenti videtur esse sequens: distinctio inter ordinem administrativum et iudicialem sancte servanda, unde, incepta causa ordine iudiciario, nulla auctoritas ordinis administrativi in eadem iurisdictionem retineat, quia iudicium a iudice tantum regi debet. In iure constitutus est ordo processualis qui amplis sollemnitatibus cavet ut iustitia recto modo procedat. Qui ordo accuratiores formas habet quam ordo administrativus; hinc in can. 249 § 3 dicitur de quaestionibus validitatis matrimonii, quod requirentes accuratiorem disquisitionem aut investigationem S. C. ad tribunal competens *remittat* (cfr. etiam const. *Sapienti Consilio*, I, 3, n. 3). Ceteroquin hoc idipsum in Codice disponitur relate ad causas alias , quae sub competentia aliarum SS. CC. cadere possent (cc. 250 § 5, 251 § 2, 257 § 3). Igitur, necessaria distinctio inter viam disciplinarem et viam iudicialem importat autonomiam uniuscuius-

que sine qua recta ordinatio societatis graviter pateretur. Ampliores certe facultates possidet auctoritas disciplinaris quibus utitur ad bonum publicum efficaciter tuendum; at in via iudiciali, quae aperitur ad instantiam partis, accuratiores imponuntur investigationes in utilitatem eorum qui in iudicio participant, unde iudex omnium iura declarare valeat. Hoc sensu hodierna Responsio maximum habet momentum, quia per eam principium iuris firmatur inductum in iure canonico a const. *Sapienti Consilio*, et retentum nec attenuatum in Codice iuris canonici.

Sacra Congregatio de Sacramentis quaestiones de nullitate matrimonii dirimit quae agi possunt via administrativa. Tales videntur nobis quae enumerantur in can. 1990, seu de casibus exceptis a regulis iudicii ecclesiastici, quae si directe deferantur ad S. Congregationem, sine dilationibus de quibus can. 1991, solvi poterunt cum utilitate deferentium. Pariter casus minus implicati qui, ut plurimum, citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi, dirimi possunt, quamvis non comprehensi in casibus de quibus can. 1990. In ceteris, competentia tribunalium est exclusiva et autonoma; proinde S. C. non potest incepta via iudiciali nec causas ad se advocare, nec earum cursum suspendere aut sententiarum exsecutionem.

II. Igitur Pont. Commissio in altero dubio quaenam iura competant S. Congregationi in causis nullitatis matrimonii edisserere voluit. Nempe:

a) Ius dirimendi quaestiones de validitate matrimonii, quae ad eam deferantur, dummodo eaedem accuratiorem disquisitionem aut investigationem non exigant, ad normam canonis 249 § 3. Quod ius in superioribus explicatum est.

b) Ius definiendi quaestiones de competentia iudicis ratione quasi domicilii, iuxta Instructionem eiusdem Sacrae Congregationis diei 25 decembris 1929. Haec Instructio iussit, antequam officialis uniuscuiusque Curiae libellum admittat introductionis causae nullitatis matrimo-

nii ob competentiam ex titulo quasi domicilii, inquisitionem fieri praeiudicialem, ut de motivis introducendi causam apud eumdem iudicem quasi domicilii constaret. Inquisitio quae definiri debet decreto iudicis eo tendit ut causam attribuat vel iudici quasi domicilii vel iudici domicilii aut contractus. Contra quod decretum si recursus procedat, de eo videt ac definit S. Congregatio de Sacramentis (cfr. Instr. IV, 8). Si quid in hac Instructione contrarium iuri Codicis proponebatur a Sumo Pontifice indultum est, qui eam exsecutioni mandari iussit *contrariis quibuscumque minime obstantibus*. Pariter litterae, de relatione causarum matrimonialium quotannis Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum mittenda, diei 1 iulii 1932 approbatae sunt a R. P. *supremo Auctoritatis Suae oraculo*, ac tandem Motu Proprio *Qua cura* Pii Pp. XI diei 8 decembris 1938 de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis lex specialis inducitur. Ceterum, natura harum dispositionum ordinem iudiciarium intactum relinquit.

III. *Tertium dubium* naturam muneris promotoris iustitiae ac vinculi defensoris definire satagit. Utrumque ex officio deputatur ad suscipiendum in iudicio onus defendendi quod boni publici interest. Ille intervenit quatenus bonum publicum in genere in discrimen vocari potest; defensor Vinculi sibi sumit specialem tutelam Vinculi matrimonii. Sed ambo constituuntur in iudicio, non quidem ut repraesentantes Sacrae Congregationis, sed ut partes in processu. Iam Defensor Vinculi in Const. *Dei Miseratione* Benedicti XIV appellatus erat « Pars necessaria » (§ 7), eiusque interventus postulabatur multiplici de causa. At sicut iudex etiam in causis ubi agitur de bono publico vel de animarum salute ex officio praestare debet omnia necessaria ut ea non pessumdentur, quin tamen suam amittat auctoritatem iudicialem propriam, sic Promotor iustitiae et Defensor Vinculi, quorum munera in iure definita sunt, a iure ipso facultates et officia recipiunt quae non exigunt

specialem quandam moderationem, nisi illam quae in omni iudicio iudici demandatur. Iudex, enim, iudicium regit. Iam vero si Sacra Congregatio moderari valeret partes in iudicio promotoris iustitiae aut defensoris Vinculi iudicium absolvi non posset ea libertate et auctoritate, quae necessaria videtur ut partium iura declarentur aut vindicentur.

Discrimen quod hac de re habetur inter forum canonicum et forum saeculare in honorem prioris cedere videtur.

IV. *Quartum dubium* casum specialem solvit qui in denuntiatione nullitatis matrimonii coniugis culpabilis habetur. Pont. Commissio prae oculis habens Instructionem S. C. de Sacramentis a. 1936 in articulis 38, 39 affirmat naturam administrativam inquisitionis praemittendae accusationi matrimonii. In qua si decretum intercedat Ordinarii, adversus huiusmodi decretum recurrere fas est ad S. C. (can. 1601). At incepto iudicio, i. e. si res desinit esse integra (can. 1725), cum viam iudiciariam ingressa sit, auctoritas gubernativa seu administrativa sileat oportet, et iudicibus pertinet iudicium prosequi usque ad sententiam definitivam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse (can. 1569 § 2). Sed in hoc casu non haberetur ingerentia potestatis administrativae in causam iudicialem, verum substitutio tribunalis ex suprema iurisdictione Romani Pontificis.

Unde Pontificia Commissio ad Codicis canones interpretandos utrumque ordinem administrativum et iudiciarium in iure canonico distinctum esse declaravit, et distinctionem servari debere.

RAYMUNDUS BIDAGOR S. I.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Epistula Encyclica saeculo exeunte octavo
13 iun. 1940

(*AAS* XXXII [6 iul. 1940] p. 249 ss.)

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAM OLYSIPPONENSEM ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS LUSITANIAE EIUSQUE TRANS MARE TERRARUM PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: SAECULO EXEUNTE VIII A LUSITANIA PROPRII IURIS FACTA, III VERO AB EADEM IN LIBERTATEM RESTITUTA, APOSTOLICA MISSIONALIUM OPERA ENIXE LUSITANIS COMMENDANTUR.

PIUS PP. XII

DILECTE FILI NOSTER, VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM *

1. Saeculo exeunte octavo a Lusitania proprii iuris facta, tertio vero ab eadem in libertatem restituta, hunc faustitatis eventum, — quem quidem, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, pernobilis Natio vestra gloriis referta memoriisque, coniunctis omnium animis hoc est anno celebratura — ut Apostolica haec Sedes, pro vigili cura sua, ita Nos, qui erga christianorum gentes universas paternum

* Tituli paragraphorum non habentur in textu officiali.

gerimus animum, silentio oblivioneque praeterire non possumus.

2. Quin immo peculiare aliquid in causa est, cur Nos una vobiscum adeptam a vobis libertatem commemoremus, quandoquidem ex Romanorum etiam Pontificum opera, ut explorata res est, olim patria vestra fuit libera Civitas iure constituta.

Acta, quibus saeculo XII Decessores Nostri Innocentius II, Lucius II et Alexander III ab Alphonso Henrico Lusitaniae Comite primum, postea Rege, praestitae excipiebant obedientiae officia, ac suam eidem polliciti tutelam, territorio omni, quod a Maurorum dominatu, strenue eluctando repugnandoque, recuperaverat, legitimam declarabant attributam libertatem, expetitum amplissimumque fuere praemium, quo Petriana Sedes generosum Lusitaniae populum, ob eximia eius in catholica tuenda fide acquisita merita, remunerata est.

LUSITANIA ET APOSTOLATUS MISSIONALIS

3. Quae quidem catholica fides, ut vitalem quodammodo humorem praebuit, qui Lusitanorum Nationem inde ab originibus aluit, ita si non unica, at praecipua saltem vis ac virtus exstitit, quae patriam vestram ad suae fastigium gloriae evexit, eamque religionis propagantem imperiique fines [1], et omnibus humanitatis ornamentis excultam reddidit et de sacris Missionalium inceptis optime meritam. Idque historia ipsa loquitur, rerumque gesta luculentissime testantur.

Cum enim filii Ioannis I Regis eum rogarunt ut primam peragi sineret transmarinam expeditionem, qua urbs Septa in libertate vindicata est, magno illi pioque Principi cordi fuit ab iisdem sciscitari utrum id, annon, utilem in Dei famulatum conferret operam. Ita pariter omnes, quae se-

[1] Cf. CAMÕES, *Lusiadas*, I, 2.

cutae sunt, expeditiones eo potissimum spectarunt ut illa propagaretur fides, quae ad bellum cruce signatos in occidentis regionibus impulerat, itemque equestres animaverat Ordines adversus Maurorum dominatum strenua virtute dimicantes.

In iisdemque navibus, in quibus candidum pandebatur vexillum, purpurea exornatum Divini Redemptoris cruce, una cum intrepidis patriae vestrae exploratoribus, qui ad africana occidentis litora vicinarumque insularum oras contendebant, Missionales quoque vehebantur, qui idcirco ad barbaras proficiscebantur regiones , ut eas — quemadmodum nobilis ille dynasta Henricus Navigator aiebat, qui tantopere vestrarum coloniarum sacrarumque expeditionum incrementa provexit — suavi Iesu Christi iugo subicerent.

Atque Lusitanorum exploratorum princeps Vascus de Gama dum ancoras moliebatur ut suum ad Indias fortunatum iter auspicaretur, duos secum una ducebat religiosos viros ex Ordine SS. Trinitatis, quorum alter, cum Indorum gentibus evangelii lumen apostolico ardore impertiisset, operosum munus suum martyrii palma decoravit. At, quemadmodum omnibus Ecclesiae aetatibus, ita eo tempore in longinquis illis regionibus, huius Martyris ceterorumque Missionalium Lusitaniae heroum cruor veluti christianorum semen exstitit; eorumque praeclara exempla catholicum orbem, imprimisque animosos patriae vestrae cives, ad apostolatus opera latius promovenda summopere excitavit.

4. Et cum ob aerumnosas rerum vicissitudines haud paucae Europae gentes a gremio Ecclesiae abstrahebantur, quae eas sapienti studiosaque cura quasi mater educaverat, tum cernere licuit populum vestrum germanamque Hispanorum Nationem nova aperire itinera mysticae Iesu Christi Sponsae(amplissimumque eidem tribuere laboris campum in paene immensis Africae, Asiae et Americae terris; atque in iisdem innumeros parere Ecclesiae

filios pro iis, qui ab eius sinu miserrime descivissent. Tum dioeceses, paroeciae, sacricolarum seminaria, monasteria, valetudinaria ac publica pupillorum hospitia, fere ubique in regionibus illis excitata, vitalem vim virtutemque perennem catholicae Ecclesiae demonstrarunt, cuius incrementa divinus eius Conditor valida sua prece impetrat, cuiusque operae Paraclitus Spiritus tristissimis etiam temporibus suo obsecundat afflatu.

CAUSAE DILATATIONIS IMPERII ET RELIGIONIS CHRISTIANAE

5. At undenam evenit ut vos, etsi non multi, multa tamen in christianae rei publicae bonum patraretis facinora?[2]. Undenam Lusitanorum populus strenuam illam hausit fortitudinem, qua animatus tot potuit Africae et Asiae litora suo dominatu amplecti et ad longinquas etiam Americae terras pertingere? Id procul dubio ex eo evenit, quod gens ista, ut summus Lusitaniae poëta concinit, ardenti tenacique fide praestitit, et patriae vestrae moderatores ita christiana sapientia prudentiaque enituere, ut ipse Providentissimus Deus Natione vestra quasi pretioso docilique uteretur instrumento ad optima edenda praeclaraque gesta.

Etenim, cum eximii viri, gravissimi sui officii memores, ut Alphonsus de Albuquerque, ut Ioannes de Castro, Lusitanas colonias recte prudenterque moderantur, cumque tutelam auxiliumque suum probis Missionalibus impertiunt — quos Reges amplissimi, ut Ioannes III, ad regiones, suae gubernationi creditas, libenti animo mittendos curant — tum Civitas vestra universo terrarum orbi admirationi est ob imperii sui potentiam operamque egregiam, qua barbarae terrae ad humaniorem cultum redu-

[2] Cf. Camões, *Lusiadas*, VII, 3.

cuntur. At contra, cum catholica fides elanguescit, cum sacrarum Missionum studium torpescens decidit, cum denique rei publicae rectores apostolatus incepta praepediunt, nedum tueantur, atque religiosorum virorum Ordines dissipantes, divini verbi praeconum instituta enervant ac debilitant, tum pronum est actuosum illum rerum navitatumque ardorem una cum christiana fide caritateque deficere, quae quidem eundem ardorem gignunt atque alunt.

6. Si vos, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ad has quoque res, quae avitae gloriae luce non fulgent, mentem converteritis animumque vestrum, non id erit pro certo utilitate vacuum. At Nostrum est in praesens, dum per sollemnia pluries saecularia praeclaros inclite patriae vestrae fastos celebraturi estis, paterna vos adhortari voluntate ut egregia illa facinora memoria repetatis, quae tam multi e vestratibus edidere evangelicae veritatis satores; ita enim vos esse sentietis ad hoc avitum apostolatus studium etiam atque etiam excitatos.

Quoniam vero haec faustitatis vestrae celebratio, non sine Providentis Dei consilio, ad renascentem apud vos in praesens spiritualis vitae vigorem adiungitur; ac sollemnes conventiones — quae nuper, in rebus etiam ad sacras Missiones pertinentibus, mutuas rationes inter Apostolicam Sedem ac Civitatem vestram mutuamque in agendo concordiam composuere feliciter — optima auspicia faciunt meliorum temporum, idcirco rei consentaneum est id efficere ut, ex hac data opportunitate, apostolici vestrorum Missionalium labores nova, quae vetera aemulentur, incrementa suscipiant.

Ac quinam, apostolico studio animatus, sine cura neglegenterque consideret ex hominum multitudine, qui ad centiens centena milia terras Lusitanae dicioni subiectas incolunt, longe maximam partem evangelii lucem adhuc praestolari? Quisnam e generosa gente vestra id non accuret ut quod, hoc in rerum genere, Lusitanorum populo

non modo summae fuit laudi, sed summae quoque utilitati, nullo non tempore vigeat ac magis cotidie magisque promoveatur?

PAUCITAS MISSIONALIUM; NECESSITAS ORANDI

7. Nos igitur, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, dum patriae vestrae illustres eiusmodi memoriae gloriaeque mentem voluptate replent animumque Nostrum, dumque ad paene innumeros homines respiciatis cupimus, qui in coloniis vestris illos opperiuntur adhuc, qui eos Dei veritatem doceant, iisdemque « investigabiles divitias Christi [3] impertiant, haec hortamenta ac verba, a Divino Redemptore Apostolis habita, vobis iteramus: « Levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem » [4]; « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam » [5].

Utique « operarii autem pauci »! Veteres Lusitanae Africae dioeceses magna praeconum divini verbi afficiuntur penuria, amplaeque terrarum circumscriptiones paucis sunt Missionalibus concreditae.

8. « Rogate ergo Dominum messis »; imprimis rogate ut benignissimus Deus cum in Lusitaniae populo, tum in indigenarum gentibus vestrae dicioni subiectis, quam plurimos dignetur, vel sacerdotes, vel adiutores fratres religiosasque feminas, vel denique catechistas, ad huius apostolatus munus afflatu suo vocare.

In singulorum sacerdotum precibus haec sancta altissimaque ratio praecipuam partem habeat; ac peculiari hac de causa ii comprecentur, qui in sacros umbratilis vitae Ordines adsciti sunt; neque christifideles, cum praesertim Rosarium recitant, tantopere a B. Virgine Maria Fatimana

[3] Eph., III, 8.
[4] Ioan., IV, 35.
[5] Luc., X, 2.

commendatum, eidem Deiparae Virgini supplicare praetermittant, ut divinam ad missionale munus vocationem, uberi cum fructu, quam pluribus impetret.

9. Ac necessarium omnino videtur peculiares statuere dies, quibus, Augusto altaris Sacramento adorationi proposito, atque opportunis habitis sermonibus, sacrarum expeditionum opera foveantur. Idque cupimus fiat quovis anno in singulis paroeciis, in iuvenum collegiis sacrorumque Seminariis. Accurent omnes ut, statutis hisce diebus, Ecclesiae sacramenta participent; ac iuventus potissimum ad Eucharisticam mensam accedat, ut panem fortium ac « frumentum electorum »[6] sumat: tum enim forsitan hoc evenerit ut ex hisce non pauci divinum afflatum divinamque id genus vocationem, summo cum animi gaudio, sentiant.

CONSOCIATIO MISSIONALIS CLERI

10. At quisnam aptius quam clerus poterit haec sanctissima incepta fovere? Venerandos igitur Lusitaniae sacerdotes paterno compellamus animo eosque enixe adhortamur ut in missionalem cleri consociationem libenter coëant. Haec pia sodalitas, ut profecto nostis, quam proximi Decessores Nostri tantopere commendarunt, ac spiritualibus ditaverunt largitionibus, quamque Nosmet ipsi, bene eidem omnia precantes, summis honestamus laudibus, in fere omnibus Nationibus iam exstat, atque christiani populi conscientiam voluntatemque ad actuosum missionalium rerum studium excitat atque conformat.

11. Id etiam atque etiam in votis Nobis est, ut nempe missionalis Lusitani cleri consociatio, quae in initio est, citato gradu plena quamprimum incrementa capiat; quandoquidem ex sacerdotibus potissimum consociationis huius sollertem illam obventuram speramus operam, qua par-

[6] Zach. IX, 17.

vulae illae arbusculae studiose seligantur atque educentur, quas Christus Dominus idcirco in vinea sua excitaverit, ut aliquando in sacrarum Missionum campum transponantur.

Immo etiam Deus ipsemet praecipuum aliquid atque primarium ab administris suis exspectat, hoc est ut agros diligenter apparent atque excolant, in quibus eiusmodi arbusculae germinare queant. Sacerdotum enim est missionalium rerum cognitionem inter fideles omnes propagare, in eorumque animis incendere apostolatus huius flammam; quapropter — quod Decessor Noster fel. rec. Pius XI admonuit — nemo unus habeatur sacerdos qui caritate erga sacras expeditiones non ardeat [7].

Vobis igitur, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, haec verba atque mandata iteramus, quae in Encyclicis Litteris *Rerum Ecclesiae* habentur: « Consociationem cleri missionalem apud vos aut iubeatis constitui, aut iam constitutam ad acriorem in dies actionem consilio, hortatu, auctoritate vestra incitetis » [8].

12. Ac principio, sodalitatis huius officium esto typis editas hisce de rebus scriptiones omni ope fovere ac propagare. Si quae prelo excudentur de gravissima hac causa silebunt deque ingentibus Missionalium necessitatibus, tum procul dubio de iisdem non modo christianus populus sed clerus etiam fere nihil pensi habebunt.

Ephemeridi igitur, quam Lusitani cleri consociatio missionalis edit, quaeque inscribitur « O clero e as missões » bene ex animo dicimus, optamusque vehementer ut magis cotidie vigeat, omnesque Lusitaniae sacerdotes eorum memores officiorum reddat, quae ad catholicam promovendam fidem pertineant; eosdemque actuosiore apostolatus huius ardore inflammet.

Ceteris item hac de re commentariis, qui Religiosarum Communitatum operâ prostant, bene pari voluntate dici-

[7] Cf. *A.A.S.*, 1926, pag. 71.
[8] Ibidem.

mus; iisdemque ominamur ut, populum edocendo excitandoque, uberiores in dies felicioresque fructus afferant.

At peculiarem Benedictionem sacerdotibus illis impertimus, qui missionalem cleri consociationem generoso animo propagare contendant. Iisdem eorumque navitati bene omnia precamur; idque nominatim ut apostolicum illud, quo flagrant, studium innumeras iisdem vias rationesque praebeat, quibus sanctissimum propositum suum assequi queant.

ARDOR MISSIONALIS IN SEMINARIIS

13. Ac cupimus praeterea ut in ipsis sacrorum Seminariis sacerdotii candidatos exquisita imbuat ac solida missionalium rerum cognitio, quae quidem tantopere valet ad sacerdotalem animorum conformationem roborandam, quaeque valde erit cuivis muneri opportuna, Providentis Dei consilio singulis sacricolis destinando.

Quodsi, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ex benignissima Dei voluntate aliquis eorum ad sacras suscipiendas expeditiones vocetur, « iam nulla vos aut cleri penuria, aut dicecesis necessitas exanimet atque ab consentiendo detineat, cum populares vestri, salutis adiumenta ad manum, ut ita dicamus, habentes, longe absint minus a salute, quam ethnici... Data vero eius rei occasione, aequo animo, ob Christi animarumque caritatem, alicuius e clero iacturam faciatis, si quidem iactura dicenda est; quem enim amiseritis adiutorem laborumque vestrorum socium, eundem, vel copiosiore gratiarum in dioecesim effusione, vel aliis excitatis sacri ministerii tironibus, divinus Ecclesiae Conditor profecto supplebit » [9].

14. Id autem potissimum Nobis cordi est ut, quemadmodum in Goana Archidioecesi Sacerdotes ac Religiosi sodales ex ea gente delecti abunde affluunt, ita in ceteris

---

[9] *A.A.S.*, 1926, pag. 70 sq.

quoque regionibus, Lusitaniae subiectis, ecclesiasticae eorum locorum circumscriptiones, initum hoc in genere opus generose provehendo, clerum indigenam in exemplum florentem quam primum habeant; neque inibi, necessitatibus pares, sacrae desint virgines ex eadem terra ortae, in qua suum obeant munus.

Quandoquidem vero patriae vestrae nullo non tempore honori ducitur transmarinos dicionis suae populos cum Lusitanorum fortuna consociare, eosdemque ad eundem suae christianae culturae gradum efferre, Nos ex laudabili eiusmodi more vestro futurum confidimus ut quod, aetate hac nostra, summis Ecclesiae in votis est — clerum nempe ex indigenis rite institui atque educari — id feliciter ad effectum deducatur. Vos igitur, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, quidquid in facultate vestra est, pro certo effecturi estis ut haec spes ne irrita cadat, sed maturrime exitum sortiatur optimum.

SOLIDA INSTITUTIO CANDIDATORUM

15. At non satis est multorum Missionalium dilectum haberi; sed hoc praesertim necessarium est, sancte nempe conformare ad omneque instruere officii munus evangelicae veritatis praecones.

Habetis apud vos, ac procul dubio cordi vobis est insigne illud monumentum sollicitudinum Apostolicae Sedis erga eos, qui ad sacras expeditiones suscipiendas rite instituuntur; hoc est Lusitana Societas catholicis promovendis transmarinis Missionibus, quam Decessor Noster im. mem. Pius XI sapienti consilio volentique animo excitavit, quaeque, ut Nobismet ipsis peculiari curae est, ita Nos peculiari quoque spe recreat. Neque minus Apostolica haec Sedes operae navitatique confidit Religiosorum Ordinum ac Congregationum utriusque sexus, quandoquidem semper ex iisdem est, per aetatis decursum, optimorum

Missionalium maxima pars orta. Quamobrem in hisce Ordinibus ac Congregationibus magnam Nos exspectationem reponimus, magnamque sacrae ipsae Missiones reponunt. Et cum spirituales Lusitanarum coloniarum necessitates probe noscamus, valde cupimus ut Religiosis illis Communitatibus, quae huiusmodi iam expeditionibus dant operam, aliae quoque adiungantur laboris sociae, quas quidem locorum Ordinarii studiose foveant ac tueantur, ut magis cotidie magisque sacrorum operariorum numerus in amplissimis, Nationi vestrae subiectis, regionibus succrescat.

Collegiorum rectoribus, quae memorata Societas complectitur, itemque ceterarum Religiosarum Sodalitatum moderatoribus Nostrum pandere volumus animum, ut aperte cernant summopere Nos apostolicis sollicitudinibus affici, vehementerque exoptare ut missionalis muneris candidati et rite excolantur, et ad solidam doctrinam virtutemque conformentur.

Diligenter iidem perpendant neminem posse difficile arduumque apostolatus huius iter ingredi, qui ad id non sit peculiari Dei gratia vocatus; parique modo neminem posse susceptum hoc iter persequi, qui divino afflatui divinaeque vocationi non digne respondeat.

Siquidem evangelicae veritatis praeco non modo quod sit divinitus vocatus, idcirco homo Dei sit necesse est, sed etiam quod eidem se plene perpetuoque devoveat. « Etenim — ut Decessor Noster f. r. Benedictus XV per mirabilem Epistulam Apostolicam *Maximum Illud* edocet — homo Dei sit oportet, qui Deum praedicat; oderit peccatum, qui odisse peccatum iubet. Maxime apud infideles, qui sensu potius, quam rationibus ducuntur, multo plus proficitur fidem exemplis praedicando quam verbis » [10].

Agitur heic, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, de vitae sanctimonia, quae altas in animis radices egerit, non vero de manca illa ac ieiuna probitate, quae corruptis

---

[10] *A.A.S.*, 1919, pag. 449.

ethicorum moribus facile inficiatur. Qui enim a Paulo describuntur « habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes » [11], non ii profecto erunt sal terrae, qui corruptelarum vulnera persanet, neque lux mundi, quae sedentes in umbra mortis viam redemptionis edoceat. Atque utinam ne fiant ipsimet, averruncet Deus, corruptelis hisce misere obnoxii, vel earundem, quod peius est, infelices magistri.

16. Ac praeterea necessarium est sacrarum Missionum candidatum ad ea omnia rite conformari, quae tum ad solidam doctrinam, tum ad pastorale munus pertineant, ita ut quasi « sapiens architectus » [12] Regni Dei exsistere queat.

17. Neque satis est amplam eum atque exquisitam adeptum esse sacrarum rerum scientiam, sed profanas etiam disciplinas, quae ad munus suum pertineant, pernoscat oportet; quarum quidem sacrarum profanarumque disciplinarum si sit expers, soloque ardore suo ductus, in mobili arena exstruendae fabricae fundamenta ponat.

Divini Magistri vestigiis insistens, « qui pertransiit benefaciendo et sanando » [13], eiusque mandatis obsequens, qui edixit: « curate infirmos » [14], et « docete omnes gentes » [15], Missionalis, non modo docte sapienterque de Regno Dei loquatur, sed tot etiam corporibus sanandis, infectis morbo miseriisque, ad rem opportune instructus ac Iesu Christi caritate permotus, manus admoveat; atque ita una simul mente erigat, animosque superstitionum impietati addictos, et in incomptam barbariam ingurgitatos, ad humaniorem vitae cultum relevet, iisdemque illucescere iubeat evangelicae doctrinae lumen.

Enimvero, prope sacras Dei aedes, in regionibus praesertim Missionali demandatis, nullo non tempore Ecclesia,

---

[11] II Tim., III, 5.
[12] I Cor., III, 10.
[13] Act., X, 38.
[14] Luc., X, 9.
[15] Matth., XXVIII, 19.

a Spiritu Sancto edocta, non modo pupillorum hospitia ac valetudinaria excitavit, sed litterarum etiam ludos. At quisnam alius erit, nisi apostolicus hic christianae veritatis praeco, « sapiens architectus » horum sanctissimorum operum? Quomodo vero id efficiat, nisi sit a necessariis omnibus animi ornamentis, disciplinis virtutibusque instructus?

SORORES MISSIONALES

18. Quae adhuc, de Missionalibus edisserendo, hortamenta impertivimus, iis etiam omnibus eadem iteranda sunt, qui placido, sed operoso ac benefico, exercitui rite instituendo dant operam, qui quidem ex religiosarum virginum agminibus constat, quarum pia navitas necessaria praebet adiumenta sacris fovendis expeditionibus.

Novimus sacrarum virginum Congregationes in Lusitania magis in dies magisque increbrescere; in iisdem igitur sedulo accurateque earum dilectus fiat, quae ad Missiones adiuvandas divina sint gratia vocatae; ita quidem ut maiore cotidie numero, aptioreque cotidie conformatione praedictae ad hoc munus ingrediendum illae proficiscantur, quae et aegrorum ministrae, et iuventutis institutrices, et catechesis magistrae, ea omnia efficere valeant, quae ab iisdem peculiaria apostolatus huius officia postulent.

Probe illi considerent, ex quorum opera eiusmodi gravissima causa pendet, tanto maiora incrementa hac in re Missionales esse Sorores feliciter edituras, quanto ac diligentior fuerit religiosa earum mentis animique institutio. Atque utinam, adspirante Deo, ad sollertem earum navitatem actuosa etiam accedat multarum sanctissimarumque indigenarum Sororum navitas.

ADHORTATIO AD MISSIONALES

19. At haec pertractantes, non vos, dilectissimi filii, oblivioni dedimus, qui iam Divini Magistri mandato illi obtemperastis: « Duc in altum » [16]. Sollicita enim mente vos consalutamus omnes, vobisque voluntatem confirmamus et addimus, qui, in medio iam mari eluctando fatigandoque, Dei Regni fines producere contenditis. Ac postquam animum ereximus vestrum, vos singulos universos Apostoli gentium verbis obtestamur: « Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfunsibilem » [17]. « Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate » [18]. Atque una cum eodem Apostolo, necessaria vobis adiumenta suggerere cupientes, quibus haec adhortamenta ad rem deduci queant, id unum atque potissimum vobis commendamus: « Sectare... pietatem » [19]. Etenim si divina gratia vestros imbuerit animos, in ea omnia non influere non poterit, quae circa vos sunt, quandoquidem hac lege Dei Regnum regitur. Nam « simile est Regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum » [20].

20. Vestri sacrarum expeditionum annales divinae huius legis veritatem luculenter testantur. Siquidem, dum laicorum hominum missiones, ut aiunt, quas nonnulli in catholicarum Missionum locum subdere conati sunt, paene nullos edidere fructus, at contra apostolici illi viri, ut Franciscus Xaverius, ut Ioannes de Brito, non modo ad spiritualem animarum salutem, sed ad auctiorem etiam Lusitaniae fortunam tantopere contulerunt. Eos igitur digna aemulatione prosequamini!

---

[16] Luc., V, 4.
[17] II Tim., II, 15.
[18] I Tim., IV, 12.
[19] I Tim., VI, 11.
[20] Matth., XIII, 33.

Hoc anno, ut nostis, die xv mensis martii, quartum expletum est saeculum, ex quo S. Franciscus Xaverius ad sacras fuit Lusitaniae Indiae expeditiones divinitus vocatus. Quae quidem divina vocatio per epistulam eidem innotuit, quam Ioannes III, Lusitaniae Rex, eo consilio Romam misit legato suo, ut probatos Missionales requireret omnique virtute praeditos, qui ad Indiarum regiones proficiscerentur. Ac procul dubio asseverari potest Sanctum illum sacrarum Missionum Patronum uberrima mercede Nationem esse vestram remuneratum ob pretiosissimum auxilium, quo eadem apostolico huic viro opitulata est ad divinae vocationi suae ultro libenterque respondendum. Nihil enim maius ille pro certo in Lusitaniae bonum operari potuisset, si ex patria vestra fuisset ortus. Videtis, dilectissimi filii, quam magna sit, quamquam benefica sanctitatis virtus; ex ea igitur imprimis muneri quoque vestro felices exitus sperare licet. Quapropter, quod S. Franciscus Xaverius ac B. Ioannes de Brito ceterique e gente vestra apostolici viri institutum atque propositum in sacris expeditionibus suis, summo cum religionis Nationisque Lusitanae emolumento, sibi sumpserunt, idem vobis esto in hisce Divini Magistri verbis significatum: « Sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati » [21].

ADHORTATIO AD POPULUM LUSITANUM

21. In praesens autem, antequam dicendi finem facimus, generosum Nobisque carissimum Lusitanum populum appellamus.

Christus Dominus iis omnibus, qui divinis iam Redemptionis beneficiis fruuntur, id officii commendat, ut cum fratribus suis, caelestis huius gratiae expertibus, eadem beneficia participent. Iamvero amplissimas colonias

---

[21] Ioan., XVII, 19.

vestras fratres incolunt, ad centena milia bene multa, qui a vobis peculiari modo evangelicae veritatis lucem postulant atque opperiuntur.

Vos igitur adhortamur omnes, ut, sanctissima inter vos instituta contentione, sacras Missiones vestras omni, qua potestis, ope provehatis.

Quemadmodum olim maiores vestri, quorum praeclarissima gesta hoc anno commemorando celebratis, suos duces et equites circumsaepiebant, cruce signatorum vexillum agitantes, ac vel eosdem animose comitabantur, vel — facultate hac non data — precibus, studiosa voluntate, auxiliisque suis eos prosequebantur, ita vos honori summo vobis tribuite, si filios vestros, si supplicationes, si adiumenta sacris fovendis Missionibus destinaveritis.

Ac peculiari modo haec sanctissima, de qua loquimur, contentio ad eos pertineat, qui in pacificis Catholicae Actionis agminibus militant.

Benignissimus Deus procul dubio, ut generosa eiusmodi incepta, ita nobilissimam Lusitanorum gentem suarum cumulabit benedictionum largitate. Ac Beata Virgo Maria a S. Rosario, quae Fatimae colitur, eademque Magna Dei Parens, quae prope Naupactum magnam reportavit victoriam, potentissima tutela sua vobis aderit; vobisque itidem aderunt et S. Franciscus Xaverius, Sacrarum Missionum Patronus ac patriae vestrae quasi ex adoptione filius, et B. Ioannes de Brito, una simul cum ceterorum Lusitaniae sanctorum Missionalium inclita phalange.

Interea autem, caelestium gratiarum auspex, paternaeque benevolentiae Nostrae testis, Apostolica sit Benedictio, quam vobis, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ac singulis gregibus, unicuique vestrum commissis, effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIII mensis Iunii, in festo S. Antonii, anno MDCCCCXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XII

SUMMARIUM ANALYTICUM

INTRODUCTIO: *Epistulae occasio; S. Sedes et Lusitaniae independentia* (nn. 1-2)

PARS I: *Conspectus historicus*: Summarie describitur labor missionalis Lusitaniae (nn. 3-6)

a) Missionales in expeditionibus transmarinis

b) Eorum apostolatus uberrimi fructus (n. 4)

c) Fontes horum fructuum; causae subsequentis torporis (n. 5)

d) Denuo excitandum avitum apostolatus studium (n. 6)

PARS II: *Disquisitio pastoralis*: Media efficacia apostolatus missionalis proponuntur (nn. 7-20)

a) Permulti infideles in coloniis Lusitaniae; pauci Missionales (n. 7)

b) Quid faciendum sit ad augendum numerum Missionum (nn. 8-11)

1) Orandum praecipue a sacerdotibus

2) Designetur dies ad orandum pro hac peculiari intentione

3) Excitentur a clero vocationes missionales

c) Cooperatio cleri lusitani ad opera missionalia (nn. 12-14)

1) Consociato missionalis cleri foveatur

2) Scripta missionalia divulgentur

3) Scientia et amor rerum missionalium in Seminariis promoveatur

4) Opus cleri indigenae adiuvetur

d) Institutio candidatorum missionalium (nn. 15-17)

1) Solidae virtutes

2) Sacrarum disciplinarum cognitio

3) Profanarum disciplinarum acquisitio ad ludos litterarios et valetudinaria erigenda

e) Recta institutio Sororum Missionalium (n. 18)

f) Adhortatio ad Missionales (nn. 19-20)
   1) Salutatio
   2) Sint exemplo fidelibus
   3) Sectentur pietatem
   4) Imitentur S. Franciscum Xaverium et B. Ioannem de Brito

g) Adhortatio ad populum lusitanum (n. 21).

2 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Motu Proprio 1 dec. 1940

MISSA, QUAE MEDIA NOCTE NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI CELEBRARI SOLET, IN PERVIGILIO EIUSDEM NATIVITATIS SUB VESPERAM CELEBRANDA PERMITTITUR.

(*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 530 s.)

Cum bellica conflictio in praesens non exercitibus modo, sed interdum etiam pacificis civibus ruinam caedemque afferat, Nos, qui paternum erga cunctos populos gerimus animum, nihil reliqui facimus quod aliquid valeat superni saltem solacii iis omnibus impertire, qui belli causa quovis modo aegerrime afficiantur.

Iamvero, adventantibus Nataliciis Sollemnibus, Nobiscum animo recogitamus non sine difficultate ac discrimine fore ut sacri ritus, qui media nocte Nativitatis Domini summa cum christiani sensus delectatione haberi assolent, haud paucis locis a christifidelibus celebrari queant. Etenim multis in Nationibus ob nocturnas aëronavium incursiones, quae hinc inde ab inimicis perpetrantur, lege cautum est ut omnia restinguantur vel obstruantur lumina, ne facilius urbes, oppida, pagi irruentium e caelo hostium offensionibus pateant.

Futurum utique sperare ac confidere Nobis liceat, ut sanctissima saltem ea nocte sanctissimoque die, vel sponte, vel ex condicto, indutiae ab omnibus fiant, ne armorum

clangor iteratos in sacris aedibus angelicos pacis concentus obruat, neve fraterni cruoris effusio caelestem illius horae laetitiam obturbet ac misere interimat.

Utcumque tamen, Nos cupientes admodum, quod supra diximus, ut nihil christifidelibus desit e supernis muneribus ac solaciis, re mature perpensa, motu proprio ac de apostolicae plenitudine potestatis haec, quae sequuntur, decernimus ac statuimus:

I. Perdurantibus harum tristissimarum rerum adiunctis, in iis regionibus, in quibus lex obstruendae lucis viget, singulis locorum Ordinariis concedere liceat, ut in Ecclesiis Primatialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis et Paroecialibus unica Missa Conventualis vel Paroecialis, quae media nocte Nativitatis Domini celebrari potest, in pervigilio sub vesperam celebretur: ita quidem ut cum sacri ritus finem habeant, aliquid supersit temporis antequam lex, de qua supra, in effectum deducatur. Id ipsum pariter locorum Ordinarii concedere possunt ceteris ecclesiis et oratoriis publicis — non vero semipublicis privatisque oratoriis — dummodo sive ex saeculari vel immemorabili consuetudine, sive ex indulto Apostolico privilegio fruantur celebrandi Eucharisticum Sacrificium media nocte Nativitatis Domini.

II. Ante Missam Conventualem, de qua supra, vespere celebrandam, Matutinum in choro recitari potest, idem incipiendo, pro opportunitate, vel ab hora duodecima.

III. Qui sacerdotes hac concessione fruiti fuerint, poterunt postridie duas solummodo Eucharisticas litationes peragere, si modo naturale ieiunium a media nocte servaverint.

IV. Oportet autem sacrorum administri, qui hoc privilegio utantur, cum divina hostia in pervigilio Nativitatis Domini litare incipiant, quattuor iam horas nihil cibi vel potus sumpserint.

V. Ii omnes, qui Eucharistico Sacrificio, in pervigilio

Nativitatis Domini celebrato, pie intererunt, praecepto die Natali audiendi sacra satisfacient.

VI. Ac praeterea christifideles omnes, qui pridie Natalem Domini sub vesperam Eucharistico Sacrificio intererunt, etiamsi iam mane Eucharistico pabulo sese enutrierint, ad sacram tamen Synaxim accedere poterunt, dummodo rite expiati riteque dispositi quattuor itidem iam horas nihil cibi vel potus sumpserint. Nequibunt vero iidem postero die divinam iterum hostiam de altari libare.

Quae vero a Nobis hisce litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse volumus ac iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die I mensis Decembris, anno MDCCCCXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XII

3 - SS. D. N. Pius Pp. XII

SERMO

QUEM SS.MUS D. N. PIUS PAPA XII HABUIT DIE XXIV MENSIS DECEMBRIS A. MCMXL, IN PERVIGILIO NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI, ADSTANTIBUS E.MIS PP. DD. CARDINALIBUS ET EXC.MIS DD. EPISCOPIS AC ROMANAE CURIAE PRAELATIS.*

(*AAS* XXXIII [21 ian. 1941] p. 5 ss.)

.....Ma i presupposti indispensabili per un tale nuovo ordinamento sono:

1. La vittoria sull'odio, che oggi divide i popoli; la rinunzia quindi a sistemi e a pratiche, da cui esso riceve sempre nuovo alimento. Ed invero al presente in taluni Paesi una propaganda senza freno e che non rifugge da

* Eam solam Augusti Sermonis partem referimus, quae praesupposita essentialia ad *novum rerum ordinem* exhibet.

manifeste alterazioni della verità mostra, giorno per giorno e quasi ora per ora, alla pubblica opinione le nazioni avversarie in una luce falsata e oltraggiosa. Ma chi vuole veramente il benessere del popolo, chi brama di contribuire a preservare da incalcolabili danni le basi spirituali e morali della futura collaborazione delle genti, considererà come un sacro dovere e una alta missione di non lasciare andar perduti, nel pensiero e nel sentimento degli uomini, gli ideali naturali della veracità, della giustizia, della cortesia e della cooperazione al bene, e soprattutto il sublime ideale soprannaturale dell'amore fraterno portato da Cristo nel mondo.

2. La vittoria sulla sfiducia, che grava come peso deprimente sul diritto internazionale, rende inattuabile ogni verace intesa; un ritorno quindi al principio: *Iustitiae soror incorrupta fides;*[9] a quella fedeltà nell'osservanza dei patti, senza cui non riesce possibile una sicura convivenza di popoli, e soprattutto una coesistenza di popoli potenti e di popoli deboli. *Fundamentum autem* — proclamava l'antica sapienza romana — *est iustitiae fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas.*[10]

3. La vittoria sul funesto principio che l'utilità è la base e la regola dei diritti, che la forza crea il diritto; principio, il quale rende labile ogni rapporto internazionale, con gran danno specialmente per quegli Stati, i quali, sia per la loro tradizionale fedeltà ai metodi pacifici, sia per la loro minore potenzialità bellica non vogliono o non possono contendere con altri; il ritorno quindi ad una seria e profonda moralità nelle norme del consorzio fra le Nazioni, ciò che evidentemente non esclude nè la ricerca dell'utile onesto nè un opportuno e legittimo uso della forza per tutelare diritti pacifici con violenza impugnati o ripararne le lesioni.

4. La vittoria su quei germi di conflitto, che consistono

---

[9] Horatius, *Od.*, I, 24, 67.
[10] Cicero, *De officiis*, I, 7, 23.

in divergenze troppo stridenti nel campo dell'economia mondiale; quindi un'azione progressiva, equilibrata da corrispondenti garanzie, per giungere ad un assetto, il quale dia a tutti gli Stati i mezzi per assicurare ai propri cittadini di ogni ceto un conveniente tenore di vita.

5. La vittoria sullo spirito di freddo egoismo, il quale, baldanzoso della sua forza, facilmente finisce col violare non meno l'onore e la sovranità degli Stati che la giusta, sana e disciplinata libertà dei cittadini. In luogo suo deve subentrare una sincera solidarietà giuridica ed economica, una collaborazione fraterna, secondo i precetti della legge divina, fra i popoli fatti sicuri della loro autonomia ed indipendenza. Finchè nelle dure necessità della guerra parleranno le armi, difficilmente si potranno attendere atti definitivi nel senso della restaurazione di diritti moralmente e giuridicamente imprescrittibili. Ma sarebbe ben da augurarsi che sin da ora una dichiarazione di massima a favore del loro riconoscimento venisse a calmare l'agitazione e l'amarezza di quanti si sentono minacciati o lesi nella loro esistenza o nel libero svolgimento della loro attività.....

Annotationes

I

Haud pauci, aiebat S. Pontifex Pius XII in Litteris Encyclicis « Summi Pontificatus », cum fractos noverint dolore summo hominum nisus eo spectantes, ut tempestates compescant atque coerceant, quae civilem cultum humanitatemque subvertere contendant, oculos experrecta spe ad Ecclesiam, veritatis caritatisque arcem, et ad hanc Beati Petri Cathedram erigunt, unde intelligunt eam restitui posse religionis moralisque disciplinae unitatem, qua superiore aetate mutuas populorum necessitudines tutas ac pacatas consistere iusserit ».

Eorum spem non fuisse inanem in comperto est omnibus, qui hoc potissimum tempore veritates e Beati Petri Cathedra mira claritate propositas meditari et flumina caritatis, e sinu Matris Ecclesiae indesinenter profluentia, contemplari voluerint. Sane nemo est qui non meminerit quam intrepido animo S. Pontifex f. r. fontes patefecerit, e quibus colluvies calamitatum publicarum originem ducit; nec his contentus, continuo sapientissima principia palam protulit, quibus veluti fundamentis necessario inniti debebit novus ordo socialis et internationalis, qui humanus simul et solidus esse velit.

Dum vero praesens, nunquam satis lugenda, belli calamitas perduret, qua selecta familiae humanae pars crudelissime torquetur, locus non erit, ut patet, huic perarduo labori rectae rerum publicarum ordinationis instituendae directe incumbendi. Id etsi verissimum sit, non inde tamen licet concludere nos, otiosae quieti deditos, exspectare posse cessationem terrifici actualis conflictus, ut illud necessarissimum opus tandem aggredi incipiamus. Adest enim efficienda et fovenda quaedam praeparatio animorum, sine qua difficillime poterit, affulgente sereno die pacis, desideratissimus rerum ordo, iustitiae aequitatique conformis, et institui et consolidari. Labori apostolico igitur, qui ex officio incumbit Ecclesiae, imminent, etiam ipso perdurante bello, immania onera, quibus portandis debent omnes, qui veri christifideles esse velint, strenua cooperatione conferre.

Quo pacto, inquies, poterit quis huic necessariae animorum praeparationi cooperari? Plenum et adaequatum responsum ad hanc quaestionem inveniet quicumque duas Allocutiones a S. Pontifice Pio XII, in decursu anni proximi elapsi habitas, attente legere velit [1]. Iuvabit fortasse quaedam in his duabus memorandis Allocutionibus prolata paucis nunc exponere.

---

[1] *A.A.S.*, XXXII, 270; XXXIII, 5.

II

Vere triste spectaculum obversatur ante oculos S. Pontifici paterno animo universam familiam humanam contemplanti. Dum in vasto campo belli strages materiales congeruntur sine fine, augetur in dies numerus eorum, qui duro flagello vel doloris vel afflictionis subiciuntur. Quis numerare poterit tot, occasione belli, vel morte ereptos, vel vulneribus discruciatos, vel libertate orbatos, vel violenter familiae et patriae abreptos, vel denique fame et inopia crudeliter vexatos?

En alius ingens exercitus, cuius cura cordi debet esse Ecclesiae. Et de facto R. Pontifex, paterna sollicitudine motus, nihil intentatum relinquit ut tot miseris aliquid saltem solacii afferat. Tam qui captivitate detinentur, quam qui procul a propriis aedibus hinc inde incerta sorte vagantur, communis Patris cura haud semel caritatis christianae actionem beneficam persenserunt. Nec inter tot acerbos dolores, quibus S. Pontifex afficitur, erit ille ultimo loco ponendus, qui provenit ex difficultatibus humana voluntate interpositis ad hanc ipsam actionem beneficam et exercendam et ampliandam. Neminem fugit his in calamitosis adiunctis incertitudine circa sortem propinquorum non leviter quandoque affligi animos; hinc est quod S. Pontifex alacri promptitudine omnia media adhibere voluerit, quibus Ecclesia, utpote societas universalis, uti potest, ad huiusmodi incertitudines, quatenus id fieri posset, quam primum dissipandas. Nec defuit in hoc opere caritatis exercendo dulce praemium solacii, quo paternum cor suaviter perfunditur, dum filiorum animos vel spe recreatos vel serena fortitudine roboratos sentit.

Damna illa materialia et externa, de quibus supra, etsi ingentia sint et deploranda, nequeunt tamen aequiparari tristissimae eversioni patrimonii spiritualis et moralis, quod est summum bonum a familia humana acquisitum.

Profecto, sanctissimae normae naturalis aequitatis, servandae quoad eos qui ad exercitus non pertinent, facile negliguntur et consuetudines vel pacta, vim pro tempore belli habentia, nihili fiunt. Hac via si incedatur etiam in posterum, facile contingere poterit ut, defervescente tandem impetu passionum, plane agnosci debeat paginas historiae humanae, quae acta nostrae aetatis referant, inter atrociores obscurioresque universae historiae humanae esse recensendas. Quidquid enim civilis cultus decursu saeculorum assecutus est, quidquid religio christiana divinitus apertissime nos docet, id omne aestu passionum, vel oblivioni traditur, vel saltem arbitrariis interpretationibus turpiter deformatur.

Officia aequitatis ex ipsis visceribus naturae humanae sponte orientia stant, ait S. Pontifex et stare debent, etiam ipso tempore belli. Quae normae sunt applicandae, non solum in ipso gerendo bello, sed etiam in gubernandis territoriis illis, quae occupata fuerint in vicissitudinibus conflictus. Ordinatio iuridica in eis provisorie statuenda omnino debet conciliari cum praescriptis iuris gentium et cum exigentiis naturalis aequitatis, personis humanis prorsus debitae. Cautiones utique pro securitate exercitus, qui territorium occupat, praescribi possunt; sed etiam pari tempore bonum commune civium in illo territorio degentium debet et curari et foveri. Qui his sapientibus normis adhaereat, non poterit non revereri vitam civium et eorundem honorem bonaque materialia intacta relinquere. Sub aspectu autem religioso, tam exercitium cultus divini, sive privati sive publici, quam assistentia spiritualis, cuique populo propria lingua impertienda, permitti debebit et libertas instructionis et educationis religiosae ususque independentis bonorum ecclesiasticorum concedi. Quibus omnibus accedat necesse est libera communicatio inter Pastores et christifideles pro iis rebus quae ad regimen spirituale spectant.

Summorum principiorum generica enunciatione mini-

me contentus, descendit R. Pontifex ad nonnullas conclusiones, logice exinde fluentes, pressius determinandas clareque proponendas. Quae si, bello saeviente, ad praxim diligenter reducerentur, solida spes tandem adesset nobis, fore ut, obmutescente fragore armorum, etiam pax vera acquireretur ac in posterum conservaretur. Bellum geritur, aiebat S. Augustinus, ut pax acquiratur; sed ut haec sit vera, bellum debet esse non modo iustum, sed etiam iusto modo peractum. Id autem postulat ut etiam in strepitu armorum vox iustitiae, aequitatis et humanitatis diligenter exaudiatur.

Haec est via quae recta ducit ad desideratissimum novum rerum ordinem, quem omnes unanimi consensu post cessationem hodiernarum calamitatum institutum iri proclamant. Cognitio experimentalis defectuum, quibus ordo hucusque vigens laborabat, et potissimum acerbi luctus flumina, quibus ille obrutus est, vehementer impellunt animos ad meliorem ordinem quaerendum, in quo tandem aliquando sapientes normae iuridicae, sive nationales sive internationales, sancte ab omnibus serventur. Nec mirandum quod in hoc legitimo desiderio novi rerum ordinis ii praecellant, qui victum cotidianum labore manuum suarum inter magnas difficultates sibi procurare tenentur. Prima enim victima instabilis aequilibrii, sive socialis sive internationalis, est humilis coetus operariorum, qui facile maiorem partem familiae humanae complectetur.

Sed ut hic desideratissimus novus rerum ordo sensu pleno ornetur atque quid pulchrum dignitatique humanae congruum prae se ferat, immutabilibus normis moralitatis innitatur necesse est. Quod ut ita fiat, debemus iam nunc eo convertere animos, ut veritatem a fallaci specie rerum rite distinguentes, rationisque voci semper attentas aures praebentes, rectum iustitiae exercitium, sive in propriis iuribus exigendis, sive in obligationibus erga alios adimplendis, sincere appetamus. Hoc modo novus rerum ordo statuetur, qui non debeat per vim intrudi. Quidquid enim

violenta manu imponitur, caret generatim valore dignitatique humanae repugnare solet, et certe non poterit unquam consensum sincerum et laetabundum partis subactae obtinere.

Ducem se nobis praebet in hac via pacis, difficultatibus haud levibus scatente, Mater Ecclesia, cuius est non modo principia revelationis et moralitatis supremae palam exhibere, sed etiam inexhauribile patrimonium christianarum societatum integre posteris transmittere, ut singuli populi, modo characteri proprio magis idoneo, vi in thesauro christianae doctrinae reposita libere uti possint. Sic tandem exsurget societas humana vere digna altaque spiritualitate informata, quae simul ac intolerabile iugum perennis discidii excutiat quod nos hucusque vexavit, fons temporalis prosperitatis uberrimus evadat.

III

Quod eo facilius obtinebitur, quo magis pateat aditus omnibus populis ad bona materialia, ubique terrarum disseminata, procuranda, quibus suis quisque civibus vitam homine dignam possibilem reddere possit. Negari enim nequit nimiam in campo oeconomico inaequalitatem germina inimicitiarum secum ferre, quae data occasione in bellicas inter diversos populos collisiones facile erumpet. Hac in re longa utique est percurrenda via; eam tamen necessario ingredi debent Status, ut sapienti gradatione scopus desideratus attingatur. « Sua cuique bonorum attribuenda est, aiebat Pius XI in Litteris Encyc. « Quadragesimo anno », efficiendumque ut ad boni communis seu socialis iustitiae normas revocetur et conformetur partitio bonorum creatorum, quam hodie ob ingens discrimen inter paucos praedivites et innumeros rerum inopes gravissimo laborare incommodo cordatus quisque novit » [2].

[2] *A.A.S.*, XXIII, 197.

Quod hoc loco de individuis particularibus dicitur, servata proportione applicari potest etiam populis ipsis.

Neminem latet huic mutationi oeconomicae, necessario introducendae, innumeras opponi difficultates, quae superari nequibunt absque sincera voluntate aequae pacis et intimo sensu fraternitatis universalis. Si enim Status, qui vi pollet, non pervenit intra proprium ambitum ad aequam distributionem bonorum inter diversos coetus suorum civium de facto introducendam, qui fieri poterit ut haec iustitia distributiva in campo internationali instituatur, si praevie vires spirituales totam suam activitatem non exserant? Atque illud hoc loco obiter notare liceat, scilicet quod qui magis contra hanc inaequalem distributionem bonorum inter diversos populos insolescunt, sint non raro qui intra proprium Statum maiores difficultates opponunt iustitiae sociali inter diversos coetus civium instituendae. Hic agendi modus sponte sequitur ex illa animi dispositione, qua quis promptus esse solet ad iustitiam invocandam, cum de proprio iure exigendo agitur, et ad iniustitiam admittendam, cum obligationes erga alios adimpleri debent. Quae de recta distributione bonorum materialium docet S. Pontifex, praesuppositum quoddam essentiale constituunt ad illam veram et duraturam pacem, de qua late in Allocutione praecedentis anni, quam primum stabiliendam.

Sed novus rerum ordo, qui principiis ibi a S. Pontifice propositis respondeat, induci non poterit, nisi sedula animorum praeparatio fiat, sine qua auspicata illa ordinatio iuridica internationalis, aut impossibilis obtentu erit, aut saltem veluti corpus exanime, proprio spiritu exutum, remanebit. Qui vult ergo aequam pacem pro tempore futuro, debet iam nunc arduae praeparationi animorum indefessam operam dare.

IV

Atque in primis mutuum odium, quo hodie flagrant inter se populi, est e medio tollendum. Si quis in vita privata odio ducitur, vere brutis animalibus inferior cordatorum iudicio habetur; id autem valere etiam videtur, si obiectum odii sit non iam persona aliqua privata, sed integer coetus civium vel populus. Est igitur penitus eradicanda e corde humano ominosa planta odii.

Dolendum sane quod his temporibus indesinenter proferantur in medium quae populi adversarii deformatam imaginem praebent. Iam evulgatio exclusiva criminum, in quibus nec vestigium iustitiae humanitatisque apparet, confert summopere ad odium magis magisque insculpendum. Quid quod systematice veritas deturpetur, semper ac de populis adversariis sermo fiat? Qui respondere debent de vita publica, si re vera proprii muneris conscii sint, huic turpissimo agendi modo aditum praecludere tenentur; nihil enim poterit nocere efficacius fidae cooperationi inter populos serius instaurandae. Si veracitas, iustitia, humanitas et potissimum fraterna caritas, a Christo D. instillata, e societate humana evanescant, damnum irreparabile inferetur ipsi fundamento spirituali futurae pacis. Ante omnia et super omnia veritas; ecce postulatum maximum naturae humanae. Nihilominus possit fortasse non sine ratione dici nihil difficilius quam veritatem in hoc mundo. detegi. Quod exinde procul dubio provenit, quod de facto perpauci sint qui eam sincere quaerant in tota sua plenitudine.

Huic amori veritatis accedere debet fides incorrupta in promissis servandis. Non solum privata pacta, sed etiam internationalia vi iuridica, moraliter inviolabili, praedita sunt. Ea si impune conculcentur, malefica diffidentia, quae nunc totum ordinem internationalem pervadit, etiam in posterum familiam humanam inficere perget. In hoc autem

vitioso aëre secura vita internationalis, pacifica coëxistentia Statuum, sive praepotentes sint ii sive debiles, omnino impossibilis redditur.

Debent insuper a nostris animis exulare effata illa, quae contendunt, sive utilitatem propriam esse normam ad definienda iura, sive vim creare ius; ea enim omnem vitam internationalem in ruinam trahunt damnumque inferunt gravissimum Statibus, qui vel pacem ardenter amant, vel bellum sustinere nequeunt. Supremae normae moralitatis, quae e lege divina luce clarius fluunt, aequo modo afficiunt et personas privatas et auctoritatem publicam cuiuslibet societatis. Converti debent igitur nostrae mentes ad aeternas illas normas, quae dum tranquillitati vitae internationalis prospicient, minime impedient quominus, vel intendatur quod utile et honestum sit, vel etiam vis adhibeatur ad iura legitima defendenda violationesque forte commissas opportune reparandas.

Demum immoderatus proprii commodi amor est fortiter compescendus; is enim, si vi potiatur, ad intolerabile regimen tendit, in quo et usus legitime libertatis civibus interdicitur et independentia dignitasque Statuum contemnitur. Quo quid tristius quidve scelestius! Quae funesta animi dispositio, etiam in iis qui suprema rerum potestate potiuntur, est perinde ac in personis privatis acriter obiurganda. Illi substitui debet sincera voluntas instituendi, secundum praecepta legis divinae, ordinem iuridicum et oeconomicum, in quo tam independentia legitima diversorum Statuum quam cooperatio fraterna inter omnia membra familiae humanae securae reddantur.

Haec sunt principia, e thesauro doctrinae christianae deprompta, quibus animi informentur necesse est, si vera pax in nostra vexatissima mundi plaga institui debeat. Patet nos ab hac sublimi meta longe adhuc distare. Id facile agnoscetur ab omnibus, si eos excipias, qui exaggerata quadam et inconsulta fiducia pervasi verum rerum statum quasi velamentis obtegere contendunt. Nec desunt

inter ipsos, christianae religionis asseclas, ut ait S. Pontifex, qui mediis in calamitatibus hodiernis a virili spiritualitate in praxi vitae christianae deficientes, securam illam et vividam firmitatem amittunt, sine qua possibile non erit sentire diu pleno fervore cum Ecclesia. Immo, iam nunc non pauci christiani, falsis principiis vel speciosis praeiudiciis moti, opiniones et dictamina amplectuntur, quae a fonte sapientiae christianae originem minime ducunt.

Sic non pudet eos loqui absolute de iure victoriae vel de adhibendis omnibus mediis ad gloriosum exitum belli conducentibus, quin in eorum sermonibus ad iustitiam causae vel ad legitimitatem mediorum ullo modo, saltem explicite, alludatur. Nec fortasse temeritatis notam incurreret qui ab iis huiusmodi postulata fundamentalia moralitatis implicite negligi assereret. Loqui enim videntur huiusmodi christifideles, perinde ac si merus successus armorum aliquid veri iuris secum afferat, vel possint omnia media indistinctim adhiberi ad finem quendam praestitum assequendum. Quo quid alienius a doctrina christiana!

Ast haec minime dicta sunt, ut sinceri christifideles animo se demittant vel ignaviae indulgeant, sed potius ut convenienter ab erroribus praemuniti suam alacrem activitatem exserere pergant. Permagnus sane arduusque labor restat perficiendus! Ei debent in primis incumbere sub sapienti ductu hierarchiae ecclesiasticae agmina Actionis catholicae, quibus omnes ministri ecclesiastici et personae religiosae, tam verbis quam exemplo, ubique praeire tenentur. Sic tandem sternetur via, quae homines ad perfectae pacis templum ducat, in quo, post expulsum quodlibet genus odii vel vindictae, nobilis maiestas iustitiae solummodo regnet.

PHILIPPUS AGUIRRE S. I.

4 - SS. D. N. Pius Pp. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA S. IACOBI CAPITIS VIRIDIS ET ALIARUM

4 sept. 1940

IN COLONIIS LUSITANIS « AFRICAE » ET « TIMOR » ECCLESIASTICA HIERARCHIA ALITER CONSTITUITUR.

(*AAS* XXXIII [21 ian. 1941] p. 14 ss.)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sollemnibus Conventionibus inter Apostolicam Sedem et Lusitanam Rempublicam hocce anno, septima die Maii mensis ictis, et prima die subsequentis Iunii mensis ratis habitis, quibus prae ceteris in Lusitanis *Africae* et *Timor* Coloniis aliter ecclesiastica hierarchia constituitur, Nos, qui nihil antiquius habuimus quam ut catholica res in dissitis illis regionibus magis ac magis provehatur, omnibus mature perpensis et suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ea quae sequuntur decernenda censuimus:

I. E dioecesi S. Iacobi Capitis Viridis *Guineae Lusitanae* territorium disiungimus ac separamus, illudque in novam erigimus missionem *sui iuris*.

II. In Colonia *Angola* dioecesim *Angolensem* et *Congensem*, nec non praefecturas apostolicas *Congi Inferioris* et *de Cubango in Angola* atque missiones *de Lunda* et *de Cunene* supprimimus, atque exinde novas erigimus dioeceses, videlicet: 1. Metropolitanam Ecclesiam *Luandensem*, cuius territorium amplectetur civilem provinciam eiusdem

nominis, quae districtibus constat *Cabinda, Zaire, Congo, Luanda* et *Cuanza-Norte,* et districtus *Cuanza-Sul,* ad provinciam *Benguela* pertinentem, atque *Malanje,* provinciae eiusdem nominis. Novae huius metropolitanae Ecclesiae sedem in *Luanda* urbe, a qua archidioecesis ipsa nomen assumit, constituimus; ecclesiam vero paroecialem Beatae Mariae Virgini, vulgo *dos Remédios,* dicatam, in urbe illa exstantem, quae praefatae Angolensis et Congensis suppressae dioecesis cathedralis munere hucusque functa est, ad metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus eamque titulo Ss. Salvatoris simul et Beatae Mariae Virginis, vulgo *dos Remédios,* decoratam volumus in memoriam pristinae Ecclesiae Sancti Salvatoris. Capitulum autem praefatae cathedralis Ecclesiae titulo Capituli Metropolitani posthac condecorabitur, cum iuribus et insignibus, quae de iure ad illud spectant, firmis tamen indultis quibus iam potitur. 2. Dioecesim insuper *Novae Lisbonae* erigimus et constituimus, quae civilem provinciam *Huila* comprehendet cum suis districtibus *Mossâmedes* et *Huila,* nec non districtus *Benguela* et *Huambo,* ad provinciam civilem *Benguela* pertinentes. Huius novae dioecesis sedem episcopalem in *Nova Lisboa* urbe constituimus, quam proinde ad civitatis episcopalis fastigium extollimus; Episcopi vero cathedram in ecclesia paroeciali sub titulo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, in eadem urbe exstante, figimus, quae idcirco Ecclesiae Cathedralis gradum assumet. 3. Dioecesim porro *Silvam Portuensem* erigimus et constituimus, amplectentem Provinciam civilem *Bié* cum suis districtibus *Bié* et *Moxico,* atque districtum *Lunda,* ad Provinciam *Malanje* spectantem. Ita erectae dioecesis sedem in *Silva Porto* urbe constituimus, quae proinde civitatis episcopalis honore condecorabitur. Ecclesiam vero paroecialem sub titulo S. Laurentii Martyris, in urbe illa sitam, ad Ecclesiae Cathedralis dignitatem evehimus. Praefatas autem dioeceses *Novae Lisbonae* et *Silvam Portuensem* suffraganeas constituimus novae archidioece-

sis Luandensis, cuius pro tempore Archiepiscopi metropolitico iuri eas earumque Episcopos subicimus. Ut vero praefatae Ecclesiae suo quaeque ordine coalescant, novam in colonia *Angola* provinciam ecclesiasticam constituimus *Luandensem* nuncupandam, quae constabit metropolitana Ecclesia Luandensi et dioecesibus suffraganeis Novae Lisbonae et Silvae Portuensis, nec non S. Thomae in Insula, hucusque patriarchali metropolitanae Ecclesiae Lisbonensi suffraganea, quam proinde ab huius Ecclesiae metropolitico iure eximimus, et metropolitanae Ecclesiae Luandensi ad huius Archiepiscopi personam adiunctam volumus.

III. In colonia *Mozambico* Praelaturam *nullius* Mozambicensem, metropolitanae Ecclesiae Goanae suffraganeam, supprimimus ac suppressam declaramus; eiusque loco erigimus et constituimus: 1. Metropolitanam Ecclesiam *de Lourenço Marques*, cui territorium assignamus provinciae civilis *Sul do Save*, cum suis districtibus *Lourenço Marques* et *Inhambane;* eius autem sedem in urbe *Lourenço Marques*, a qua archidioecesis ipsa nomen mutuatur, statuimus; cathedram vero archiepiscopalem in ecclesia sub Immaculatae Mariae Virginis Conceptionis titulo in illa urbe Deo dicanda figimus, quae propterea metropolitanae Ecclesiae dignitate posthac gaudebit. 2. Alteram insuper dioecesim erigimus, quae ab urbe *Beira*, in qua sedes episcopalis erit, *Beirensem* nuncupari statuimus: eique territorium assignamus provinciae civilis *Zambézia* cum suis districtibus *Beira, Tete* et *Quelimane*. Huius novae dioecesis Beirensis episcopalem cathedram in ecclesia sub titulo B. V. Mariae Sacratissimi Rosarii, in urbe *Beira*, exstante, constituimus. 3. Demum dioecesim erigimus *Nampulensem* ab urbe *Nampula*, in qua erit sedes episcopalis, eique territorium assignamus provinciae civilis *Niassa*, seu districtuum *Moçambique* et *Pôrto Amélia*. Cathedra autem episcopalis in erigenda ecclesia sub titulo B. Mariae V. *de Fátima* constituetur. Duas insuper hasce no-

viter erectas dioeceses Beirensem et Nampulensem suffraganeas constituimus novae Metropolitanae Ecclesiae de Lourenço Marques, earumque Episcopos huius Archiepiscopi iuri metropolitico subicimus. Omnes vero memoratae dioeceses in colonia *Mozambico* uti supra erectae, unicam provinciam ecclesiasticam constituent *de Lourenço Marques* appellandam, quae proinde constabit ipsa metropolitana eiusdem nominis Ecclesia et suffraganeis dioecesibus Beirensi et Nampulensi.

IV. Praeterea insulae *Timor* partem, quae sub dicione exstat Lusitanae Reipublicae, hactenus ad dioecesim Macaonensem pertinentem, ab huius territorio seiungimus et in novam erigimus dioecesim, *Diliensem* nuncupandam eamque suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Goanae illiusque pro tempore Antistites metropolitico Archiepiscopi Goani et Damanensis iuri subicimus. Novae istius dioecesis sedem episcopalem in *Dili* urbe constituimus; cathedram vero Episcopi in Ecclesia Deo in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V., in eadem urbe sita, dicata erigimus.

Singulis itaque novis quas constituimus tum metropolitanis tum cathedralibus Ecclesiis earumque pro tempore Antistitibus omnia concedimus iura, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae per orbem metropolitanae et cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur; iisdemque illos oneribus et obligationibus adstringimus, quibus ceteri adstringuntur. Archiepiscopis vero peculiarem facultatem tribuimus Crucem ante se ferendi et sacro pallio utendi, postquam tamen illud in sacro Consistorio ab Apostolica Sede, uti de more, postulatum et impetratum fuerit. Cum autem huius temporis adiuncta haud permittant quominus in nova archidioecesi de Lourenço Marques et in aliis nuper erectis dioecesibus canonicorum capitula modo instituantur, indulgemus ut pro canonicis ad iuris tramitem consultores dioecesani interim eligantur et adhibeantur. Quod autem attinet ad ea-

rumdem dioecesium regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi, adamussim servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac Nostrae hae Litterae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici, qui in illarum dioecesium territorio legitime extiterint, iisdem ipsi adscripti censeantur. Volumus insuper ut omnia documenta et acta, novas has dioeceses eiusque clericos et fideles respicientia, ab eis ad quos spectat, quamprimum fieri poterit, sua cuique Curiae episcopali tradantur, ut in proprio archivo asserventur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem Fratrem Petrum Ciriaci, Archiepiscopum titularem Tarsensem et Nuntium Apostolicum in Lusitania, deligimus, eique propterea tribuimus necessarias et ad id opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, etsi specifica et individua mentione digni, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu, notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus. Non

obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus insuper ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem singulis omnibus quae in his Litteris Nostris statuta sunt contraire liceat; si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die quarta mensis Septembris, Pontificatus Nostri anno secundo.

Aloisius Card. Maglione
a Secretis Status

Fr. Raphael C. Card. Rossi
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Carolus Respighi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXIV, n. 25. - Al. Trussardi.

Annotationes

Hoc recenti pontificio documento, saecularis periodus evolutionis episcopalis ditionis lusitanae in Africa et in Oceania feliciter clauditur. Relationes Sanctae Sedis cum Gubernio lusitano relate ad quaestiones indostanicas et si-

nenses, saepius iam antea tractatas et concordatas [1], tandem per conventionem 15 Aprilis et 3 Mai 1928 [2], perfectam per aliam convertionem 11 Aprilis et 29 Iunii 1929 quoad dioecesim Sti. Thomae de Meliapor [3] regulatae fuerunt, ut signum restabilitae amicitiae inter Sanctam Sedem et Rempublicam Lusitanam. Hodierni imperii colonialis lusitani pars praecipua remanebat solutioni proxima, sed eius completa sistematio, publicato iam Concordato anni 1940, proxima annuntiabatur partimque indicabatur [4].

Notandum enim, quod illi Concordato pars propria relata ad missiones annectitur, cui titulus est: « Accordo Missionario tra la Santa Sede e la Republica Portoghese ». Eius 21 articuli principia talis reorganisationis missionariae in territoriis ultramarinis lusitanis absolvunt, secundum normas spiritus maximae et mutuae cooperationis. Quoad nostram vero quaestionem immediate attinet, solutio adumbratur in articulo 6, ita se habente: « Sono fin d'ora create tre diocesi in Angola, con sede in Loanda, Nova Lisbona e Silva Porto; tre in Mozambico con sede in Lourenço Marques, Beira et Nampula; una in Timor con sede in Dili. Inoltre nelle dette colonie e nella Guinea potranno essere erette circoscrizioni missionarie. La Santa Sede potrà, d'accordo con il Governo, modificare il numero delle diocesi e circoscrizioni missionarie. I limiti delle diocesi e circoscrizioni missionarie saranno fissati dalla Santa Sede in maniera da corrispondere, per quanto sarà

---

[1] Praeter Concordatum a. 1857 inter Pium IX et regem Petrum V, notandum Concordatum 23 Iunii 1886, Const. Leonis XIII « Humanae salutis », 1 Sept. eiusdem anni; Conventiones additionales ann. 1887, 1889, 1891, apud « Raccolta di Concordati », ed. Mercati, 1919, pp. 844, 1041, sq., citata in « Periodica » loco indicato a nota sequenti.

[2] Cf. *AAS* (4 Mai, 1928) vol. XX, p. 129 - Commentarium in « *Periodica* » XVIII (1929) 76-81; 97-100, a Michaele Mostaza, S. I.

[3] Cf. *AAS* (8 Iulii, 1929) XXI, 337 - Commentarium in « *Periodica* » XIX (1930) 128-133.

[4] In articulo 6o Pacti Missionalis, Concordato annexi.

possibile, alla divisione amministrativa, e sempre dentro i limiti del territorio portoghese ».

Secundum has normas procedit nova delimitatio ecclesiastica decreta 4 Septembris 1940. Praeter dioeceses iam creatas in « Pacto Missionario », et quae nunc non immutantur, novitas maxima consistit in creatione duarum Provinciarum ecclesiasticarum, et in determinatione accurata limitum territorialium omnium dioecesium. Accedunt dedeterminatio status Guineae lusitanae, et parvae mutationes circa provinciam ecclesiasticam antiquae Sedis episcopalis insulae Sancti Thomae in sinu Guineae, hucusque ad metropolitanam Ecclesiam Lisbonensem pertinentis [5].

Simul vero determinantur omnes conditiones, tum territoriales tum aliae, ad constitutionem novarum circumscriptionum pertinentes. Sed anteaquam huius conspectum generalem intueamur, brevissimam syntesim historicam variationum episcopalium territorii lusitani in itinere indico inventi construere iuvabit, pro meliori intelligentia evolutionis talis quaestionis.

Erectio dioeceseos Funchalensis (in Insula Madeira) 12 Iunii 1514, est primus gressus systemationis ecclesiasticae extrametropolitanae, cum iurisdictione sese extendente ad omnes Indias Orientales, inclusa quidem ora oceanica africana [6].

Die 3 Novembris 1534, separata a Funchalensi erigitur dioecesis Goana, cuius iurisdictio a promontorio Bonae Spei husque ad Sinas, cum omnibus locis a lusitanis repertis et reperiendis, extenditur [7]. Sed paulo ante erigebantur tres aliae dioeceses insulanae in Oceano Atlantico: Sancti Salvatoris in Angra, (Azores), Sancti Iacobi in Cabo Verde, et Sancti Thomae in insula omonima sinus Guineae et anuntiabatur Goana [8]. Itaque litus atlanticum luso-afri-

---

[5] Ita appellatur semper in hoc Pontificio documento, et non Ulisipponensis.

[6] Cfr. « Bullarium Patronatus Portugalliae », I, p. 100-101.

[7] » » » » I, p. 148-152.

[8] » » » » I, p. 140-147.

canum dividitur inter dioeceses Funchalensem, in Metropolitanam evectam, Sancti Iacobi de Cabo Verde et Sancti Thomae.

Anno 1576, 23 Ianuarii, erigitur sedes Macaonensis, cum iurisdictione in omni Sinarum Imperio [9], quaeque post successivas, a nobis non describendas, evolutiones, hucusque extenderat suam iurisdictionem usque ad partem lusitanam insulae Timor, inter Australiam et Insulindiam hollandicam. Clemens VIII creabat a. 1596 dioecesim Sanctae Crucis regni Angolae in Sâo Salvador, prope cursum inferiorem fluminis Congo [10], sed a. 1616 transfertur in Sâo Paolo de Loanda, ubi hucusque remansit.

Quoad Moçambique attinet, a. 1612, separatur a dioecesi Goana ab ipso Paulo V, qui ibi quamdam Administrationem Ecclesiasticam erigit [11], quae a. 1783 fit Praelatura cum quodam episcopo titulari, unita Provinciae Ecclesiasticae Goanae. Hucusque dependebat a Sacra Congregatione Consistoriali et a Congregatione pro Negotiis Eclesiasticis Extraordinariis.

Modernis vero temporibus novae circumscriptiones ecclesiasticae instaurantur in territoriis africanis lusitanis, postquam limites coloniales tandem aliquando fixati sunt, simulque uberrima fructificatio catholica in toto centro africano subsequuta est. Talis organisatio unam tantum regionem sub aliquali iurisdictione S. C. de P. F. reliquerat: Angolam, cum qua unitus censetur Congo lusitanus. Ibi dabantur, ut pontificium documentum quod exponitur memorat, dioecesis Angolensis et Congensis, Praefecturae Apostolicae Congi Inferioris et Missio de Cunene, aliud curiosum exemplum exhibens duplicis iurisdictionis in coloniis Lusitaniae, vel ab eius Patronatu dependentibus. Ratio fuit impossibilitas dioecesis Angolensis etiam ad meram

[9] Cfr. « Bullarium Patronatus Portugalliae », I, p. 243-254. Corrigenda ibi data 1575, cum 1576.
[10] Cfr. « Bullarium Patronatus Portugalliae », I, p. 256-258.
[11] » » » » II, p. 19-22.

conservationem illius christianitatis, et auxilium praestitum a S. C. de P. F. quae illuc Missionarios Congregationis Sancti Spiritus misit iam ab a. 1865. Sine dubio influxit etiam ratio historica Praefecturae erectae ab Urbano VIII a. 1640, in parte interiori illius territorii, et Ordini M. Capuccinorum commendatae [12], cuius successio aliquo remoto modo recolitur a Praefectura Apostolica de Cubango et Missione de Lunda. Iurisdictio tamen Episcopi Angolensis, sese extendens ad omnes paroecias dioeceseos et ad distantiam 5 leucarum circum ipsas, remansit intacta. Quoad novas vero divisiones attinebat, earum Praefecti, Vicarii Generales erant Episcopi de Angola et Congo [13].

In colonia Moçambique, cuius conditiones missionariae longe deteriores sunt, dabatur hucusque Praefectura *nullius* Mozambicensis, suffraganea metropolitanae Ecclesiae Goanensis. Colonia autem Guineae lusitanae, dioecesi Sancti Iacobi de Cabo Verde adscribebatur.

Nunc vero actuali conventione haec penitus mutantur.

1) Nova *Missio sui iuris* erigitur in Guinea, disiuncta a dioecesi Sancti Iacobi.

2) Duae novae Provinciae Ecclesiasticae eriguntur, altera *Luandensis* nuncupanda, a sede metropolitana civitatis Luanda, complectens Angolam et Congo lusitanum simul ac insulas dioeceseos Sancti Thomae; altera vero de *Lourenço Marques*, a civitate principe coloniae Moçambique, hanc complectens.

Utraque vero colonia, Angola et Moçambique, suppressa anteriori circumscriptione ecclesiastica, in tres dioeceses dividitur: In Angola erigitur metropolitana ecclesia *Luandensis*, et dioeceses suffraganeae *Novae Lisbonae*

[12] Cfr. « Bullarium Patronatus Portugalliae », vol. II, p. 5.

[13] Cfr. « Dict. d'Hist. et de Géogr. Eccles. », III, c. 239-242. Quoad divisionem territorialem, cf. « Testo Atlante illustrato delle Missioni. (Ist. Geogr. Agostini - Novara) 1932, carta geogr. 32; textus, p. 71, quae tamen aliquantulum differt ab illa quae invenitur in « Guida delle Missioni Cattoliche », p. 254, quoad modum exprimendi dependentiam Missionis de Lunda in parte occidentali, a dioecesi Angolensi.

(sedes in Nova Lisboa) et *Silvae Portensis* (sedes in Silva Porto), et earum limites, coincidentes cum divisionibus provinciarum vel districtuum civilium, accurate determinantur. His additur extra Angolam antiqua dioecesis insulae S. Thomae, hucusque suffraganea metropolitanae Ecclesiae Lisbonensis, et quae a saec. XIX regebatur a Provicariis.

In Moçambique similiter erigitur Ecclesia metropolitana de *Lourenço Marques*, et dioeceses suffraganaee de *Beira* et de *Nampula*.

Restat colonia de *Timor*, in Insulindia, quae hucusque ad dioecesim Macaonensem pertinebat, a qua, mediante quodam Vicario Generali regebatur. Nunc vero in dioecesim propriam erigitur, *Diliensem* nuncupandam a civitate *Dili*, praecipua illius coloniae, et suffraganea declaratur Ecclesiae metropolitanae Goanae.

Si ratio proxima talium mutationum attenditur, haec reponenda videtur in progressu maturationis illarum missionum, quae his ultimis annis splendida annuntiabatur, praesertim in Angola, simulque in restauratione activitatis missionariae Lusitaniae et cooperationis gubernativae. Sed simul notandum, populationem lusitanam sive puram sive mixtam etiam, ibi magnum incrementum expertam fuisse recentiori tempore, ita ut nucleum veteranum catholicum constituere posset, simulque creationem harum provinciarum ecclesiasticarum explicare. Numerabantur enim a. 1935, 58.000 europei in Angola et 20.000 mixti; in Moçambique, 23.000 europei et 13.000 mixti, cum 23.000 non indigenis, magna ex parte oriundi ex India lusitana [14].

Quoad missionarios attinet, dabantur 141 sacerdotes in Angola, ex Congregatione Sti. Spiritus maxima ex parte, et alii saeculares Societatis Missionum Lusitanae vel ex diversis dioecesibus metropolitanis. In Moçambique vero 52 sa-

[14] Cfr. ephem. « Portugal. ». Sécretariat de la Propagande Nationale, n. 28 (31-X-1937) p. 18.

cerdotes. Nec deerant in his missionibus aliqui sacerdotes indigeni [15].

Difficultates ortae ex abusibus gubernii liberalis saeculo XIX in tragicas proportiones crescere visae sunt revolutione nationali a. 1910. Illa tamen initialis ruina, per successiva decreta gubernamentalia partialiter sanata est praecipue vero a. 1920 [16]. Sed interdum missiones protestanticae acrem laborem aggrediuntur et innumeris operibus totam regionem amplecti satagunt, qui privilegiis *omnibus missionariis* concessis a congressu Berolinensi a. 1885, et difficultatibus catholicorum niti poterant. Talis eventus gubernio lusitano ex rationibus politicis displicuit, eo quod nationes protestanticae hoc modo maiorem influxum ibi exercere viderentur; ideoque favor officialis iterum missionariis catholicis arridere incepit [17].

Hoc autem aperte fit post inceptam administrationem Generalis Carmona. Itaque, quod nunc amplissime concordatum cernimus, iam ab « Statuto organico missionum catholicarum in Africa et in Timor », diei 13 Oct. 1926 [18] fuerat inceptum. Talis nova legislatio, eodem benevolentiae spiritu animata, correxit Constitutionem 1911 in titulo V cum duobus articulis, 22 et 23 ex « Acto Colonial » [19], qui in ultima redactione anni 1933 clarius et melius

---

[15] Cfr. Ibid. n. 38 (30-IX-1938) p. 25-26. In ephem. « El Siglo de las Misiones », (Martio, 1941, p. 75-77) numerantur missionarii, pro Angola 167, cum 125 fratribus et auxiliariis, et 151 Sororibus. Pro Moçambique 79 missionarii.

Quoad numerum catholicorum, ibidem indicatur:

Angola	530.000 catol.; 93.033 catecum.
Moçambique	83.333 catol.; 36.891 catecum.
Timor	25.202 catol.; 4.107 catecum.

[16] Decreto 2 Ianuarii 1920, admittuntur et foventur tum missiones religiosae tum laicae titulo civilizationis. Cf. *Grentrup*, Ius Mission., p. 215.

[17] Cf. ibidem iudicium huius auctoris in p. 224-225, favorabile, si recordemur agi tunc de gubernis anticatholicis.

[18] Cf. textum talis Statuti in « Revue d'Histoire des Missions », VIII (1931) in articulo P. Séraphim Leite: « Le statut légal des Missions Portugaises », p. 201-204.

[19] Cfr. ibidem p. 204.

favorem missionibus *catholicis* praestandum exprimit, et non mere missionibus *religiosis*, ut antea legebatur [20].

Nunc vero, recens documentum pontificium quod explanamus, statum actualem non plene evolutum novarum dioecesium considerans, admittit capitulum canonicorum nunc temporis in una metropolitana sede Luandensi instituti posse [21]. In Lourenço Marques et in aliis sedibus novis episcopalibus, indulget « ut pro canonicis ad iuris tramitem, consultores dioecesani interim eligantur et adhibeantur » [22].

Novum clericorum ibi degentium status, per eorum adscriptionem ad novas dioeceses exprimitur, « simul ac Nostrae hae litterae ad executionem demandatae fuerint » [23].

Executio harum dispositionum committitur Exmo. D. Petro Ciriaci, Archiep. Tarsensi et Nuntio Apostolico in Lusitania.

Leo Lopetegui S. I.

5 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 22 febr. 1941

(*AAS* xxxiii [10 mart. 1941] p. 69)

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 19 Februarii 1941

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum

[20] Cf. « Portugal ». Sécretariat de la Propag. Nationale, num. 38 (30-IX-1938) p. 10.

[21] Ubi unice de facto dabatur, recta ab statuto a. 1828, sed ob defectum sacerdotum obtinuit a Sacra Rituum Congregatione (25-II-1908) exemptionem a choro, et curam spiritualem plurium paroeciarum. Cf. « Dict. d'Hist. et de Géog. Eccl. » vol. III, c. 239-242.

[22] Acta Apost. Sedis, quae commentamus, p. 17.

[23] Ibid.

voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

STROOTHENKE WOLFANG, *Erbpflege und Christentum.*

Et sequenti Feria V, die 20 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 22 Februarii 1941.

ROMULUS PANTANETTI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

6 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Notificatio 8 mart. 1941

(*AAS* XXXIII [10 mart. 1941] p. 69)

Suprema S. Congregatio Sancti Officii, attento etiam Decreto die 26 Maii 1937 edito « De novis cultus seu devotionis formis non introducendis, deque inolitis in re abusibus tollendis » (Cfr. *A. A. S.*, 1937, pp. 304-305), associationem « La Crociata Mariana » prohibuit, primitus in civitate Pratensi erectam, et iam anno 1937 ab Etruriae Episcopis pro dioecesibus illius regionis proscriptam *.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 8 Martii 1941.

ROMULUS PANTANETTI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

* Cfr. *L'Osservatore Romano* d. 31 iulii a. 1937; *Periodica*, t. XXVI (1937) p. 468.

7 - Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum Normae pro exsequendis articulis XXII-XXV Concordati cum Lusitania

(*AAS* XXXIII [18 febr. 1941] p. 29 ss.)

ISTRUZIONE

agli Ecc.mi Ordinari del Portogallo e, per essi, ai Parroci sull'esecuzione degli articoli del Concordato del 7 maggio 1940 tra la Santa Sede e la Repubblica Portoghese, relativi alla celebrazione del matrimonio per gli effetti civili, in armonia con la nuova legislazione del Governo Portoghese sullo stesso argomento.

Avendo lo Stato Portoghese riconosciuto, con gli articoli XXII-XXV del Concordato, gli effetti civili al matrimonio celebrato secondo le prescrizioni del Diritto Canonico, questa Sacra Congregazione, in ossequio agli augusti voleri della Santità di Nostro Signore Pio Pp. XII felicemente regnante (ad essa comunicati con dispaccio della Segreteria di Stato in data 17 maggio 1940), dirige agli Eccellentissimi Ordinari del Portogallo la presente Istruzione per l'esatta applicazione dei suddetti articoli del Concordato, tenuto presente il testo del Decreto-Legge del Governo Portoghese n. 30:615 del 25 luglio 1940, che dà esecuzione agli stessi articoli del Concordato.

Non è intenzione della Santa Sede di mutare con la presente Istruzione le prassi seguite nelle Curie delle diverse diocesi del Portogallo quanto ai processi prematrimoniali, le quali, perciò, secondo il prudente giudizio dell'Ordinario, potranno essere mantenute, purchè non siano contrarie nè alle prescrizioni canoniche, nè alle disposizioni di questa Istruzione.

Siccome per l'articolo XXII del Concordato « lo Stato Portoghese riconosce gli effetti civili ai matrimoni cele-

brati in conformità con le leggi canoniche, a condizione che l'atto di matrimonio sia trascritto nei competenti uffici dello stato civile », e siccome in forza dell'articolo XXIV dello stesso Concordato si considera indissolubile, anche davanti alla legge civile, il vincolo del matrimonio religioso, il cui atto sia stato trascritto in detti uffici, ciò che sfortunatamente non avviene con gli altri matrimoni, vigilino gli Eccellentissimi Ordinari locali affinchè i matrimoni siano celebrati in conformità con le disposizioni del Concordato ed i relativi atti siano in tempo opportuno inviati agli uffici del Registro Civile ed ivi debitamente trascritti, insistendo frequentemente presso i Reverendi Parroci perchè siano sommamente diligenti nell'adempimento di questo gravissimo dovere, ed ispezionando, possibilmente ogni anno, personalmente o per mezzo di speciali delegati, i libri parrocchiali.

CAPO I

Dell'obbligo dei contraenti cattolici di celebrare solamente il matrimonio religioso.

1. Ai cattolici, che vogliono contrarre matrimonio, non è permessa dalla Chiesa la celebrazione del cosidetto matrimonio civile, atteso che il matrimonio religioso, celebrato in armonia con le disposizioni del Concordato, produce tutti gli effetti civili, ed è perciò atto a conseguire il suo scopo religioso e sociale.

Qualora gli sposi cattolici osassero contrarre civilmente, sia pure con l'intenzione di celebrare in appresso il matrimonio religioso, saranno trattati come pubblici peccatori e il parroco si regolerà a norma del canone 1066 del Codice di Diritto Canonico.

CAPO II

Delle pubblicazioni o proclami matrimoniali

2. Si osservino strettamente le disposizioni dei canoni 1022-1024, secondo le quali i nomi dei nubendi debbono essere pubblicati non solo nelle loro parrocchie, ma anche in quelle nelle quali abbiano avuto residenza per almeno sei mesi, dopo aver raggiunto la pubertà, a meno che quanto a queste ultime, l'Ordinario del luogo non giudichi preferibile assicurarsi in altra maniera del loro stato libero.

3. Se l'Ordinario, nei termini del can. 1025, in qualche caso particolare, o anche in maniera generale, giudicasse conveniente sostituire la lettura dei proclami o delle pubblicazioni con l'affissione pubblica di editti alla porta della Chiesa parrocchiale o di qualsiasi altra Chiesa, gli editti dovranno restare affissi per lo meno durante otto giorni, nei quali siano compresi due giorni festivi di precetto.

4. Benchè l'Ordinario proprio possa, essendovi giusta causa, secondo il suo prudente giudizio, dispensare dalle pubblicazioni matrimoniali (can. 1028 e comma terzo dell'art. XXII del Concordato), non dispensi però di fatto, specialmente da tutte e tre le pubblicazioni, se non per causa veramente grave ed urgente.

5. A norma del can. 1030, prima di procedere alla celebrazione del matrimonio, se non interviene una ragionevole causa, si faranno trascorrere tre giorni dall'ultima pubblicazione, ovvero dall'ultimo giorno dell'affissione dell'editto.

6. Il parroco non si limiterà a leggere i proclami e a ricevere la denunzia di impedimenti che eventualmente gli venga fatta, ma, in forza del can. 1020, dovrà diligentemente investigare se nulla osta alla celebrazione del matrimonio, segnatamente interrogherà gli sposi — dopo essersi assicurato della loro identità personale (cfr. Istru-

zione della Sacra Congregazione dei Sacramenti 27 marzo 1929, *A.A.S.*, XXI, p. 490 e seg.) — ciascuno separatamente, usando le dovute cautele, se sono legati da qualche impedimento, se consentono liberamente, sopratutto la sposa, e se sono sufficientemente istruiti nella dottrina cristiana (can. 1020 § 2).

7. Nel formulario delle pubblicazioni, nonchè nell'editto da affiggersi alla porta della Chiesa, quando questo sia autorizzato, si debbono indicare:

1°:i nomi propri e di famiglia, età, professione, origine, domicilio o residenza di ciascuno dei due nubendi;

2° i nomi completi, professione, stato, origine, domicilio o residenza dei genitori, se si conoscono;

3° nel caso che uno o entrambi i nubendi siano vedovi, indicare pure il nome del coniuge o dei coniugi defunti con l'indicazione del luogo e data del decesso;

4° se siano intervenuti o una sentenza di nullità di matrimonio o una dispensa da matrimonio rato e non consumato o altri analoghi provvedimenti della Santa Sede resi esecutivi.

8. Quando le pubblicazioni siano sostituite da editi, saranno questi datati e firmati dal parroco o dal sacerdote che legittimamente ne faccia le veci.

9. Sia in questo capitolo che nei seguenti, per parroco si intende non solo il parroco propriamente detto (di cui al can. 451 § 1); ma anche il quasi-parroco (can. 451 §2 n. 2.

C'intendono pure i cappellani militari (can. 451 § 3), quando vi siano, e così pure i cappellani degli ospedali, se gli uni e gli altri fossero muniti di facoltà per assistere ai matrimoni dei soldati o dei ricoverati, rispettivamente, entro i limiti delle medesime facoltà.

10. Se entro i sei mesi susseguenti all'ultima pubblicazione, o all'ultimo giorno di affissione degli editti, non si celebrasse il matrimonio, si dovranno ripetere le pubblica-

zioni o affiggersi nuovi editti, salvo che l'Ordinario del luogo disponga diversamente [1].

11. Di regola, il parroco, prima di fare le pubblicazioni, avrà cura di compiere le formalità canoniche riguerdanti lo stato libero dei nubendi, la dispensa dagli impedimenti, se vi fossero, la libertà di consenso, l'istruzione religiosa dei medesimi ed i certificati di battesimo e confermazione (canoni 1020-1021); come pure si provvederà della licenza della Curia, quando questa fosse necessaria sia per diritto comune, sia in virtù di questa Istruzione, sia in forza della legislazione particolare della rispettiva Diocesi.

12. Se un altro parroco avesse proceduto all'investigazione dello stato libero dei nubendi o avesse eseguite le pubblicazioni, informi immediatamente il parroco che deve assistere al matrimonio, del risultato delle investigazioni o delle eseguite pubblicazioni (can. 1029). Finchè non si riceveranno queste informazioni, non si potrà procedere alla celebrazione del matrimonio (can. 1030).

13. Nell'attestato delle eseguite pubblicazioni, o in quello, che lo sostituisca, per la prova dello stato libero, il parroco, oltre ad indicare se è risultato o no qualche impedimento, darà al parroco, che deve assistere al matrimonio, le informazioni necessarie perchè questi possa redigere l'atto secondo il modello ufficialmente approvato. Conviene però che l'attestato sia fatto nello stesso foglio che contiene le pubblicazioni, e i nqueste si mettano già le indicazioni che debbono figurare nell'atto di matrimonio.

14. In tutti i processi prematrimoniali è richiesto il certificato di battesimo e di confermazione dei due nubendi, rilasciato in forma integrale, o, in mancanza di questo, la sentenza o decreto comprovante almeno il con-

---

[1] Nella legislazione portoghese attualmente in vigore si richiedono nuove pubblicazioni se il matrimonio non viene celebrato entro 90 giorni dal termine del periodo degli editti (Codice del Registro Civile, art. 277).

ferimento del battesimo, eccetto che il matrimonio venga celebrato con dispensa dall'impedimento « disparitatis cultus », nel qual caso è richiesto solo il certificato di battesimo della parte cattolica (can. 1021 § 1; Costit. del Concilio Plenario Portoghese, n. 257).

15. Se uno o entrambi i nubendi fossero vedovi, dovrà esservi nel processo il certificato di decesso del coniuge o dei coniugi defunti, o, in mancanza di tale certificato, la sentenza o decreto dell'avvenuta morte, emanati in base alle prescrizioni dell'Istruzione della Suprema S. C. del S. Officio (a. 1868), tenendo presente che un'analoga sentenza emanata nel foro civile non è sufficiente per il foro ecclesiastico; nonchè il certificato integrale di battesimo e di confermazione come al precedente numero.

Conviene ancora osservare che il certificato di morte del coniuge anteriore non è sempre sufficiente a provare che nel caso non osta alla celebrazione del matrimonio l'impedimento « ligaminis », visto che il parroco nel redigere l'atto deve talvolta contentarsi delle informazioni date dagli interessati, informazioni che possono non corrispondere alla realtà.

Perciò, se il matrimonio non fu celebrato nella parrocchia del decesso, si deve esigere anche il certificato del matrimonio cattolico anteriore.

16. Se mancassero documenti e testimoni per la prova dello stato libero dei nubendi e si dovesse ricorrere al giuramento suppletorio, si indaghi diligentemente se gli sposi sono degni di fede, o se vi sono motivi per sospettare che giurino il falso. Si deve avere la stessa cura con qualsiasi testimone, che debba deporre in proceessi per la prova dello stato libero.

17. Procurino gli Ordinari locali che i processi prematrimoniali, senza pregiudizio delle disposizioni canoniche, siano organizzati in modo che la celebrazione del matrimonio venga facilitata il più possibile; procurino

anche di reprimere qualsiasi abuso nella domanda ed esecuzione delle dispense matrimoniali.

18. Le pubblicazioni nei competenti uffici del Registro Civile, cui si riferisce l'art. XXII del Concordato, possono essere fatte a richiesta dei contraenti o dei loro rappresentanti, o del parroco del luogo, dove debba celebrarsi il matrimonio (art. 7 del Decreto-Legge n. 30:615). E' bene che il parroco non ometta mai di fare anch'egli detta richiesta.

19. Abbiano presente gli Ordinari che, qualora la celebrazione del matrimonio cattolico non sia stata preceduta dal processo preliminare delle pubblicazioni svolto negli uffici del Registro Civile, la trascrizione nei medesimi uffici può essere effettuata solo dopo svolto il detto processo e dopo aver verificato che non esiste nessuno degli impedimenti che possono ostare alla trascrizione (art. 19 del citato Decreto-Legge).

20. Ad eccezione dei matrimoni *in articulo mortis* o nella imminenza di parto, o di matrimoni la cui immediata celebrazione sia autorizzata dall'Ordinario proprio per grave motivo di ordine morale (art. XXII del Concordato), il parroco non procederà alla celebrazione del matrimonio prima che sia stato svolto il processo preliminare delle pubblicazion negli uffici del Registro Civile e siasi ottenuto il relativo certificato.

21 Abbia il parroco la più grande cura di osservare la prescrizione del numero precedente, anche per non esporsi alle eventuali sanzioni comminate dall'articolo 14 del Decreto-Legge n. 30:615.

22. Nel caso di matrimoni celebrati *in articulo mortis* i parroci procurino che all'atto stesso assistano due testi e ciò ad evitare future eventuali contestazioni, salvo il caso di dispensa dai medesimi previste dai canoni 1043-1044.

23. Quando, in conformità con il comma terzo del citato art. XXII del Concordato, il matrimonio venisse cele-

brato indipendentemente dal processo preliminare delle pubblicazioni, il parroco deve conservare diligentemente, per qualsiasi eventualità, il documento ecclesiastico che lo autorizzò ad assistere al matrimonio [2].

24. Se da parte dell'Autorità civile sorgessero difficoltà per il matrimonio, il parroco presti il suo aiuto agli interessati per rimuovere tali difficoltà; ove ciò non fosse possibile, si astenga dall'assistere al matrimonio e ricorra al proprio Ordinario.

Questi abbia presente la costante norma della Santa Sede, secondo la quale si deve, nella misura del possibile, evitare matrimoni che non possono avere effetti civili.

25. Se i nubendi fossero già uniti civilmente e tale vincolo, su dichiarazione del funzionario del Registro Civile, sussista ancora, non si richiedono nuove pubblicazioni nell'Ufficio del Registro Civile, ma, una volta fatto il matrimonio religioso, non si ometterà la comunicazione all'Ufficio del Registro Civile, presso il quale fu contratto l'atto civile, affinchè possa essere annotata a margine del registro, giacchè tale annotazione produce tutti gli effetti della trascrizione (art. 4 del Decreto-Legge). Però anche a tali matrimoni si applicano le disposizioni del n. 66

26. Non tralasci il parroco, secondo la diversa condizione delle persone, di istruire i nubendi sulla santità del sacramento del matrimonio, sulle mutue obbligazioni dei coniugi e sulle obbligazioni dei genitori verso i figli: li esorti efficacemente affinchè prima della celebrazione del matrimonio confessino diligentemente i loro peccati e ricevano devotamente la santa Comunione (can. 1033).

27. E' dovere del parroco di istruire i fedeli sul sacramento del matrimonio e sugli impedimenti del medesimo (can. 1018), nonchè sull'obbligo di rivelare al parroco o all'Ordinario del luogo, prima della celebrazione del matrimonio, gli impedimenti di cui siano a conoscenza (can. 1027).

28. I parroci e gli altri sacerdoti abbiano ben presenti

le leggi della Chiesa, sia quelle comuni che quelle particolari, circa il matrimonio, perchè non si dia il caso della celebrazione di matrimoni illeciti o invalidi.

CAPO III.

Della celebrazione del matrimonio.

29. Per ciò che riguarda il tempo, il luogo, la forma canonica e liturgica della celebrazione del matrimonio, si osservino diligentemente le prescrizioni canoniche, sia del diritto comune (canoni 1094-1102, 1108 e 1109), sia di diritto particolare (cfr. Costit. del Concilio Plenario Portoghese, nn. 258, 260).

30. Quando il matrimonio fosse celebrato fuori del territorio parrocchiale dei nubendi, con licenza del parroco proprio o dell'Ordinario del domicilio o quasi-domicilio o della residenza almeno di un mese dei contraenti, nei termini del can. 1097 § 1 n. 3, il parroco proprio deve sempre inviare al parroco che deve assistere al matrimonio, assieme ai documenti comprovanti lo stato libero dei nubendi, il relativo documento del Registro Civile. Ma se il matrimonio non si potesse celebrare senza licenza scritta dell'Ordinario, sarà sufficiente inviare il riferito documento e la licenza o provvedimento della Curia episcopale.

31. Ricordino i parroci che la delega, di cui al can. 1095 § 2, per assistere validamente ai matrimoni nei limiti del loro territorio parrocchiale, deve essere espressamente data ad un sacerdote determinato e per matrimoni determinati, esclusa qualsiasi delega generale, a meno che non si tratti di Vicari cooperatori, entro i limiti della parrocchia della quale sono Vicari (can. 1096 § 1).

32. Benchè nella celebrazione del matrimonio si possano conservare le lodevoli abitudini e cerimonie che sono in uso nella regione (Rituale Romano, Tit. VII cap. II, n. 6; can. 1100), tuttavia, per quel che riguarda il chiedere e

ricevere il consenso dei contraenti, si osserverà esattamente quanto prescrive il Rituale Romano, Tit. VII, cap. II, nn. 1 e 2 (cfr. Concilio Plenario Portoghese, n. 258 § 2).

33. Siccome è conveniente che i nubendi assistano alla santa Messa e in essa ricevano la santa Comunione e le benedizioni nuziali, con osservanza delle leggi liturgiche e della legislazione particolare che proibisce la celebrazione dei matrimoni durante la notte (Concilio Plenario Portoghese, n. 159), adoperino i parroci perchè il matrimonio si celebri nel tempo in cui si può celebrare la santa Messa.

34. Appena terminata la cerimonia della celebrazione del matrimonio, si deve immediatamente procedere alla firma dell'atto, nella forma indicata nei nn. 35-40. Quando il matrimonio si celebra, come sempre dovrebbe avvenire, in chiesa, o in oratorio pubblico, la firma potrà apporsi in sacrestia.

CAPO IV

Della registrazione dell'atto di matrimonio e della sua comunicazione al funzionario del Registro Civile

35. Terminata la cerimonia del matrimonio, il parroco, o chi ne fa le veci, redigerà immediatamente (a meno che non lo abbia già fatto, il che è assai conveniente, sempre che sia possibile), secondo il modello ufficialmente approvato, il rispettivo atto in doppio originale, il quale sarà letto e quindi firmato nei due originali dai coniugi, se sanno e possono scrivere (annotandovisi — in tal caso negativo — la loro incapacità), dai testimoni e dal parroco o sacerdote che lo avesse sostituito nella celebrazione del matrimonio. Salvo il disposto del n. 37, l'atto sarà redatto nell'apposito libro parrocchiale e il duplicato in foglio separato.

36. Nel caso che vi fossero divergenze di nomi o di

date nei certificati del Registro Civile e in quelli estratti dagli archivi ecclesiastici — ciò che succede frequentemente, sopratutto quanto alle date di nascita — è necessario indicare tali divergenze per escludere ogni dubbio sull'identità delle persone. In modo speciale il parroco deve avere ogni cura perchè i dati dell'atto coincidano rigorosamente con le dichiarazioni fatte dal funzionario del Registro Civile.

37. Quando il matrimonio è celebrato fuori della chiesa parrocchiale con l'assistenza di un sacerdote delegato, l'atto, senza pregiudizio del disposto del numero seguente, sarà redatto in doppio originale dal sacerdote che ad esso assiste, in due fogli separati, i quali, debitamente firmati, saranno rimessi al parroco del luogo dove avviene il matrimonio, affinchè questi trascriva l'atto sul libro dei matrimoni della parrocchia, e invii uno dei fogli al funzionario del Registro Civile, avendo cura di conservare l'altro nell'archivio parrocchiale.

Se nella celebrazione del matrimonio officiasse l'Ordinario del luogo, questi provvederà perchè l'atto si faccia nella forma stabilita dalla legge.

38. Se però il parroco, nelle due ipotesi del numero precedente, fosse presente, benchè egli non offici, apporrà anche egli la sua firma, oltre quella del sacerdote delegato o dell'Ordinario.

39. L'atto di matrimonio deve contenere le seguenti indicazioni:

1° l'ora, la data, il luogo e la parrocchia in cui è stato celebrato;

2° i nomi propri e di famiglia, età, professione, origine e residenza dei contraenti;

3° lo stato anteriore dei coniugi;

4° i nomi completi, origine e residenza dei genitori, se si conoscono;

5° l'indicazione che il matrimonio è stato fatto con o senza scritta prenuziale;

6° la dichiarazione, fatta dai coniugi, che hanno contratto il matrimonio di loro libera volontà;

7° i nomi completi, stato, professione e residenza dei testimoni;

8° la menzione del documento comprovante che si è svolto il processo preliminare delle pubblicazioni nell'Ufficio del Registro Civile, data del medesimo documento e Conservatoria nella quale fu rilasciato;

9° il nome completo del parroco della rispettiva parrocchia e del sacerdote delegato che avesse officiato nel matrimonio (art. 8 del Decreto-Legge n. 30, 615);

10° il nome della parrocchia dove i coniugi sono stati battezzati;

11° se vi sia stata dispensa da proclami o pubblicazioni;

12° l'indicazione degli impedimenti dispensati, se ne fosse il caso;

13° il nome completo del coniuge anteriore, quando uno degli sposi (o entrambi) sia già stato unito in matrimonio, con l'indicazione del luogo e della data del decesso o della sentenza da cui consti che non sussiste il vincolo matrimoniale;

14° la firma dei coniugi, se sanno e possono scrivere (annotandovisi — in caso negativo — la loro incapacità, cfr. n. 36), dei testimoni, del parroco e del sacerdote delegato che avesse assistito al matrimonio, e anche quella del procuratore (o dei procuratori), se uno dei coniugi (o entrambi) avesse contratto per procura.

40. Se il matrimonio fosse celebrato per procura nei termini del can. 1089, o solo alla presenza del parroco nei termini del can. 1044, o con l'assistenza del sacerdote non delegato in conformità col can. 1098 n. 2, si farà di ciò menzione nell'atto. Allo stesso modo si procederà quando vi sia dispensa dalle pubblicazioni o da qualche impedimento.

41. Il parroco invierà entro tre giorni uno degli origi-

nali dell'atto di matrimonio all'Ufficio competente del Registro Civile, perchè vi sia trascritto e archiviato (Concordato, art. XXII).

L'Ufficio del Registro Civile al quale deve inviarsi il duplicato dell'atto originale è quello in cui si è svolto il processo preliminare delle pubblicazioni. Ma qualora il processo si sia svolto nel Continente e il matrimonio abbia avuto luogo nelle isole adiacenti, o viceversa, il duplicato deve essere inviato all'Ufficio del Registro Civile proprio del territorio della parrocchia, dove si effettuò il matrimonio. E nei casi del comma terzo dell'art. XXII del Concordato, il duplicato sarà inviato all'Ufficio del domicilio o residenza di uno qualunque dei coniugi, a meno che non si verifichi l'ipotesi suddetta, perchè allora il duplicato sarà inviato all'Ufficio del luogo dove si fece il matrimonio (art. 11 del Decreto-Legge n. 30, 615).

42. Se l'atto non è consegnato personalmente all'Ufficio del Registro Civile, sarà inviato a mezzo di lettera raccomandata con ricevuta di ritorno, che si conserverà in posizione affinchè non vada perduta e affinchè il parroco possa giustificarsi nel caso che l'atto non fosse trascritto.

E' assai conveniente che la comunicazione dei matrimoni venga fatta singolarmente, cioè che con una raccomandata non si invii che un solo atto. Nelle città il parroco indicherà il nome della via e il numero della casa parrocchiale.

Nel caso della consegna personale dell'atto all'Ufficio del Registro Civile si abbia cura d'esigerne ricevuta scritta da conservarsi come sopra.

43. Benchè i parroci abbiano tre giorni di tempo per inviare l'atto di matrimonio, procureranno di mandarlo immediatamente firmato che sia, affinchè, nel caso che debba essere restituito al mittente, perchè non soddisfa a tutti i requisiti legali, vi sia tempo sufficiente per poterlo trascrivere nello spazio di sette giorni (cfr. art. XXIII del Concordato).

44. Se la trascrizione dovesse essere fatta in un Ufficio diverso da quello in cui si svolse il processo preliminare delle pubblicazioni, insieme con l'atto sarà inviata copia del documento rilasciato dal funzionario del Registro Civile, autenticata dalla firma del parroco (art. 11 § 2 del Decreto-Legge n. 30: 615).

45. L'obbligo di inviare ai funzionari del Registro Civile l'atto di matrimonio, ricade sul parroco, nel cui territorio è stato celebrato il matrimonio, benchè abbia officiato un altro sacerdote delegato da lui o dall'ordinario, o autorizzato dal can. 1098 n. 2. In caso di legittimo impedimento da parte del parroco, invierà l'atto il suo coadiutore, se v'è, e, ove anche questo fosse impedito o non vi fosse, il sacerdote sostituto, o, in mancanza di essi, il sacerdote che ha validamente e lecitamente assistito al matrimonio ed ha redatto l'atto, il quale sacerdote sarà in tal caso considerato come facente le veci del parroco.

46. Il matrimonio celebrato alla presenza di soli due testimoni, nei termini del can. 1098, sarà comunicato all'Ufficio del Registro Civile dal parroco, non appena ritorni in parrocchia o cessi la causa che gli hà impedito di assistere al matrimonio. E se il matrimonio fosse celebrato *in articulo mortis* alla sola presenza di due testimoni, il parroco farà la comunicazione entro tre giorni, nei termini dell'art. XXII del Concordato. Si avverta che nell'un caso come nell'altro, secondo quanto si è detto al n. 19 della presente Istruzione, l'atto di matrimonio non può essere trascritto nei libri del Registro Civile, se non dopo svolto il processo preliminare delle pubblicazioni (cfr. art. 19 del Decreto-Legge n. 30, 615).

47. Quando il matrimonio religioso sia preceduto dall'atto civile, ipotesi che in regime concordatario non dovrebbe verificarsi, non si tralascerà di inviare l'atto ai funzionari del Registro Civile, come già si disse al n. 25 di questa Istruzione, perchè venga annotato a margine dell'atto nel Registro Civile.

48. Il matrimonio di coscienza non può, come è manifesto, essere comunicato all'Ufficio del Registro Civile; niente però impedisce che i coniugi chiedano in qualunque momento la notificazione per gli effetti civili, salvi sempre i diritti acquisiti dei terzi.

49. Anche all'Ordinario del luogo spetta il diritto di rendere pubblico tale matrimonio e di darne comunicazione, a mezzo del parroco, all'Ufficio del Registro Civile, quando ciò diventi necessario per evitare lo scandalo o altri gravi danni, a norma del can. 1106.

50. Circa i matrimoni celebrati nei termini del comma terzo dell'articolo XXII del Concordato, il parroco non è obbligato sotto pena di sanzioni a comunicare quelli che non possono essere trascritti. Avrà però cura di fare la comunicazione quando cessassero le ragioni che si opponevano alla trascrizione. Si tenga presente che, quanto ai matrimoni celebrati in conformità del citato comma terzo dell'art. XXII del Concordato, la trascrizione non può aver luogo solo in due casi, quando cioè « si verificasse, relativamente a uno dei coniugi, l'impedimento di matrimonio civile anteriore non disciolto o di interdizione per demenza constatata con sentenza passata in giudicato » (art. 12 n. 3 del Decreto-Legge n. 30, 615).

51. Omessa per qualsiasi motivo la trascrizione per gli effetti civili, essa potrà, in qualunque momento, essere richiesta da chi abbia interesse alla medesima, purchè sussistano ancora le condizioni per la validità dell'atto, che esistevano alla data della celebrazione.

52. I coniugi non possono opporsi alla comunicazione del matrimonio all'Ufficio del Registro Civile, poichè il parroco deve fare tale notificazione per obbligo di ufficio, eccetto nei casi menzionati al n. 48, entro i limiti però indicati dai nn. 49 e 50.

53. La trascrizione (nei libri del Registro Civile), che deve essere fatta nel termine di due giorni dalla notificazione, sarà comunicata dal funzionario del Registro Ci-

vile al parroco entro il giorno seguente a quello in cui fu fatta, con l'indicazione della data (Concordato, art. XXII). Nel caso che il funzionario non facesse la comunicazione nel tempo stabilito dalla legge, il parroco insisterà perchè si faccia, e, se ciò riuscisse vano, esporrà il caso al rispettivo Ordinario. A fine di potersi in qualsiasi momento giustificare, il parroco non tralasci di prendere nota della sua insistenza, come pure della partecipazione fatta all'Ordinario.

54. Nel caso di perdita o di mancato invio del duplicato, la trascrizione potrà farsi dietro esibizione del certificato dell'atto, che sarà spedito dal parroco appena abbia conoscenza che il duplicato non è giunto a destinazione, o sarà rilasciato a richiesta di qualsiasi interessato o del Pubblico Ministero (art. 11 § 5 del Decreto-Legge n. 30, 615).

55. Il parroco conserverà diligentemente il documento con il quale gli viene comunicato che l'atto di matrimonio è stato trascritto e avrà cura di apporre subito nel libro dei matrimoni, in margine al rispettivo atto, una nota che questo è stato trascritto. Nella nota marginale si deve indicare la data della trascrizione nonchè quella della comunicazione fatta dal funzionario del Registro Civile.

56. Il matrimonio produce tutti gli effetti civili dalla data della sua celebrazione, se la trascrizione (dell'atto) sarà fatta nel termine di sette giorni. Se non lo sarà, produrrà effetti relativamente ai terzi solo a cominciare dalla data della trascrizione. Non osta alla trascrizione la morte di uno o di ambedue i coniugi (Concordato, art. XXIII [3].

---

[3] Quando il matrimonio si celebri in forza del comma terzo dell'art. XXII del Concordato, « lo spazio di tempo perchè il Conservatore faccia la trascrizione si conta dal giorno in cui spira quello degli editti, ma gli effetti del matrimonio si retrotraggono alla data della celebrazione sempre che la trascrizione sia fatta entro un mese a contare dal ricevimento del duplicato. Lo stesso avverrà nel caso in cui lo svolgimento del processo preliminare eccedesse quello spazio di tempo se il matrimonio fosse trascritto

57. Il parroco che senza gravi motivi tralasciasse di inviare il duplicato dell'atto, entro il tempo prescritto, all'Ufficio del Registro Civile, incorre nelle pene di disobbedienza qualificata (Concordato, articolo XXII). E' anche soggetto alle penalità del can. 2383.

Inoltre consideri il parroco i danni che ne possono seguire se gli atti di matrimonio non vengono trascritti nei registri civili dello Stato, e perciò la responsabilità che egli assume davanti a Dio e alla società, se non adempie religiosamente il dovere di inviare detti atti.

58. Procurino gli Ordinari diocesani che si osservi pure religiosamente la prescrizione del can. 1103 § 2, secondo la quale nell'atto di battesimo di ciascuno dei coniugi si deve apporre, in margine, l'annotazione del contratto matrimonio, con l'indicazione del nome dell'altro coniuge, della data e del luogo del matrimonio, dei nomi dei genitori, dei testimoni e del sacerdote che vi assistè come è prescritto nell'Istruzione della S. C. dei Sacramenti del 4 luglio 1921 (*AAS*, XIII, pp. 348-349). E nel caso che il battesimo fosse stato amministrato in un'altra parrocchia, procurino altresì che il matrimonio sia notificato al parroco del battesimo, come prescrive il citato canone, e nel modo stabilito sia dal medesimo canone che dalla mentovata Istruzione del 4 luglio 1921.

Così pure procurino gli Ordinari che si osservi scrupolosamente quanto dispone l'art' 225 dell'Istruzione della suddetta S. Congregazione dei Sacramenti (15 agosto 1936, *AAS*, XXVIII, pp. 357-358) circa l'annotazione negli atti di battesimo, oltrechè in quelli matrimoniali, delle sentenze di nullità di matrimonio o di dispense dal matrimonio rato e non consumato, con gli eventuali vetiti apposti di passare a nuove nozze.

59. Con le disposizioni della presente Istruzione non restano i parroci dispensati dall'osservanza del can. 470

---

entro due giorni dalla fine del processo » (art. 17 § 2 del Decreto-Legge n. 30:615).

§ 3, che impone l'obbligo di mandare, a fine di ogni anno, alla Curia episcopale un esemplare dei vari libri parrocchiali.

CAPO V

Della convalidazione, sanazione in radice *del matrimonio e legittimazione della prole.*

60. Qualora, prima che l'atto di matrimonio sia mandato all'Ufficio del Registro Civile, si venisse a scoprire la nullità del matrimonio, cui l'atto si riferisce, si procederà alla convalidazione a norma dei canoni 1133-1137, e successivamente il parroco comunicherà al funzionario del Registro Civile l'atto della seconda celebrazione del matrimonio.

61. Al contrario, se la nullità venisse a conoscersi solo dopo la trascrizione dell'atto nei libri del Registro Civile, si procederà, come nel caso precedente, a norma dei citati canoni (n. 60), immediatamente alla sua convalidazione. Di tale convalidazione sarà data immediatamente comunicazione all'Ufficio del Registro Civile perchè venga notata in margine al relativo atto di matrimonio.

62. Non essendo possibile la convalidazione ordinaria del matrimonio, si ricorrerà alla Santa Sede per la sanazione *in radice* del matrimonio invalidamente celebrato.

In questo caso il rescritto di sanazione, se vi è il consenso dell'Ordinario e se l'interesse delle parti lo esige, sarà inviato dal parroco al funzionario del Registro Civile affinchè in margine dell'atto di matrimonio sia apposta la nota che il medesimo fu sanato *in radice*.

63. Poichè per il susseguente matrimonio si legittimano i figli naturali sia davanti alla legge canonica (can. 1116) che davanti alla legge civile (Codice Civile Portoghese, articolo 119), qualora vi fossero dei figli naturali alla data della celebrazione del matrimonio, i genitori do-

vranno riconoscerli nell'atto di matrimonio, indicando a tal fine i loro nomi e le date di nascita, la parrocchia dove furono battezzati, come pure i numeri degli atti nel Registro Civile. Quando invece trattasi di figli non legittimabili per susseguente matrimonio e sia stato concesso dalla Santa Sede il rescritto di loro legittimazione, il parroco potrà suggerire alle persone interessate di presentarlo alle competenti autorità civili per ottenere il riconoscimento civile della legittimazione (cfr. can. 1116; Codice Civile Portoghese, art 122).

64. Le decisioni e sentenze definitive circa la nullità del matrimonio cattolico e la dispensa dal matrimonio rato e non consumato, e analoghi provvedimenti emanati dalla Santa Sede, saranno trasmessi al Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica per il relativo controllo e da questa a sua volta inviati, con i relativi decreti, per via diplomatica, al Tribunale di Appello dello Stato territorialmente competente, il quale li renderà esecutivi e ordinerà che siano annotati nei registri dello stato civile a margine dell'atto di matrimonio.

66. Si richiama alla mente degli Ordinari che a norma dell'art. XXIV del Concordato, i coniugi, per il fatto stesso della celebrazione del matrimonio canonico, hanno rinunziato alla facoltà civile di chiedere il divorzio che perciò non potrà essere applicato dai tribunali civili ai matrimoni cattolici.

CAPO VI

Disposizioni transitorie

67. Poichè i matrimoni celebrati solo canonicamente prima dell'entrata in vigore del Decreto-Legge del Governo Portoghese n. 30, 615 del 25 luglio 1940 producono effetti civili dalla data della trascrizione, che si farà, se ne sarà il caso, dopo svolto il processo preliminare delle

pubblicazioni (art. 3), è da consigliare ai coniugi, che si trovassero in tale condizione, di regolarizzare la loro situazione, anche davanti alla legge civile, per profittare dei benefici concessi dallo Stato ai matrimoni ufficialmente riconosciuti [4].

68. Se nei matrimoni, di cui al numero precedente, vi fossero dei figli alla data della trascrizione dell'atto di matrimonio nei libri del Registro Civile, si deve procurare la loro legittimazione davanti alla legge civile. A tale effetto il parroco nello stesso certificato di matrimonio da inviare al funzionario del Registro Civile, indicherà i nomi dei figli nati dal matrimonio, dando gli schiarimenti necessari perchè si possa fare l'annotazione negli atti di nascita dei figli stessi.

La Santità di Nostro Signore Pio PP. XII nell'udienza accordata al sottoscritto il giorno 21 settembre 1940, Si è benignamente degnata di approvare e confermare la presente Istruzione e di dare ordine che venisse immediatamente pubblicata.

Roma, dalla Congregazione della Disciplina dei Sacramenti, 21 settembre 1940.

D. Card. JORIO, *Prefetto.*

L. ✠ S.

F. Bracci, *Segretario.*

Annotationes

1. In Concordato lusitano tria concessit S. Sedes auctoritati civili quoad matrimonia canonice celebranda vel iam celebrata. Respiciunt ea vel publicationes praevias,

---

[4] La partecipazione al Registro Civile di questi matrimoni si farà in tal caso mediante l'invio del certificato del rispettivo atto (articolo 11 § 5 del Decreto-Legge n. 30:615).

etiam ab auctoritate civili praemittendas, vel inscriptionem intra septem dies in albo civili faciendam, vel denique communicationem sententiarum nullitatis atque dispensationum quoad matrimonia rata et non consummata. Ex sua parte Status sollemnem obligationem assumit, non modo agnoscendi omnes effectus civiles matrimoniorum canonice celebratorum, sed etiam non applicandi eisdem ullo in casu legem divortii perfecti, quae quidem pro matrimoniis non canonicis valet adhuc in Lusitania. Huc accedit quod admittat etiam Status in suo foro quoad effectus civiles, vel sententias nullitatis, a competenti auctoritate ecclesiastica latas, vel dispensationes in matrimoniis ratis et non consummatis a S. Sede concessas.

Patet exsecutionem harum dispositionum generalium regulas particulares et concretas, ab utraque auctoritate pressius determinatas, necessario exigere. Hae regulae continentur in Decreto-lege, quod Gubernium lusitanum d. 25 iulii a. 1940 promulgavit, et in praesenti Instructione S. C. de D. Sacramentorum. Cum in hac Instructione habeatur iam ratio normarum, quas auctoritas civilis ex sua parte determinavit, sufficiet eam breviter perpendere, ut totius rei summarius conspectus habeatur.

2. Dirigitur haec Instructio ad Ordinarios locorum Lusitaniae, quorum erit et communicare eam parochis sibi subiectis et curare praeterea exactam illius observationem ex parte eorundem parochorum. Immo ad efficacius obtinendam adimpletionem gravissimae huius obligationis, commendat S. Congregatio Ordinariis locorum ut quotannis vel per se ipsos vel per speciales delegatos libros paroeciales inspiciendos curent. Iuvat hic notare in matrimoniis quae posthac celebrentur iuxta normas, recens ab utraque auctoritate suprema latas, parochos, sive in principio sive in fine totius negotii matrimonialis, principales partes esse acturos.

3. Plura, quae in praesenti Instructione continentur, diligentem exsecutionem praescriptionum, sive iuris com-

munis, sive iuris particularis in Concilio plenario lusitano constituti, minutatim urgent; hic autem solum memorabuntur quae directe praescripta matrimonialia Concordati lusitani respiciunt.

Cuiuslibet matrimonii canonici celebrationem publicationes, in officina civili competenti factae, praecedant necesse est in ordinariis adiunctis; parochus, qui id neglexerit, obnoxius erit poenis in art. 14 citati Decreti-legis statutis. Possunt quidem adesse adiuncta extraordinaria, in quibus immediata celebratio matrimonii canonici conveniat. Haec necessitas vel convenientia expresse agnoscitur pro matrimoniis ob imminentem, vel mortem vel partum, sine mora celebrandis; sed cum possint adhuc aliae causae graves occurrere, quas singillatim memorare non facilis negotii esset, ideo eae omnes iudicio Ordinarii loci relinquuntur, cuius erit et gravitatem causae perpendere et debitam licentiam concedere ad celebrandum matrimonium, publicationibus cuiuslibet generis omissis. Pro hoc casu praescribitur in Decreto-lege ut mittat parochus in officinam civilem, non modo documentum contracti matrimonii, sed etiam exemplar transcriptum suaque manu subsignatum, documenti quo Ordinarius loci immediatam celebrationem matrimonii permisit.

Insuper, cum etiam parochus sit competens, vi legis civilis, ad petendas publicationes matrimoniales in officina civili, huiusmodi facultatis usus suadetur parochis in hac Instructione. Ipsis vero Ordinariis commendatur quoque ut facultate, eis per c. 1028, § 1 concessa, parce utantur; immo causa vere gravis et urgens desideratur ad omissionem omnium trium publicationum, quae in ecclesia fieri debent. Nec oblivioni tradendum erit in lege lusitana exigi iterationem publicationum matrimonialium, si iam tres menses elapsi fuerint a prioribus publicationibus peractis quin celebraretur matrimonium; ex quo bene fieri poterit ut iteratio publicationum urgeat in foro civili quin sit

ea necessaria in foro ecclesiastico, in quo vi c. 1030, § 2, intervallum sex mensium conceditur.

3. Inscriptio, statuto tempore facienda, in albo auctoritatis civilis est procul dubio res maximi momenti in praescriptis Concordati lusitani. Ex adimpletione enim huius requisiti pendet omnino tam agnitio omnium effectum civilium, qui subsequuntur celebrationem cuiuslibet matrimonii, quam protectio indissolubilitatis vinculi, specialiter assignata matrimoniis canonicis. Hinc est quod in praesenti Instructione omnia, praedictam inscriptionem respicientia, maxima cura describantur. Sic determinantur quam perspicue tam subiectum huius obligationis quam tempus et modus quo ea adimpleri debeat vel oporteat. Parochus loci, in quo contrahitur matrimonium, obstringitur directe et immediate hac gravissima obligatione, etsi personaliter non astiterit ipse matrimonio. Si autem parochus fuerit legitime impeditus, subintrat loco suo vicarius cooperator, vel huius defectu, vicarius substitutus. Quodsi neuter adsit, tunc sacerdoti, qui valide et licite matrimonio astiterit, incumbit ipso facto gravis illa obligatio. In casu vero in quo, vi c. 1098, matrimonium coram solis duobus testibus contractum fuerit, parochus, ubi primum in paroeciam redierit vel cessaverit causa, qua impediebatur quominus assisteret matrimonio, debitam illius in albo civili inscriptionem faciendam curavit. Ex his patet fieri non posse ut desit ullo in casu subiectum gravis obligationis de qua in art. XXII, § 4.

Vi art. 19 Decreti-legis matrimonia, omissis publicationibus quacumque de causa in officina civili, contracta, non inscribentur in albo civili, nisi post peractam illam publicationem, ex qua patefiat nihil tali inscriptioni obstare. Ast pari tempore statuitur in art. 12, n. 3 eiusdem Decreti-legis matrimoniis ad normam art. XXII, p. 3 Concordati contractis tunc solummodo denegari posse inscriptionem ab auctoritate civili, cum obstet vel matrimonium civile praecedens, nondum dissolutum, vel interdictio con-

trahendi matrimonium ob amentiam comprobatam per sententiam, quae in rem iudicatam transierit. Hoc modo consulitur opportune securitati obtinendi apud auctoritatem civilem inscriptionem matrimonii, quod contractum fuerit ad normam art. XXII, p. 3 Concordati. Quamvis per se spatium trium dierum detur parocho ut satisfaciat obligationi mittendi ad auctoritatem civilem acta matrimonii canonici, commendatur tamen ei in praesenti Instructione ut immediate post exarata documenta eorum transmissionem curet. Prudentia rursus suadet ut retineatur documentum, ex quo haec transmissio, vel personaliter vel per tabellarios publicos facta, aperte constet. Hae normae, de quibus hucusque, servabuntur pariter cum matrimonium, invalide ob quamcumque causam contractum, canonice convalidetur. Demum quoad sententias nullitatis, ab auctoritate ecclesiastica latas, vel quoad dispensationes a matrimonio rato et non consummato a S. Sede obtentas, Tribunalis Appellationis Status erit, post acceptam communicationem a S. Tribunali Signaturae Apostolicae, curare ut de iis constet ad marginem inscriptionis respectivi matrimonii.

Quicumque has omnes normas attente consideret, videbit profecto per eas rite consuli dignitati matrimonii canonici, cui effectus civiles secure adscribentur in quibuslibet adiunctis. Hinc recte intelligitur severa prohibitio matrimonii civilis, quae rursus in hac Instructione iteratur pro catholicis; nulla enim nec apparens ratio posthac adduci poterit a catholicis pro tali agendi modo legitimando; qua de re qui sic agere ausi fuerint, erunt iam considerandi velut publici peccatores, quibus applicabitur a parocho c. 1066.

PHILIPPUS AGUIRRE S. I.

8 - Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum

II

HORTATIO

DE INSTRUCTIONE, DIE 26 MENSIS MAII 1938 DATA, STUDIOSIUS SERVANDA

(*AAS* XXXIII [18 febr. 1941] p. 57).

Quanta sollicitudine Ordinarii locorum ab edita huius S. Congregationis Instructione de sedulo custodienda SS. Eucharistia [1] operam dederint ut in ea contentae praescriptiones sacerdotibus utriusque cleri innotescerent et ab iisdem exsecutioni mandarentur, hanc eandem S. Congregationem non utique latet.

Attamen, quo vigilantius etiam Sacratissimus hic vitae Panis ab omni defendatur iniuria, huic sacro Dicasterio supervacaneum visum non est eosdem Ordinarios denuo hortari ne graventur parochos ecclesiarumque rectores omnes iterum monere ut, sollicitudine aucta, quae per praefatam Instructionem praescriptiones editae sunt sedulo planeque observent.

Quod si nihilo secius furtum aliquod sacrilegum infeliciter perpetratum forte fuerit, numquam prorsus omittant Ordinarii ipsi processum oeconomicum, de quo in dicta Instructione (n. 10, litt. *b*), illico conficere, actaque omnia dein huic S. Congregationi deferre.

Romae, ex aedibus S. C. de Disciplina Sacramentorum, die 10 Februarii 1941.

D. Card. JORIO, *Praefectus.*

L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius.*

---

[1] *AAS* XXX, p. 198 sqq.

9 - Sacra Congregatio Concilii
Resolutio 15 iun. 1940

(*AAS* XXXIII [10 mart. 1941] p. 70 ss.)

CATANEN.

RESERVATIO DIGNITATUM CAPITULARIUM

SPECIES FACTI. — Pius IV diplomate diei 17 apr. 1565 Capitulum Cathedrale Catanense, antea monasticum, monachis nempe S. Benedicti concreditum, in saeculare convertit, suppressis et extinctis antiquis dignitatibus et canonicatibus, et erectis quatuor aliis dignitatibus ac duodecim canonicis et totidem presbyteris, seu clericis beneficiatis, hebdomadariis nuncupandis. Cetera omnia ut antea servavit, inter quae observantiam in eodem Capitulo inolitam, vi cuius « tam dignitatum quam canonicatuum et praebendarum ac simplicium beneficiorum sic erectorum... collatio, provisio et omnimoda dispositio ad ipsum Episcopum Catanien. pro tempore exsistentem pleno iure pertineret ».

Defuncto Pio IV, quin Bullae apostolicae expedirentur, Pius V per Bullam *In eminenti* diei 9 Februarii 1568 a suo Antecessore Pio IV statuta approbavit et confirmavit.

Deinde, anno 1639, Episcopus Catanensis quatuor dignitatibus antea erectis quintam addidit, cuius collationem sibi attribuit.

Memoratas has dignitates Archiepiscopi Catanenses usque modo contulerunt, immo et post promulgatum Codicem Iuris canonici hodiernus praesertim Archiepiscopus hoc ius sibi competere contendit, idque vi privilegii apostolici, non abrogati per canonem 4 eiusdem Codicis.

Contradicente vero Dataria Apostolica, ab eadem quaestio huic Sacrae Congregationi definienda delata est.

ANIMADVERSIONES. — In primis, quod quintam dignitatem spectat, ab Episcopo Catanensi erectam quin accesse-

rit apostolicum privilegium, nullum est dubium quod Sanctae Sedi nunc sit reservata.

Sed et de ceteris idem sentiendum esse videtur. Advertendum autem est ex Regula IV Cancellariae Apostolicae non omnes dignitates capitulares fuisse Sanctae Sedi reservatas, sed tantummodo « omnes dignitates maiores post Pontificales in cathedralibus, etiam Metropolitanis et Patriarchalibus », id est primam tantum dignitatem post Pontificales. Nec officit in relata Regula Cancellariae pluralitas: *omnes dignitates*, quia, ut adnotat Riganti in *Regulas Cancellariae Apostolicae* (tom. I, in reg. IV, § 1, 7) « pluralitas illa resolvitur in singularitatem, et respicit pluralitatem ecclesiarum non autem pluralitatem dignitatum maiorum vel principalium eiusdem ecclesiae ».

Quapropter, quoad ceteras dignitates, praeter primam post Pontificalem, Ordinarius Catanen. non potest sibi ius vindicare easdem conferendi vi Bullae S. Pii V, quia, cum non essent reservatae, Bulla ex hoc capite nil aliud continebat nisi id quod tunc temporis erat ius commune. Mutata hodie lege per Codicem I. C., et illa dispositio mutetur necesse est.

Praeterea, observantia seu consuetudo in re de qua est quaestio, vi cuius omnes dignitates capitulares ab Episcopis Catanensibus conferebantur, inducta iam erat tempore quo Capitulum cathedrale erat monasticum; nec constat a privilegio apostolico eandem consuetudinem esse repetendam, vel privilegium ipsum sanxisse Pontifices Pium IV et Pium V. Siquidem Pius IV diplomate anni 1565 Capitulum monasticum in saeculare convertit, ceteris omnibus, ut antea servatis, sive quoad numerum dignitatum, canonicatuum et beneficiorum, sive quoad inolitam observantiam tunc vigentem, vi cuius dignitates et canonicatus ab Episcopis Catanensibus in mensibus quoque Papalibus conferebantur. Pius vero V, Bulla *In eminenti* anni 1568, statuta et incoepta sui Decessoris, nihil addens vel innovans, probavit et confirmavit: « Concessionem Praede-

cessoris huiusmodi... Auctoritate apostolica tenore praesentium... probamus et confirmamus ».

Iamvero consuetudinem, licet peculiari apostolica approbatione et confirmatione munitam, naturam non mutare, nec vim apostolici privilegii induere in comperto est.

Verum, etsi in casu ageretur de apostolico privilegio, abrogatum hoc fuisse videtur praesertim per canonem 1435 § 1 generatim statuentem, *omnes* dignitates... ad normam canonis 396 § 1 esse reservatas Sedi Apostolicae, nulla proinde exclusa dignitate ex quocumque titulo. Et canon 396 § 1 modo absoluto et inconditionato praescribit quod « collatio dignitatum... Sedi Apostolicae reservatur ». Quod confirmatur, a fortiori, ex analogia cum canone 403, quo Ordinariis reservatur collatio canonicatuum et beneficiorum, firma tantum contraria fundationis lege.

Resolutio. — In plenariis autem Comitiis die 15 Iunii 1940 habitis, E.mi Patres huius Sacrae Congregationis ad propositum dubium: « *An dignitates Capituli cathedralis Catanensis post Codicem promulgatum sint Apostolicae Sedi reservatae* », responderunt: *Affirmative.*

Quam resolutionem in Audientia diei 20 eiusdem mensis, referente subscripto eiusdem S. Congregationis Secretario, Ss.mus Dominus Pius Pp. XII benigne approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

10 - Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali

DECRETUM

PRO SPIRITUALI ADMINISTRATIONE ORDINARIATUUM GRAECO-RUTHENORUM IN FOEDERATIS CIVITATIBUS AMERICAE SEPTENTRIONALIS.

(*AAS* XXXIII [18 febr. 1941] p. 27 s.)

Per Decretum « Cum data fuerit », die 1 m. Martii a. 1929, a S. Congregatione pro Ecclesia Orientali datum, *spirituali administrationi Ordinariatuum Graeco-Ruthenorum in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis* provisum fuit ad decennium. Cum vero, omnibus perspectis, decennali experientia compertum sit huiusmodi decretum vitae religiosae fidelium illarum regionum valde profuisse, S. haec Congregatio, praehabitis votis Exc.morum P. D. Hamleti Ioannis Cicognani, Archiepiscopi tit. Laodicensis in Phrygia, in iisdem Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus Delegati Apostolici, P. D. Basilii Takács, Episcopi tit. Zeliteni ac Apostolici Exarchae pro Ruthenis e Podcarpathia, nec non P. D. Constantini Bohacewskyi, Episcopi tit. Amiseni ac Apostolici Exarchae pro Ruthenis e Galitia, paucis, quae sequuntur, mutatis vel additis, illud ad aliud decennium confirmare statuit.

Art. 15. — Omnes rectores paroeciarum et missionum graeco-ruthenarum in Foederatis Civitatibus nominantur per Decretum proprii Ordinarii graeco-rutheni ritus, excluso quovis laicorum interventu. Iidem amovibiles sunt (*ad nutum Ordinariorum graeco-rutheni ritus. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis*).

Art. 39. — (*Matrimonia tum inter fideles graeco-ruthenos, tum inter fideles mixti ritus, servata forma decreti « Ne temere » contrahi debent, ac proinde in ritu mulieris a parocho mulieris benedicenda sunt*). Quod si iusta causa

adsit, poterunt nuptiae celebrari in ritu viri, de iudicio et de consensu Ordinarii loci.

Quae omnia, in Audientia diei 23 mensis Novembris a. 1940, referente infrascripto Cardinali a secretis, Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII probavit ac rata habuit, simul iubens per Decretum S. C. pro Ecclesia Orientali publici iuris fieri.

Contrariis quibuslibet minime obfuturis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 23 mensis Novembris a. 1940.

E. Card. Tisserant, *a Secretis.*

L. ✠ S.

I. Cesarini, *Adsessor.*

11 - Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali

DECRETUM

FACULTAS CONCEDENDI TRANSITUM AD ALIUM RITUM DEINCEPS UNI S. SEDI RESERVATUR.

(*AAS* XXXIII [18 febr. 1941] p. 28)

Quo firmior teneatur disciplina de cuiusvis fidelis ad nativum ritum pertinentia, Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII, in Audientia diei 23 mensis Novembris anno 1940, referente infrascripto Cardinali a secretis, statuere dignatus est facultatem transeundi ab uno ad alium ritum a S. Sede tantum esse concedendam.

Cessat igitur facultas qua fruebantur Nuntii ac Delegati Apostolici ex Decreto « Nemini licere », die 6 mensis Decembris, anno 1928 dato (Cfr. *A.A.S.*, 1928, p. 416), atque huic S. Congregationi directe reservatur iudicium de iis omnibus quae referuntur ad transitum ab uno ad alium ritum, sive de clericis sive de fidelibus agatur.

Contrariis quibuslibet minime obfuturis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 23 mensis Novembris anno 1940.

E. Card. TISSERANT, *a Secretis.*

L. ✠ S.

I. Cesarini, *Adsessor.*

12 - Sacra Paenitentiaria Apostolica
Dubium 10 dec. 1940

CIRCA ABSOLUTIONEM GENERALI MODO IMPERTIENDAM MILITIBUS « IMMINENTI AUT COMMISSO PROELIO ».

(*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 571)

In Indice facultatum, quas Ss.mus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XII concessit pro tempore belli, et de quibus in *Acta Ap. Sedis,* a. 1939, p. 710 et sqq., legitur:

« Imminenti aut commisso proelio ... liceat ... Sacerdotibus absolvere a quibusvis peccatis et censuris quantumvis reservatis et notoriis, generali formula seu communi absolutione, absque praevia orali confessione, sed doloris actu debite emisso, quando sive prae militum multitudine sive prae temporis angustia singuli audiri nequeant ».

Iamvero quaesitum est: Quid faciendum si aliquando circumstantiae tales sint ut praevideatur moraliter impossibile aut valde difficile fore ut milites turmatim absolvi possint « imminenti aut commisso proelio »?

Sacra Paenitentiaria Apostolica, omnibus mature perpensis, respondendum censuit: In praedictis circunstantiis, iuxta Theologiae moralis principia, licet, statim ac necessarium iudicabitur, milites turmatim absolvere. Sacerdotes autem sic absolventes ne omittant paenitentes docere absolutionem ita receptam non esse profuturam,

nisi rite dispositi fuerint eisdemque obligationem manere integram confessionem suo tempore peragendi.

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo Domino Nostro Pio div. Prov. Pp. XII ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore in Audientia diei 7 vertentis mensis, idem Ss.mus Dominus resolutionem Sacrae Paenitentiariae approbavit, confirmavit et publicandam mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 10 Decembris 1940.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Annotationes

In *AAS*., vol. XXXI, pag. 740 seqq., prodiit a S. Congr. Consistoriali « *Index Facultatum* » *Vicariis castrensibus seu Cappellanis maioribus, quocumque vocantur nomine, a SS. D. Nostro Pio Pp. XII concessarum* (Eas habes quoque in *Periodica*, t. XXIX, Fasc. I-II, 15 Febr. 1940, pag. 124.

Quod si iam ab initio quaeras cur hoc Decretum a S. Congr. Consistoriali prodierit potius quam ab aliis, responsum in promptu esse vîdetur; nam cum in eo plures ac diversae facultates contineantur quae a variis S. Sedis Dicasteriis concedi possunt, eas a competentibus Officiis obtentas, una cum propriis, Congr. Consistorialis in unum collectas ad Praelatos sibi directe subditos, nempe ad Vicarios castrenses etc. transmittendas curavit.

Inter illas facultates sub n. 14 recensentur eae quibus potiuntur sacerdotes « imminenti aut commisso praelio » in ordine ad absolutionem sacramentalem militibus impertiendam. Consulto vero dicitur in Decreto litt. a) « *Meminerint sacerdotes se, licet ad confessiones non adprobatos, gaudere facultate omnes milites immediate ante*

praelium vel in praelio dimicantes, prout in mortis periculo constitutos, absolvendi, particulari quidem absolutione, a quibusvis peccatis et censuris, iniunctis de iure iniungendis »; quod in litt. b) extendit quoque ad absolutionem generali formula datam, « *absque praevia orali confessione, sed doloris actu debite emisso, quando sive prae militum multitudine sive prae temporis angustia singuli audiri nequeunt* ... ».

Consulto haec ita efferri dicimus, quia, potius quam de nova facultate concedenda, agitur de declaratione iuris divini circa necessitatem confessionem oralem absolutioni peccatorum praemittendi.

Confessionis necessitas, et quidem iure divino, invicte in theologia dogmatica probatur, et in Conc. Tridentīno (sess. 14, can. 7) his verbis asseritur: « *Si quis dixerit in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia* ... *A. S.* Nam cum potestas remittendi peccata in confessione sit potestas vere iudicialis, quae versatur immediate circa peccata ut ea remittat vel retineat pro rei conditione, cumque potestas iudicialis exerceri nequeat nisi causae cognitio praecedat; inde evidenter consequitur necessarium esse ut poenitens, qui in hoc tribunali acusatoris et rei partes assumit, conscientiam suam plene manifestet ad hoc ut confessarius de ea cum cognitione causae iudicare valeat.

Cum autem agatur de re morali et humana ad bonum animarum a Christo Domino misericorditer instituta, planum est sufficere confessionem quam hic et nunc poenitens moraliter praestare possit; quae quidem diversa erit pro diversitate poenitentium et adiunctorum in quibus illi versentur.

Missas facimus plures easque satis implicatas quaestiones circa absolutionem eius qui nullum poenitentiae signum nullamque oralem confessionem facere valet. Quod

in casu praesenti non verificatur, in quo milites certe aliquod signum externum confessionis dare possunt et debent.

Post editum Decretum S. Congr. Consistorialis, de quo initio mentionem fecimus, quaesitum est a S. Paenitentiaria: *Quid faciendum si aliquando circumstantiae tales sint ut praevideatur moraliter impossibile aut valde difficile fore ut milites turmatim absolvi possint « imminenti aut commisso praelio »*?

Et certe, talia adiuncta dari possunt et saepe dantur in quibus urgeat absolutionis necessitas eaque dari nequeat *« imminenti aut commisso praelio »*. Modus enim hodiernus bellum gerendi valde differt ab antiquis, in quibus facilius erat pugnam iam ante aliquot dies aut certe horas praevidere. Nunc contra, praesertim ob usum armorum aëriorum et submersorum, impossibile saepe est pugnae momentum praesagiri. Additur (quod bene notat Cl.mus D. I. Rossi, Secret. S. Paenit. in artic. *Osserv. Roman.* edito 25 Ian. 1941) animorum commotio et excitatio ante praelium, difficultas milites eo tempore simul convocandi, paucitas cappellanorum militarium, etc., quae omnia et alia inopinato supervenientia difficilem admodum aut etiam impossibilem absolutionem eo momento reddant.

Inde S. Paenitentiaria, ius divinum declarans potius quam novam aliquam legem statuens, *« respondendum censuit: In praedictis circumstantiis, iuxta Theologiae moralis principia, licet, statim ac necessarium iudicabitur, milites turmatim absolvere »* rite quidem dispositos (elicito nempe actu contritionis vel saltem attritionis), et obligationi obnoxios integre suo tempore confessionem peragendi. Quae obligatio consequitur obligationem omnia peccata declarandi, cum fieri possit, ut iudicium plene et complete peragatur. Haec tamen obligatio (ut bene notat Ball.-Palm. t. v, n. 432) « ex nulla lege urget statim. Sufficit ut id fiat cum prima vice, suo tempore, poenitens, vel ex obligatione vel sponte, confiteatur ».

De distantia inter confessarium et poenitentes. Sponte hic oriri potest haec quaestio, de qua tamen nulla mentio fit nec fieri debebat in responsione S. Paenitentiariae, quae eam relinquit, sicut alias, iuxta principia Theologiae moralis solvendam. Quaeramus ergo quaenam sint in casu principia moralia.

Absolutio, iuxta Ecclesiae traditionem et communem doctorum doctrinam, verbis proferenda est, et quidem ad validitatem, licet id ex natura ipsa iudicii probari nequeat. Requiritur insuper ut poenitens confessario *praesens sit*, « Quanta vero debeat esse haec praesentia vel propinquitas inter poenitentem et confessorem, morali et prudenti iudicio pensandum est » (Suárez, De Poenit.., disp. 19, sect. 9, n. 13).

« Haec autem moralis praesentia (sic S. Alph., De Sacr. Poenit., n. 429) reputatur illa intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent, ut dicunt Sporer, n. 610 ... Ebel, n. 29, qui cum Sporer et aliis addit talem praesentiam posse extendi ad 20 circiter passus, praesertim ubi poenitens nondum est egressus ab aspectu confessarii ... Ceterum censet cum Gob et Bonac. sine scrupulo absolvi poenitentem qui recessit e confessionali, si certo scitur esse adhuc intra paucos passus. Merito autem Tamb. non approbat Leandrum, qui dicit satis esse ad praesentiam moralem si sacerdos videat poenitentem, aut alio sensu percipiat; praesentia enim pro absolutione maiorem propinquitatem requirit, quam pro audienda concione vel Missa ».

Circa hanc regulam 20 passuum imprimis notatu dignum est nullum, ex pluribus auctoribus quae illam statuunt quosque videre potuimus, excepto Ferreres, de quo postea, explicare cui ex magis notis mensuris aequivalent; quod necessarium fuisset ut clare appareret de qua distantia loquerentur. Omnes qui tales auctores legunt intelligent procul dubio agi de passibus ordinariis quibus homines modo consueto gradiuntur. Hi vero passus plus minusve di-

midium metrum aequant. Raym. de Miguel in suo « Nuevo Diccionario Latino-Español » dicit esse mensuram 5 aut 3 pedum. Datur et alius passus, quem geometricum vocant, qui fere uni metro cum 40 centimetris aequivalet. Sed utrum unum ex istis an fortasse alium auctores significent, latet omnino, et sic regula illa anceps et dubia remanet. Si passus communi modo intelligantur, 20 passus aequivalent pl. min. 10-12 metris. Quis autem dicet non posse homines inter se colloqui si etiam 20 aut 40 metris distent, si voce altiori loquantur? Quod facili experientia comprobari poterit. Et cur, cum versemur in moralibus, mathematica distantia 20 passuum statuitur?

Ipse cl. P. Cappello qui absolute scribit (De Poenit., n. 94, 2): « Absolutio certo valida non est, si confessarius et poenitens sint quidem in eodem loco, at ultra viginti passus ab invicem distent », in n. 4, loquens de absolutione plurium ait: « *Plures* simul absolvi possunt; imo integer exercitus potest absolvi, dummodo universa militum multitudo absolventi praesens sit; censetur autem praesens, quamvis postremi ultra viginti passus distent, si collocutio cum eis possibilis sit ».

Et recte quidem, nam quando agitur de hominum multitudine ratio habenda videtur de unione quae inter omnes intercedit; sicut concioni in ecclesia censentur adesse quotquot praedicatoris vocem audire possunt, licet plus quam 20 aut 40 passus distent. Imo et praesentes ab omnibus dicuntur quotquot in platea S. Petri, die Paschatis, adsunt benedictionem Summi Pontificis recepturi.

Vidimus supra S. Alphonsum non approbare sententiam Leandri dicentis satis esse ad praesentiam moralem si sacerdos videat poenitentem, aut alio sensu percipiat; id tamen forsitan cum aliqua attenuatione intelligendum est, maxime si agatur de absolutione collectiva danda hominibus qui unicum coetum efficiunt. Idque eo magis quod, iuxta AA. generatim, minime necesse est « ut poenitens verba absolutionis audiat, et tanto minus ut eadem intel-

ligat: sufficit enim ut sacerdos illa verba proferat » (S. Alph., ibid., n. 429). Et, nisi fallimur, vel ipsi cappellani militares ita rem intelligunt et in praxim deducunt cum agitur de absolutione magnae militum multitudini danda.

Plures Doctores de hoc casu non agunt, saltem expresse, v. c. Genicot-Salsmans (II, n. 267); D'Annibale (IV, n. 327); Ferreres (II, n. 536), qui regulam referens 20 passuum dicit dubitative eos aequivalere fere 29 metris; Lehmkuhl, in Compendio, ed. 5, n. 789; Frassinetti (II, n. 383); Ubach (II, n. 1820), etc.

Alii mediam quandam viam sequuntur et concedunt licere « absolvere, saltem condicionate.... milites praelium aggressuros, etiam eminus adstantes » (Arregui, n. 577, C). Quid censeat Cappello iam antea diximus, qui verbis relatis addit, nulla facta mentione absolutionis condicionatae: « Quodsi tanta sit distantia postremorum (militum) ut collocutio cum eis ne alta quidem voce possibilis sit, iuxta plures (aliis tamen contradicentibus) non censentur amplius praesentes, ut valide absolvi queant. Quare magni exercitus sunt dividendi in plures partes et singulae absolvendae, ut certius validitati absolutionis consulatur ».

Similiter Noldin-Schmitt (III, 238, Ed. XXI): « Integer *exercitus* absolvi potest, dummodo tota militum multitudo absolventi praesens sit; praesens autem censetur, etsi postremi longe ultra viginti passus distent. Quodsi postremorum tanta sit distantia ut cum eis collocutio ne alta quidem voce possibilis sit, non amplius censentur praesentes, ut valide absolvi possint. Ideo magni exercitus in plures partes dividi et singulae partes absolvi solent ».

Alii magis aperte et absolute, circa hanc absolutionem opinantur. Lehmkuhl v. gr. (II, 369, 2, Edit. 11, in nota) scribit: « Si vero in casu necessitatis tota aliqua multitudo simul absolvitur, certe distantia illa non obstat quominus valida absolutio fiat, etiam in homines remotiores cum tota turba coniunctos. Nam si omnes alloquerer, nemo negaret omnes illos ex turba mihi moraliter praesentes

esse, ad quos naturaliter vox mea pertingeret: nimirum tunc videndum est ne tantopere distent remotiores, sed sitne multitudo ut unum aliquod a me tantopere separata ».

AERTNYS-DAMEN (II, Ed. XII, n. 330, 2): « Imo, absolvi potest et magna turba (exercitus v. gr.) quae stat coram confessario, etsi postremi longe ultra viginti passus distent. Si vero ultimi absolutionem etiam altissima voce prolatam audire nequeant, turba melius per partes absolvitur » (Et citat MARC et NOLDIN).

Magis adhuc absolute MERKELBACH (De Poen., n. 445, B) « In praelio multitudo militum absolvi potest, quamvis quidam multum distent, quia efformant unum quid morale et hac ratione omnes sunt sufficienter praesentes ». Fere iisdem verbis TANQUEREY (Brev. synopsis Theol. mor., n. 961).

Quibus omnibus inspectis, prudens videtur consilium milites in partes minores dividendi, quando eorum multitudo magna sit, tum ut securius validitati absolutionis consulatur, tum ut melius ad eam recipiendam praeparentur et ut instrui possint de necessitate eliciendi actum saltem attritionis et confitendi deinde omnia peccata. Ad quod, si casus ferat et fieri possit, utiliter adhibebitur instrumentum quod ad vocem amplificandam inservit. Et si, ob temporis angustias, aliud fieri nequeat, tunc tota simul multitudo absolvatur. Quodsi conditionem adicere opus esset, secundum sententiam superius relatam, sufficit tunc conditio implicita et virtualis, qualem habet v. c. qui vult absolvere secundum institutionem Christi vel intentionem Ecclesiae, siquidem rubrica in hoc casu expressam conditionem non praescribit (Cfr. ARREGUI, n. 311, 3).

I. M. RESTREPO R., S. I.

13 - Sacra Paenitentiaria Apostolica Decretum 22 febr. 1941

SACERDOTIBUS, QUI IN PECULIARIBUS CUSTODIAE LOCIS DETINENTUR, FACULTAS CONCEDITUR SACRAMENTALEM EORUM CONFESSIONEM AUDIENDI, QUI IISDEM IN LOCIS QUAVIS DE CAUSA COMMOHANTUR.

(*AAS* XXXIII [10 mart. 1941] p. 73)

Ut facilius spirituali eorum saluti prospiciatur qui nunc temporis in peculiaribus custodiae locis a publica Auctoritate detinentur, Sacra Paenitentiaria Sacerdotibus, qui eamdem vitae rationem participant, Apostolica Auctoritate, concedit facultatem confessionem sacramentalem eorum omnium audiendi, qui vel in iisdem conditionibus versantur vel pro suo munere in iisdem locis commorantur, dummodo praedicti Sacerdotes iurisdictionem ad confessiones excipiendas a proprio Ordinario iam habuerint neque eadem privati fuerint.

Facta autem de his relatione Ss.mo Domino Nostro Pio div. Prov. Pp. XII ab infra scripto Cardinale Paenitentiario Maiore in Audientia diei 15 vertentis mensis, idem Ss.mus Dominus Noster Decretum Sacrae Paenitentiariae approbavit, confirmavit et publicandum mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 22 Februarii 1941.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

ACTA SUMMATIM RELATA

14 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Allocutio quam Summus Pontifex Pius XII puellis ab Actione Catholica, ex Italiae dioecesibus Romam in aedes Vaticanas die 6 octobris anni 1940 convenientibus, habuit (*AAS* XXXII [30 oct. 1940] pp. 409 ss.).

Allocutio quam Beatissimus Pater Pius XII laborantibus in Actione Catholica, ab Exc.mis ac Rev.mis Italiae Ordinariis Romam missis, atque in Vaticanis aedibus die 4 mensis septembris anni 1940 coadunatis, habuit (*AAS* XXXII [25 sept. 1940] pp. 362 ss.

Allocutio quam Summus Pontifex Pius XII adulescentibus ab Actione Catholica, ex Italiae dioecesibus Romam in aedes Vaticanas die 10 mensis novembris anni 1940 convenientibus, habuit (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 492 ss.).

Ut paterna monita a S. Pontifice prolata melius intelligantur, praestat breviter recolere quae sit natura Actionis Catholicae, ut in Statutis (c. 1, art. 1) proponitur.

Actio Catholica est coniunctio quaedam et conspiratio laicorum, qua S. Pontifice, per Episcopos, duce ac magistro, Christifidelium vires atque industriae ordinantur et diriguntur ad catholicam veritatem profitendam, propagandam, vindicandam, eamque in vitam et mores inducendam, cum singulorum hominum, tum familiarum ac gentium. Ea tamen coniunctio non solum effici debet sodalium inter se (singuli alter alterius membra, Rom. 12, 5), sed ex quatuor coniunctionibus coalescat oportet; nempe cum Ecclesia, cum Christo Deo, cum omnibus aliis qui simul congregantur et tandem cum ceteris quae habentur sacris associationibus. Et fortasse rem leviter consideranti, propositus ordo videtur praeposterus, cùm coniunctio cum Christo primum teneat locum omnino oportet. Sed ut nemo venit ad Patrem nisi per Christum (Ioan. 14, 6) ita constituit Deus ut non perveniretur ad Christum nisi per Ecclesiam. Quapropter cum laici tanquam adiutorium ab Ecclesia assumantur ad regnum Christi stabiliendum et dilatandum, eorum vires atque industriae ad

unum redigendae sunt cum opera et ministerio Apostolatus hierarchici a S. Pontifice per Episcopos et sacerdotes exerciti; ni velimus laicorum studia atque opera in incassum ac omnino in perniciem devenire. Et si in aliis quoque rebus multum valet illud Christi monitum qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit (Luc. 10, 16), id profecto in Actione Catholica valet quam maxime.

Alterum sane, quo Actionis Catholicae sodales ad unum colligantur, est singulorum coniunctio cum Deo. Neque opponendum est huiusmodi coniunctionem iam adesse, si singuli vitaliter pertineant ad corpus Christi mysticum; cum enim in Actione Catholica militantes peculiaria quaedam officia habeant adimplenda eaque multo graviora quam ceteri Christifideles, pronum profecto est ut in iis pressior cum Deo coniunctio requiratur. Quae tandem habebitur, si et eorum de religione doctrina sit latior et profundior et fides firmior et ipsa eorum vita vitae Christi magis consentanea; quod certe consequi non poterunt sine planiore deditione ad Christum qui vult omnes homines salvos fieri.

Quod autem spectat ad tertium vinculum coniunctionis, nempe concordiam et mutuam animorum consensionem inter eos, qui Actionem Catholicam profitentur, satis sit meminisse huiusmodi coniunctionem et conspirationem familiam quandam procreare, in qua provectioris aetatis membra cum adolescentibus et fere puerulis copulantur, qui, unusquisque pro modulo suo, nervos intendant ad plenitudinem redemptionis efficiendam, novensiles Apostolici aevi christianos imitati qui erant cor unum et anima una (Act. Ap. 4, 32).

Cum autem Actio Catholica minime sit, ut patet, sola sodalitas quae suas vires atque opes in Ecclesiae commodum conferat, necessario exstat quartum coniunctionis vinculum, illudque est cum aliis cetibus qui iam diu et diversimode in vinea Domini operantur. Nemo enim est qui non videat quantopere urgeat ut qui ad idem tendunt, licet unusquisque ratione sibi propria, unum fere operans efficiantur. (*AAS* XXXII, 367-369).

Quae sane omnia si a sodalibus Actionis Catholicae sancte inviolaterque observentur, et illud maximum parient bonum quod hoc tempore desideratur, quando perniciosus opinionis error per populos grassatur, qui barbare laicismus appellatur, et ipsis honestorum hominum animis insinuatur atque subrepit. Nempe laici ipsi veritatem catholicam vita integerrima ab offensione vindicabunt et suas ipsorum vires in aedificationem corporis Christi conferent, falsam vitae conceptionem suis actionibus

magis quam suis consiliis et verbis profligaturi. Et certe cum Christus per parabolam proferebat regnum caelorum simile esse fermento quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus (Matth., 13, 33) turbas et non tantum Apostolos ad Actionem Catholicam excitabat. (*AAS* XXXII, 411).

Susceptum igitur munus Actionis Catholicae sodales strenue sub Pastorum directione atque auctoritate adimpleant, numquam animo cadentes et spretis hominum iudiciis quam viam tenendam per Ecclesiam didicerant iam impigri atque impavidi sequantur, ut et ipsi una cum Apostolatus hierarchici administris operentur parvum fermentum, donec fermentatum est totum. (*AAS* XXXII, 495-496).

PETRUS FRANCESCHINI S. I.

15 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Constitutione apostolica *Quo evangelii prolatatione*, 28 maii 1940, e vicariatibus apostolicis de Oubangui-Chari et de Foumban in Africa Aequatoriali Gallica partes dismembrantur et exinde nova erigitur praefectura apostolica « Berberatensis » (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 536 ss.).

B — Constitutione apostolica *Si evangelii praeconum*, 25 iun. 1940, missio « sui iuris » de Bikoro in Congo Belgico in praefecturam apostolicam evehitur (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 538 s.).

C — Constitutione apostolica *Vetus de Batavia*, 25 iun. 1940, vicariatus apostolicus in Malesia dismembratur et novus erigitur vicariatus apostolicus de Semarang (*AAS* XXXIII [10 mart. 1941] p. 65 ss.).

D — Constitutione apostolica *Quo dominicus grex*, 9 iul. 1940, e dioecesi de Chittagong et a provincia ecclesiastica Calcuttensi territorii pars distrahitur atque nova exinde praefectura apostolica sub nomine « De Akyab » erigitur (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 540 s.).

E — Litteris apostolicis *Viterbiensium civitas*, 10 iul. 1940, titulo ac privilegiis basilicae minoris ditatur cathedrale templum Viterbiensis dioecesis in honorem S. Laurentii martyris Deo dicatum (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 541 ss.).

F — Litteris apostolicis *Urbis Sancti Sebastiani*, 16 iul. 1940, Beata Maria Virgo sub titulo « Del Coro », corona redimita, civitatis Sancti Sebastiani in dioecesi Hispaniae Victoriensi Patrona declaratur (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 543 s.).

G — Litteris apostolicis *Peruvianae dicionis,* 20 iul. 1940, templum cathedrale Arequipensis dioecesis basilicae minoris honoribus privilegiisque decoratur (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 544 s.).

H — Epistula *Dans la tristesse,* 31 iul. 1940, ad Em.mum P. D. Iosephum Ernestum tit. S. Mariae de Aracaeli S. R. E. Cardinalem Van Roey, Archiepiscopum Mechliniensem (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 549 s.).

J — Litteris apostolicis *Mexicana in dicione,* 8 sept. 1940, Beata Maria Virgo sub titulo « De Ocotlan » totius archidioecesis Angelorum, Mexicana in dicione, Patrona caelestis confirmatur (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 545 s.).

K — Litteris apostolicis *Dioecesis Sancti Iosephi,* 14 sept. 1940, ecclesia abbatialis ex Ordine Sancti Benedicti titulo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, in « Conception » inter fines dioecesis Sancti Iosephi in America Septentrionali basilicis minoribus accensetur (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 546 s.).

L — Epistula *Suavi animi laetitia* 21 nov. 1940, ad Em.mum P. D. Henricum Episcopum Veliternum S. R. E. Cardinalem Gasparri, Supremi Tribunalis Signaturae apostolicae praefectum, quinque episcopatus lustra feliciter explentem (*AAS* XXXIII [21 ian. 1941] p. 19).

M — Epistula *Iucundus profecto,* 21 nov. 1940, ad Exc.mum P. D. Trocchi, Archiepiscopum Lacedaemoniensem eumdemque Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecamerarium, quintum et vicesimum episcopatus annum celebraturum (*AAS* XXXIII [21 ian. 1941] p. 20).

N — Litteris apostolicis *Ad apostolicae Sedis,* 25 nov. 1940, titulus « Excellentiae » sociis de numero Academiae Pontificiae Scientiarum in Civitate Vaticana constitutae tribuitur (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 548).

O — Homilia a Ss.mo D. N. Pio Papa XII die 25 novembris 1940 in basilica Vaticana habita infra missam coram populo supplicante pro praesentibus societatis humanae necessitatibus celebratam (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 531 ss.).

P — Allocutio diei 9 mensis decembris 1940 qua Summus Pontifex nobilissimis verbis quibus Excellentissimus Vir Leo Bérard qua Galliae Orator extra ordinem liberis cum mandatis litteras publicas porrexit, respondit (*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 550 ss.).

Q — Epistula *Giungono da ogni parte,* 21 dec. 1941, ad Em.mum P. D. Aloisium tit. S. Prudentianae S. R. E. Cardina-

lem Maglione, a Secretis Status (*AAS* xxxiii [21 ian. 1941] p. 21 ss.).

R — Constitutione apostolica *Laeto animo*, 15 ian. 1941, praefactura apostolica de Bahamas ad vicariatus apostolici gradum evehitur (*AAS* xxxiii [10 mart. 1941] p. 67 s.).

16 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

1 - Decreto 9 iul. 1940 vicariatum apostolicum Fluminis Orange in Africa Meridionali vicariatum apostolicum de Keimoes in posterum appellandum esse statuitur (*AAS* xxxii [16 dec. 1940] p. 555).

2 - Decreto 1 aug. 1940 inter vicariatum apostolicum de Yükiang et vicariatum apostolicum de Nancheng, quod spectat conterminatam civilem provinciam de Tzeki, eos in posterum esse ecclesiasticos fines statuitur qui sunt in praesenti civiles (*AAS* xxxii [16 dec. 1940] p. 556).

17 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis

1 - *Abyssinen.* Decretum 25 iun. 1940, Super dubio: an sit signanda commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis B. Iustini de Iacobis, Episcopi Nilopolitani, primi Vicarii apostolici Abyssinensis e Congregatione Missionis S. Vincenti a Paulo (*AAS* xxxii [16 dec. 1940] p. 558 s.).

2 - *Massilien.* Decretum 25 iun. 1940, Super dubio: an sit signanda commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis B. Aemiliae de Vialar Virginis, Fundatricis Instituti S. Ioseph ab Apparitione (*AAS* xxxii [16 dec. 1940] p. 559 s.).

3 - *Pictavien.* Decretum 7 aug. 1940, Super dubio: An stante duorum miraculorum approbatione, post indultam Beatae Ioannae Elisabeth ab apostolica Sede venerationem tuto procedi possit ad sollemnem ipsius canonizationem, canonizationis B. Ioannae Elisabeth Bichier des Ages Virginis, Confundatricis Congregationis Filiarum a Cruce, vulgo Sororum S. Andreae (*AAS* xxxii [16 dec. 1940] p. 561 ss.).

4 - *Viterben.* Decretum 7 aug. 1940, Super dubio: an constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate tum in Deum cum

in proximum, necnon de cardinalibus virtutibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae a S. Michaele Archangelo, Congregationis Clericorum Excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. Confundatoris (*AAS* xxxii [16 dec. 1940] p. 563 ss.).

5 - *Parisien. seu Carcassonen.* Decretum 7 aug. 1940, Super dubio: an constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate tum in Deum cum in proximum, necnon de virtutibus cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei Mariae Teresiae de Soubiran, Fundatricis Societatis Mariae Auxiliatricis (*AAS* xxxii [16 dec. 1940] p. 567 ss.).

18 - Sacra Congregatio Concilii

Indultum 20 dec. 1940 dioecesibus Italiae pro anno 1941 super lege ieiunii et abstinentiae concessum (*AAS* xxxiii [21 ian. 1941] p. 24).

19 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

3 dec. 1940, R. D. Augustinus Arce, cathedrali ecclesiae S. Crucis de Sierra.

11 dec. 1940, Exc. P. D. Iosephus da Costa Nunes, hactenus Episcopus Macaonensis, metropolitanae ecclesiae Goanae-Damanensi, cui adnexus est titulus Patriarchae ad honorem Indiarum Orientalium.

14 dec. 1940, Exc. P. D. Iosephus Plagens, hactenus Episcopus Marquettensis, cathedrali ecclesiae Grandormensi.

14 dec. 1940, Rev.mus D. Thomas Leo Parker, cathedrali ecclesiae Northantoniensi.

14 dec. 1940, R. D. Albenus Le Blanc, cathedrali ecclesiae Hearstensi.

15 dec. 1940, R. D. Ioannes Guevara, cathedrali episcopali ecclesiae Truxillensi.

15 dec. 1940, R. D. Theodosius Moreno, cathedrali episcopali ecclesiae Caiamarcensi.

15 dec. 1940, R. D. Marianus Hyacinthus Valdivia, cathedrali episcopali ecclesiae de Huaraz.

15 dec. 1940, R. D. Victorius Alvarez, e Soc. S. Francisci Salesii, cathedrali episcopali ecclesiae Ayacuquensi.

15 dec. 1940, R. D. Fortunatus Chirichigno, e Soc. S. Francisci Salesii, ecclesiae Piurensi, quae nuper erecta est in cathedralem suffraganeam metropolitanae Limanae.

21 dec. 1940, R. D. Franciscus Borges Amaral, ecclesiae Lorenensi, quae nuper erecta est in cathedralem suffraganeam metropolitanae S. Pauli in Brasilia.

21 dec. 1940 R. D. Franciscus Magne, cathedrali ecclesiae Marquettensi.

2 ian. 1941, R. D. Franciscus Pieri, Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Salvatoris Fratocchi, Episcopi Urbevetani.

15 ian. 1941, R. D. Georgius Debray, Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Evrard, Episcopi Meldensis.

18 ian. 1941, Exc. P. D. Moises Alves de Pinho, hactenus Episcopus Angolensis et Congensis, metropolitanae ecclesiae Luandensi nuper erectae, cui unîta est in personam dioecesis S. Thomae in Insula.

18 ian. 1941, Exc. P. D. Theodosius Clemens de Gouveia, metropolitanae ecclesiae de Lourenço Marques.

21 ian. 1941, Exc. P. D. Robertus Emmet Lucey, hactenus Episcopus Amarillensis, metropolitanae ecclesiae S. Antonii.

21 ian. 1941, R. D. Gulielmus Apor, cathedrali ecclesiae Iaurinensi.

28 ian. 1941, R. P. Faustinus Moreira dos Santos, e Congr. S. Spiritus, cathedrali ecclesiae S. Iacobi Capitis Viridis.

28 ian. 1941, R. P. Daniel Gomes Junqueira, e Congr. S. Spiritus, cathedrali ecclesiae Novae Lisbonae, nuper erectae.

22 febr. 1941, Exc. P. D. Gulielmus Tritschler, hactenus Episcopus Sancti Ludovici Potosiensis, metropolitanae ecclesiae Moterrejensi.

6 mart. 1941, Rev.mus D. Hyacinthus Tamburini, cathedralibus ecclesiis Calvensi et Theanensi.

20 - Nominationes

Decretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide renuntiati sunt:

25 oct. 1940, R. P. Titianus a Verona (in saeculo Atilius Rigo), O. M. Cap., Praefectus Apostolicus Hosannensis.

15 nov. 1940, R. P. Fridericus a Baselga (in saeculo David Baldessari), O. M. Capp., Praefectus Apostolicus Endeberensis.

22 nov. 1940, R. P. Iosephus Ly, e clero saeculari Sinensi, Praefectus Apostolicus de Lintsing.

22 nov. 1940, R. P. Thomas Quinlam, e Soc. S. Columbani pro missionibus apud Sinenses, Praefectus Apostolicus de Shunsen.

21 - Designationes pro appellatione

Ordinarius Praefecturae Apostolicae Mindorensis designavit pro appellatione semel pro semper ad normam can. 1592 § 2 Ordinarium dioecesis Lipensis.

Vicarii Apostolici de Addis Abeba, de Gimma et de Harar necnon Praefecti Apostolici Endeberensis et Hosannensis, quibus facta est potestas instituendi in urbe Addis Abeba unicum tribunal primae instantiae, designaverunt pro appellatione tribunal Vicariatus Apostolici Erythreae, in urbe Asmara.

Item Vicarius Apostolicus de Mogadiscio et Praefectus Apostolicus de Neghelli, quibus facta est potestas instituendi unicum tribunal primae instantiae in urbe Mogadiscio, designaverunt pro appellatione tribunal Vicariatus Apostolici de Addis Abeba.

Quarum designationum Ss.mus D. N. Pius Pp. XII approbavit, primam in Audientia diei 17 mensis Octobris et ceteras in Audientia diei mensis Novembris vertentis anni 1940.

22 - S. Romana Rota
Tabulae synopticae Causarum S. R. Rotae

Anno 1940

I

Causae iudicatae

A - De matrimonio

IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
Nullitatis:			
Amentia mulieris	1	1	0
Clandestinitas	3	2	1
Condicio apposita	4	0	4
» » ; simulatus consensus	2	0	2
» » ; defectus consensus	1	1	0
Defectus consensus	3	1	2
» » ; exlusio indissolubilitatis	1	0	1
» » ; vis et metus	2	1	1
Exclusio boni fidei sive sacramenti	1	0	1
» » prolis	5	1	4
Exclusio indissolubilitatis	6	0	6
» » ; vis et metus	1	0	1
Impedimentum consanguinitatis; vis et metus.	1	1	0
Impotentia mulieris	2	0	2
» »	4	3	1
(Dispensatio super rato)		(3)	
Simulatus consensus	1	0	1
Vis et metus	33	11	22
» » ; simulatio	1	0	1
» » ; exclusio boni prolis; exclusio indissolubilitatis	1	0	1
Vis et metus; exclusio indissolubilitatis	1	0	1

IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
Vis et metus; defectus consensus	1	1	0
(Dispensatio super rato)		(1)	
Separationis	2	0	2
Exsecutionis sententiae	1	1	0
	78	24	54

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuerunt: semel de proprietate et iuribus, semel de iuribus et damnis.

II

Causae quae eodem anno 1940 transactae fuerunt vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.

A - De matrimonio

IMPEDIMENTUM	Allegatum
Nullitatis:	
Amentia viri	1
Condicio apposita	2
Defectus consensus	1
Exclusio boni prolis; intentio contra indissolubilitatem	1
Exclusio boni prolis; impotentia viri	1
Impotentia viri	1

IMPEDIMENTUM	Allegatum
Impotentia viri; defectus consensus; error circa personam	1
Reiectio libelli	6
Vis et metus	6
» » ; exclusio unitatis	1
» » ; exclusio boni prolis	1
Error personae; condicio apposita; simulatio consensus	1
Affinitas ex copula illicita; vis et metus	1
Finium paroecialium: Reiectio libelli	1
Separationis	1
	26

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuerunt: semel de hereditate, semel de proprietate et diffamatione, semel de pensione.

N. B. - Ex 80 causis sub I allegatis, 32 causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Francisco Banegas y Galván, *Historia de Mexico*, libro III, Mexico, D. F. (Buena Prensa), 1940, 16,5 × 23 cm., IV-331 p.

I. Republica Federal: Presidentes. Victoria y Guerrero - Vicepresidente en Funciones de Presidente. Bustamante - Presidente Provisional; Definitivo, Santa Anna; Gobierno del Vicespresidente Gómez Farías - Consideraciones sobre esto periodo II. Republica Central: Presidente Santa Anna - Presidente Gral. Bustamante.

Franciscus Xaverius Bockey O. F. M., *De potestate vicarii cooperatoris*. Disquisitio canonica, Romae (Officium Libri Catholici), 1939, 16,5 × 24,5 cm., XIII-99 p.

De officio ecclesiastico ut fundamentum potestatis ordinariae - De vicarii cooperatoris potestate in genere - De vicarii cooperatoris potestate in specie - De iurium et facultatum in paroecia compositione.

Antonius Crnica O. F. M., *Commentarium theoretico-practicum Codicis iuris canonici*, Vol. I, *Normae generales et De personis* (Bibliotheca theologica cura Instituti theologici O. F. M., Lib. IV), Sibenik (Typographia « Kacic »), 1940, 15,5×23 cm., XXXI-513 p.

Conradus Delgado O. F. M., *De relationibus inter parochum religiosum et eius superiores regulares* (Cum respectu particulari ad ius speciale O. F. M.), Romae (Officium Libri Catholici), 1940, 16,5×24 cm., XV-140 p.

De modo quo religiosi paroeciae addici possunt - De statu religioso quoad officium paroeciale - De parocho religioso et superiore quoad curam animarum - De ecclesia paroeciali a religiosis administrata - De bonis temporalibus in paroeciis a religiosis administratis.

Eduardo Iglesia S. J., *El Salvador de los hombres*, tomo III, Mexico, D. F. (Buena Prensa), 1940, 16×23 cm., 334 p.

I. La doctrina de la salvación: El segundo viaje hacia Jerusalem - El tercero viaje a Jerusalem - En Jerusalem: la lucha con el partido jerárquico - II. La obra de la salvación - El Sacrificio del Salvador - El triunfo del Salvador.

Thomas Iorio S. J., *Theologia Moralis iuxta methodum Ioannis P. Gury S. I. et Raphaelis Tummolo S. I.*, edit. sexta correctior novoque ordine digesta, Neapoli (M. D'Auria), 1940, 16,5×24 cm., 898 p.

De sacramentis in genere et de sacramentalibus - De baptismo - confirmatione - eucharistia - paenitentia - indulgentiis - extrema unctione - ordine -irregularitatibus - matrimonio.

Laurentius Köster O. F. M., *De custodia sanctissimae eucharistiae*. Disquisitio historico-iuridica, Romae (Officium Libri Catholici), 1940, 17×24,5 cm., XIV-250 p.

De tempore ab institutione Ecclesiae usque ad Berengarium - De tempore a Berengario usque ad Reformationem - De tempore a Reformatione usque ad Codicem iuris canonici - De iure vigente.

Bertrandus Kurtscheid O. F. M., *De methodologia historico-iuridica*. Breves adnotationes. Ad usum scholarum, Romae (Officium Libri Catholici), 1941, 16,5×22,5 cm. 97 p.

De notione, fine et momento methodologiae - Conspectus historicus methodi iuridicae - De formatione methodica in genere - Methodologia specialis.

Emmanuel Lombardi O. F. M., *De pastorum obligatione applicandi missam pro populo*. Dissertatio historica-iuridica (Pars theseos ad Lauream obtinendam), Romae (Officium Libri Catholici), 1940, 17,5 × cm., 79 p.

De missa pro populo a Concilio Tridentino ad Codicem - De missa pro populo in vigenti disciplina.

Gulielmus O'Connell O. F. M., *De intima natura assistentiae matrimonialis ad normam can. 1024* Romae (Officium Libri Catholici), 1940 16,5×24,5 cm., 89 p.

I. De notione iurisdictionis in iure romano, in iure canonico, in iure Codicis - II. De assistentia matrimoniali: Historia assistentiae matrimonialis - De natura assistentiae matrimonialis.

II - Ex Periodicis

APOLLINARIS, XIII (1940), num. 3-4 — A. Lanza, *De fine primario matrimonii* (contin.), pag. 218-264 — I. M. Pinna, *De participatione in iure canonico*, pag. 265-303.

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, II (1940), num. 4 (Ott.-Dic.) — Pio Fedele, *Considerazioni canonistiche sul tit. VI Del matrimonio lib. I cod. civ.* (contin. e fine), pag. 421-445 — Pio Ciprotti, *Il matrimonio presunto* (contin. e fine), pag. 446-465 — Pio Fedele, *Ancora in tema di intentio e conditio contra matrimonii substantiam*, pag. 564-573 — Pio Fedele, *Rassegna ragionata di giurisprudenza rotale in materia matrimoniale*, pag. 574-582 — Pio Ciprotti, *Rassegna di giurisprudenza rotale in materia penale*, pag. 583-588.

BOGOSLOWSKA SMOTRA XXIX (1941), fasc. 1 — Fr. Herman, *Matrimonium orthodoxorum orientalium in facie iuris Ecclesiae catholicae*, pag. 68 ss.

COLLECTANEA COMMISSIONIS SYNODALIS, XIV (1941), num. 1 (ian.) — E. Bödefeld, O. F. M., *Ordines religiosi et missiones in ultimo saeculo*, pag. 55-59 — Num. 3 (mart.) — E. Bödefeld, *Ordines religiosi et missiones in ultimo saeculo*, pag. 154-159.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO E RASSEGNA DI DIRITTO MATRIMONIALE, LII (1941), num. 1-2 (Genn.-Febbr.) — Lazzaro M. De Bernardis, *Le persone giuridiche ecclesiastiche nei più recenti concordati* (contin.), pag. 15-24.

IL MONITORE ECCLESIASTICO, LXVI (1941), fasc. 1 (Genn.) — Ennio Cimaviglli, *Vicario cooperatore e assistenza ai matrimonî*, pag. 22-25 — *** *Applicazione di Messa binata per obblighi di giustizia*, pag. 26-28.

PALESTRA DEL CLERO, XX (1941), fasc. 5 (10 febbr.) — A. Mancini, S. S., *Intentio rerum naturam non mutat?* pag. 73-75 — Fasc. 6 (20 febbr.) — A. Mancini, S. S., *Concezione vera del sigillo*, pag. 91-107 — Fasc. 9 (20 marz.) — L. Tabanelli, O. M. C., *Intentio rerum naturam non mutat*, pag. 162-166 —

Fasc. 10 (1 apr.) — A. Mancini, S. S., *Concezione vera del sigillo*, pag. 191-202.

PASTOR BONUS, V (1941), fasc. 1 (ian.) — G. Oesterle, O. S. B., *De iuribus parochorum iuxta Codicem iuris canonici*, pag. 35-46. — Fasc. 2 (febr.) — G. Oesterle, O. S. B., *De morte praesumpta*, pag. 84-93. — Fasc. 3 (mart.) — G. Oesterle, O. S. B., *De iuribus parochorum iuxta Codicem iuris canonici*, pag. 137-144 — A. Mancini, S. S., *Quaestio moralis: in iure matrimoniali*, pag. 145-148.

PERFICE MUNUS, XVI (1941), fasc. 10 (marz.) — I. Giannini, S. S., *La comunione dei fanciulli e il can.* 854, pag. 149-152.

PERFICE MUNUS, XVI (1941). — *MEDICINA E MORALE*, fasc. 1 (25 genn.) — L. Bender, O. P., *Sterilizzazione* (contin.), pag. 7-15.

RASSEGNA DI MORALE E DIRITTO, VI (1940), fasc. 4 (dic.) — S. Romani, *Systema juris canonici de matrimonio*, pag. 203-240.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO E DEI RAPPORTI DI FAMIGLIA, VIII (1941), num. 2 (febbr.) — G. Brunelli, *La nullità delle donazioni fra coniugi rispetto ai terzi*, pag. 33-46 — Num. 3 (marz.) — D. Lazzarato, *La « causa culpabilis »*, can. 1971 c. j. c., pag. 72-74.

SAL TERRAE, XXIX (1941), num. 1 (enero) — Aurelio Yanguas, *Abusos en la comunión frecuente*, pag. 33-50.

DEPOSITO LIBRI DELLA PONTIFICIA UNIVERSITÀ GREGORIAN

Opera de Iure canonico et Theologia morali

CAPPELLO Felix M., S. I.

Summa Iuris Canonici in usum scholarum concinnata:

Vol. I. Editio tertia, emendata et aucta, 1938, p. 632, in-12° L. 22 — Relig. L. 2

Vol. II. Editio tertia, emendata et aucta, 1939, p. 712, in-12° L. 22 — Relig. L. 2

Vol. III. Editio secunda. 1940, p. 588, in-12° L. 30 Relig. L. 3

Summa Iuris publici Ecclesiastici. Editio tertia, emendata et aucta, 1936, p. XVI-632, in-12° L. 22 — Relig. L. 2

Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis iuxta Codicem Iuris Canonici:

Vol. I. **De Sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione et Eucharistia.** Editio tertia emendata et aucta p. XVI-899. Accedit Appendix de Iure Orientalium. 1938, in-12° L. 35 — Relig. L. 42

Vol. II. Pars Prima: **De Poenitentia.** Ed. tertia emendata et aucta. Accedit Appendix de Iure Orientalium. 1938 p. XII-939 in-12° L. 35 — Relig. L. 42

Vol. II. Pars Secunda: **De Extrema-Unctione.** Accedit Appendix de Iure Orientalium. 1932, p. 312, in-12° L. 15 — Relig. L. 22

Vol. II. Pars Tertia: **De Sacra Ordinatione.** Accedit Appendix de Iure Orientalium. 1935, p. XII-716, in-12° L. 27 — Relig. L. 3

Vol. III. - Pars I: **De Matrimonio.** Editio IV emendata et aucta. In-12°, 1939, pag. XXVIII-528 L. 25 Relig. L. 3

Vol. III. - Pars II: **De Matrimonio.** Accedunt Appendices: De Iure Orientalium et de Iure Italico post Concordatum vigente. Editio IV emendata et aucta. In-12°, 1939, pag. 544 L. 25 — Relig. L. 34

Tractatus Canonico-moralis de Censuris iuxta Codicem Iuris Canonici. Ed. tertia, 1933, p. XVI-516, in 12° L. 18 — Relig. L. 25

Praxis Processualis ad normam Codicis et peculiarium S. Sedis Instructionum, in-8°, 1940, p. VIII-224, L. 14 — Relig. L. 20

ERMEERSCH, Arth., S. I.

Theologiae Moralis Principia-Responsa-Consilia:

Tomus I. **Theologia fundamentalis.** Editio tertia, aucta et emendata, 1933, p. XX-484, in-8° L. 25 — Relig. L. 30 —

Tomus II. **De virtutibus theologicis - De virtutibus moralibus.** Editio altera, aucta et emendata, 1937, p. 706, in-8° L. 42 — Relig. L. 47 —

Tomus III. **De personis, de Sacramentis, de Ecclesiae praeceptis et Censuris.** Tractatus canonico-liturgicus et moralis. Editio tertia, aucta et emendata, 1935, p. XVI-846, in-8° L. 42 — Relig. L. 47 —

Tomus IV. **De castitate et vitiis oppositis - De sponsalibus et matrimonio.** Editio tertia, aucta et emendata, 1933, p. VIII-134, in-8° L. 8 — L. 12 —

Epitome Iuris Canonicis,

cum Commentariis ad scholas et ad usum privatum (auctoribus **A. Vermeersch et I. Creusen**):

Tomus I. **Libri I et II Codicis.** Editio sexta, 1937, p. XVI-678 L. 38 — Relig. L. 44 —

Tomus II. **Liber III Codicis.** Ed. sexta 1940, p. XVI-634 L. 38 — Relig. L. 44 —

Tomus III. **Libri IV et V Codicis.** Ed. quinta, 1936, p. XIV-472 L. 36 — Relig. L. 42 —

IDAL, Petrus S. I.

Ius Canonicum, auctore P. F. X. Wernz:

ad Codicis Normam Exactum:		Legato 1/2 pelle	tutta tela
Tomus I. Normae Generales 1938 p. VI-487 in-8°	L. 37	49	43 —
Tomus II. De Personis, p. X-820, in-8°, ed. altera, emendata et aucta, 1928	L. 42 —	54 —	48 —
Tomus III. De Religiosis, p. XVI-560, in-8°, 1933.	L. 37 —	49	43 —
Tomus IV. De Rebus, p. XI-786, in-8°, 1934 (Vol. I)	L. 42 —	54 —	48 —
Tolus IV. De Rebus, p. VI-358, in-8°, 1935 (Vol. II)	L. 27	39 —	33 —
Tomus V. Ius Matrimoniale, paginae XV-866, in-8°, ed. altera, emendata et aucta, 1928 . . .	L. 48 —	60	54 —
Tomus VI. De Processibus, Pars Prima, p. XIV-608, in-8°, 1928 . . .	L. 37 —	64 —	58 —
Pars Altera, p. 609-784, in-8° 1928 . . .	L. 15 —		
Tomus VII. Ius Poenale Ecclesiae, p. VIII-613, in-8°, 1937	L. 48 —	60 —	57 —
	Totale L. 333 —	429 —	384 —

ARREGUI A. M., S. I. **Summarium Theologiae moralis** 1937, pp. XVII-690 - Editio 13ª L. 2

LO GRASSO, Ioannes, S. I. **Ecclesia et Status. Fontes selecti.** 1939, pag. XX-345, in-8° Relig. L. 3

RESTREPO RESTREPO, Ioannes M., S. I. **Concordata regnante SSmo. Dno. Pio XI**, latine et gallice reddita et notis illustrata (Editio completa). 1934, p. XX-722, in-8° L. 42 — Relig. L. 4

Concordats conclus durant le Pontificat de Sa Sainteté le Pape Pie XI, traduits en latin et en française avec des notes. (Edition française). 1934, p. XVI-308, in-8° L. 18 — Relig. L. 2

TOBIN, Thomas Iosephus. **De Officiali Curiae Dioecesanae**, 1936, in-12° p. XX-254 L. 27 — Relig. 3

ZEIGER, Ivo G., S. I., **Historia Iuris Canonici:**

Vol. I. **De Historia Fontium et Scientiae Iuris Canonici.** 1940, 132 in-8° L. 18 — Relig.

Vol. II. **De Historia Institutorum Canonicorum.** 1940, p. 133 in-8° L. 18 — Relig. L.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De religioso cultu relativo.

Iuxta canonem 1255 § 2 « sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et *cultus* debetur *relativus* personae ad quam reliquiae imaginesque referuntur ». Porro iuxta auctores cultus relativus est ille *cultus*, « quo aliquid *colitur* ob excellentiam sibi externam seu propter relationem ad personam in se sanctam, in se excellentem » (Noldin, Summa Theol. mor. II. De praeceptis. Ed. 26 (1939) n. 136). Cultus autem in genere [1], cuius conceptus verificari debet in cultu tum absoluto tum relativo, ab eodem auctore (ib. n. 131) describitur « significatio externa excellentiae [alterius] *cum submissione* erga eum qui colitur ». At si hanc definitionem applicamus cultui relativo imagini exhibendo, haec imago « colitur » seu huic imagini exhibetur « cultus » tanquam « significatio externa excellentiae [imaginis] cum submissione » erga imaginem. Hinc statim difficultas: qua ratione potest homo rationalis submissionem fovere et manifestare erga rem irratio-

[1] Notum est:
a) esse virtutem religionis, quae exerceatur actibus cultus;
b) religionis obiectum materiale esse actus illos, quibus cultus exerceatur;
c) religionis obiectum formale esse honestatem illis actibus insitam, quibus cultus debitus debite exerceatur;
d) excellentiam personis etc. insitam esse rationem, cur iis cultus sit debitus;
e) personas, imagines etc., esse terminos, quibus cultus exhibeatur. (Cf. Noldin, De praeceptis n. 132).

nalem, cuiusmodi est imago quaelibet (et reliquia)? Si ad effugiendam hanc difficultatem dicatur, in cultu relativo submissionem haberi et manifestari non erga praesentem imaginem, sed erga personam depictam absentem, qua ratione tunc dicitur ipsa imago « coli », cum « colere » significet submissionem erga terminum cultus? Si replicetur, addendo vocem « relativus » ad vocem « cultus » tolli notionem submissionis erga imaginem et asseri submissionem erga solam personam, forse quis responderit, hac ratione haberi contradictionem in adiecto, cum voce « cultus » significetur submissio erga id quod colitur (erga imaginem), voce autem « relativus » idipsum negetur, adeoque affirmari circulum quadratum.

De conceptibus convertamur ad concreta et ad praxim. Incensatio Crucis in Missa sollemni certe est actus cultus. At cui talis exhibetur cultus? Imagini Crucifixi praesenti, vel Crucifixo absenti? Si imagini, potestne e mente Ecclesiae imagini compositae ex materia ligni vel metalli et forma (accidentali) Crucifixi (absentis) cultus exhiberi, id est actus, quo significatur non solum illius rei e materia et forma compositae excellentia, sed etiam Ecclesiae submissio erga idem compositum? Si non imagini ut tali et praesenti, sed tantum Crucifixo absenti cultus exhibetur, quo iure tunc dicitur « coli » ipsa imago, quum, hac suppositione facta, imago nonnisi directionem indicare videatur, in quam thuribulum agitetur?

Item sollemnissimus quidam actus cultus liturgici est adoratio s. Crucis Feria VI. in Parasceve, quo successive denudata Cruce Celebrans ter cantat: « Ecce lignum Crucis... » et omnes flexis genibus respondent: « Venite adoremus ». Cui exhibetur « adoratio »? Imagini Crucifixi praesenti an Crucifixo absenti? Eadem quaestio recurrit, si agitur de cultu reliquiarum, altarium, oleorum (« Ave sanctum Oleum ») etc.

Quae quaestio ab auctoribus modernis sive dogmati-

cis sive liturgicis sive moralistis tam parum est discussa, ut spectato rei momento fusius tractanda videatur.

Responsum plenum dari nequit nisi resumpta doctrina de cultu imaginibus et reliquiis exhibendo [2], quia quilibet cultus relativus in essentialibus convenit cum imaginum reliquiarumque cultu.

Necesse non est afferre hic documenta Ecclesiae, quibus enuntiatur et definitur, imaginum reliquiarumque venerationem esse bonam et legitimam: cf. Conc. Nicaen. II. (Denzinger n. 302-304); Trident. (D. n. 985-988); Prof. fidei Trid. (D. n. 998).

De notione et natura cultus relativi inquirentibus tres nobis solent proponi sententiae, quarum patroni praecipui sint Durandus, S. Thomas Aq., S. Robertus Bellarminus. Ex Durandi opinione (In sent. l. 2, dist. 9, q. 2) altaris Crux, dum incensatur, nullatenus est obiectum cultus; cultum ex mente Ecclesiae et consequenter ex mente incensantis exhiberi dicit Durandus nonnisi Christo in caelis gloriose regnanti, qui ex intentione Ecclesiae per Crucifixi imaginem in memoriam revocetur incensantis; et hoc idem dicendum esse de vera quoque et genuina Cruce, in qua suum Christus sanguinem fuderit et mortuus sit: huic quoque Cruci ut tali non deberi ullum honorem, nam: « Illud, quod non potest esse subiectum susceptivum sanctitatis et virtutis, non potest esse secundum se terminus adorationis; sed lignum Crucis, in qua Christus pependit, non est subiectum susceptivum sanctitatis et virtutis; ergo secundum se non potest esse terminus adorationis: nunquam ergo Cruci Christi debetur aliquis honor, nisi inquantum reducit in rememorationem Christi ». Similiter in eodem loco Durandus « Crux » ait « si consideretur secundum quod

[2] De historia huius doctrinae et ipsius cultus cf. *V. Grumel*, art. « Images (Culte des) » in: Vacant-Mangenot, Dict. de Théol. cath. T. VII (1922) et *H. Menges*, Die Bilderlehre des hl. Johannes von Damaskus, Münster i. W. 1938, cum apposito uberi catalogo auctorum, qui de eodem argumento scripserunt.

est res quaedam in se, non debet adorari aliqua adoratione, cum creaturae non debeatur aliqua reverentia. Si autem consideratur in quantum signum, sic dicitur communiter quamvis *improprie*, quod debet adorari adoratione eadem cum Christo crucifixo: qualiter autem debeat intellegi, expositum est », videlicet « eadem adoratione ac si [Christus] praesens esset in se ». Haec enuntiatio « ac si praesens esset in se » notatu digna est, quia etiam S. Rob. Bellarminus eodem fere modo loquitur. Itemque notatu dignum est, Durandum nullam ponere differentiam inter actum, quo Cruci exhibetur adoratio, et actum, quo eidem exhibetur honor: qua distinctione non adhibita, tota quaestio (uti videbimus) laborat difficultatibus inextricabilibus.

S. **Thomas** rem nostram tractat in Summa theol. 3, q. 25 a. 3, ubi quaerit, « Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriae » et respondet: « Sicut Philosophus dicit in lib. de Mem. et Remin. (cap. 2, circ. med.), duplex est motus animae in imaginem: unus quidem in ipsam imaginem secundum quod res quaedam est. Alio modo in imaginem, inquantum est imago alterius.

Inter hos duos motus est haec differentia, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut est res quaedam, est alius a motu, qui est in rem; secundus autem motus, qui est in imaginem, inquantum est imago, est unus et idem cum illo, qui est in rem. Sic autem dicendum est, quod imagini Christi, inquantum est res quaedam (puta lignum sculptum vel pictum), nulla reverentia exhibetur, quia reverentia nonnisi rationali naturae debetur [*Durandus*: ... nonnisi subiecto susceptivo sanctitatis et virtutis]. Relinquitur ergo, quod exhibeatur ei solum, inquantum est imago, et sic sequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi et ipsi Christo. Cum ergo Christus adoratur adoratione latriae, consequens est, quod eius imago sit adoratione latriae adoranda ». In articulo 4 S. Thomas dicit venerari homines ens irrationale « uno modo, inquantum repraesentat rationalem naturam; alio modo, in-

quantum ei quocumque modo coniungitur; primo modo consueverunt homines venerari regis imaginem, secundo modo eius vestimentum, utrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur et regem ». Tota haec Doctoris communis doctrina nititur in supposito, quod idem sit motus in imaginem et exemplar; quod suppositum non ab omnibus admittitur et iuxta S. Rob. Bellarminum perducit quidem ad doctrinam S. Thomae, quae tamen, asserendo imagini Christi eundem deberi cultum latriae qui debeatur ipsi Christo, modum adhibeat loquendi, qui non careat magno periculo, offendat aures Catholicorum et praebeat occasionem haereticis liberius blasphemandi (De imag. l. 2, c. 22).

Ipse S. **Robertus Bellarminus** sentit, mediam quandam viam ineundo, imagines reliquiasque ipsas quidem dignas esse aliqua vera veneratione, minore tamen quam ea, quae debeatur personae, ita ut proprie loquendo et per se nec Dei nec Christi imago adoranda sit cultu latriae quamvis relativo. Et si quando Concilia loqui videantur de imaginum cultu latreutico (cf. Conc. Trid., sess. 25; Denz. n. 986), hunc loquendi modum esse aut improprium, aut (si loquendi modus accipiendus sit modo proprio) imaginem considerari (cum S. Thoma l. c. art. 4) tanquam unum quid cum persona colenda et tunc agi de imaginis cultu « per accidens ». Textus Doctoris, quibus suam effert opinionem, infra adducentur. *V. Grumel* laudat quidem Bellarmini sententiam, eam tamen eatenus corrigendam putat, quatenus indolem relativam illius cultus, quo imago colitur, nimis attenuet, cum evidenter qualibet imaginis alicuius Sancti veneratione ipse quoque Sanctus honoretur. Infra exponendum erit, quid veri huic insit oppositioni.

Ut rei veritatem assequamur iustumque iudicium de tribus supra expositis sententiis ferre valeamus atque sobrio sensu loquendi modos, quibus Ecclesia tum in Conciliis tum in Codice Juris can. utitur, explicemus, statim ab inquisitionis exordio fundamentalis quaedam distinctio

proponenda est: *distinctio* inter *cultum stricte dictum* et *cultum late dictum;* quae distinctio praetermissa, ansa videtur fuisse, cur auctoritates et theologi non in unum semper convenerint sentiendi loquendique modum, qua distinctione admissa plurimae evanescunt obscuritates et difficultates apparetque, opinionem Bellarmini, hac ratione completam et ad perfectionem adductam, prae ceteris mereri theologorum assensum.

Distinguendus est cultus stricte dictus a cultu late dicto, seu cultus (sine addito) ab honore (veneratione).

Bene *Noldin* (op. cit. n. 131): « Cultus ab honore distinguendus est: honor est significatio excellentiae alterius; cultus est significatio externa excellentiae *cum submissione* erga eum, qui colitur. Unde cultus exhiberi non potest nisi superiori in aliquo genere excellentiae, honor autem etiam aequali et inferiori exhiberi potest ». Hanc distinctionem esse rationi consentaneam probatione non indiget. Nec dubitandum est, quin « honor » vocari possit « cultus late dictus » vel brevius et forte melius « veneratio ».

At quaerendum est, utrum *vox « cultus (colere) » in usu ecclesiastico* occurrat sensu lato pro honore vel veneratione tali, quae non includat submissionem honorantis erga honoratum. Ex actis Concilii Tridentini, cum de schemate circa venerationem et reliquias Sanctorum et sacras imagines disputationes in congregationibus habitae non sint, de re nostra nihil statui potest. In ipso decreto de reliquiis et imaginibus Sanctorum (sess. 25; Denzinger n. 984-988) vox « cultus » non occurrit; semel tantum adhibetur verbum « colere » (n. 986): « non quod credatur inesse aliqua in iis [scl. imaginibus] divinitas vel virtus, propter quam sint *colendae* »; sed ex contextu non apparet, utrum agatur de cultu stricte dicto (cum submissione) vel de cultu late dicto. In Constit. « Auctorem fidei » (D 1570) Pius vi. contra Pistorienses declarat: « 70. Item, doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem *cultum,* quem alicui speciatim imagini solent fi-

deles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere; — temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo 'ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult' (S. Augustin.) ». Si vox « cultus » in hoc contextu significaret propriam submissionem, a S. Pontifice vix potuisset reprobari « praescriptio generatim reprobans specialem cultum » alicui speciatim imagini impensum; rectissime enim a Jansenistis reprobatur, posse aliquem fidelem specialius se submittere uni imagini prae alia v. g. S. Antonii prae Salvatoris; econtra vero reprobari nequit, eundem fidelem specialius, sed sine sui submissione, honorare vel venerari imaginem aliquam S. Antonii prae imagine aliqua Christi. Proinde vox « cultus » in hoc documento ecclesiastico adhiberi videtur ad designandum cultum late dictum.

Magni autem momenti est, quod S. Thomas voce « cultus » utitur non tantum ad significandum cultum cum submissione colentis erga alium, sed etiam ad designandam meram honorationem vel venerationem, ut in Suppl. q. 71, a. 11: « Utrum cultus exequiarum defunctis prosint », ubi (3. Praeterea) ipsum opus sepeliendi mortuos (abstrahendo ab aliis actibus forte concomitantibus) ab eo vocatur « sepulturae cultus »: at cultus cadaveri praestari nequit talis, qui contineat sepelientis submissionem erga cadaver. Unde etiam in huius articuli corpore ne minimum quidem vestigium occurrit, quod ex mente S. Thomae in exequiarum cultu habeatur viventium erga corpus defuncti vel erga ipsum defunctum aliqua submissio.

Juste ergo concluditur, in lingua ecclesiastica priorum saeculorum vocabulum « cultus (colere) » habere sensum ambiguum, eumque errare, qui eam vocem in documentis ecclesiasticis priorum temporum semper usurpari sensu strictiore autumet.

Sed ulterius quaerendum est, quaenam significatio, e

mente Concilii Nicaeni II. (a. 787) tribuenda sit voci προσκύνησις (προσκυνεῖν) latine « adoratio, adorare ». S. Synodus novit diversos gradus « adorationis »; summum gradum, quem vocat « veram latriam », definit convenire exclusive « divinae naturae »; alios gradus haberi supponit, qui tribui possint s. Cruci, ss. Evangeliis, imaginibus Christi, B. Mariae V., Angelorum et Sanctorum. « Adoratio » hisce tribuenda a s. Concilio significatur etiam vocabulo synonimo τιμή, honos. Quodsi s. Synodus hanc vocem usurpat eo sensu, quem homines communiter ei tribuunt, submissio certe non exprimitur. Calculum huic explicationi adicere possumus verbis Anastasii, episcopi oppidi Theopolis, in epistula ad quendam scholasticum, lecta in ipso Concilio Nicaeno II. (Mansi XIII 55 sq): « Nemo offendatur adorationis (προσκύνησις) significatione. Adoramus enim homines et angelos sanctos, non tamen servimus illis (οὐ μὴν λατρεύομεν αὐτοῖς). 'Deum tuum adorabis, et illi soli servies (λατρεύσεις)'; et vide, quomodo in eo quidem, quod dicit 'servies' praeposuit 'soli'; in eo vero quod ait 'adorabis' nequaquam: itaque adorare quidem licet, honoris quippe indicium est adoratio; servire autem nequaquam; ergo nec orare ». Quam explicationem patres Concilii laudaverunt. Ergo latria ex mente Concilii significat tale servitium, quale 'soli' Deo praestari potest. Inde concludere pronum est e mente Concilii neque Sanctorum iconibus licere aliquod 'servitium' exhibere, id est venerationem cum submissione, saltem sensu proprio et per se; nam si imaginibus Dei et Christi cultus latreuticus proprie et per se exhiberi nequit, idem valet de cultu duleutico imaginibus Sanctorum proprie et per se impendendo. Consequenter ex mente Concilii veneratio imaginibus quibuscumque exhibenda non includit 'servitium' seu submissionem. Hunc revera fuisse sensum a Concilio vocibus « adoratio, adorare » (προσκύνησις, προσκυνεῖν) tributum discimus ex epistula, quam Tarasius, patriarcha Constantinopolitanus et moderator disputationum in eodem Con-

cilio habitarum, simul cum Concilii definitione misit ad Imperatores; ait enim (Mansi XIII 496): « Etsi multotiens invenitur adoratio in divina Scriptura et urbane loquentibus patribus nostris pro servitute (λατρία), quae est in spiritu, cum vox multa significet, unum ex significatis eius est adoratio secundum latriam. Adhuc autem adoratio est et ea, quae per honorem et per amorem ac timorem fit: sicuti nos adoramus et gloriosissimum et mansuetissimum imperium vestrum. Est et alia per timorem tantum sicut Jacob adoravit Esau. Et est per gratiam, sicut Abraham adoravit filios Het pro agro, quem accepit ab eis in sepulturam Sarae uxoris suae ». Jamvero in ultimo exemplo adoratio « per gratiam » (κατὰ τὴν χάριν) certo non continet submissionem. Ergo adoratio potest, sed non debet continere notam submissionis, seu ipsum Concilium Nicaenum II. novit (saltem) duos modos cultus, alterum late, alterum stricte dictum.

Huic tamen explicationi aliquantulum obstare videtur sensus, quem S. Joannes Damascenus, primarius ante Conc. Nicaenum II. venerationis imaginum defensor, voci προσκύνησις (adoratio) tribuit; etenim conceptum cum voce «adorationis» coniunctum exponens expresse dicit eum continere aliquam submissionem (Oratio I de imag. n. 14; Oratio II; Orat. III n. 27; MG 94, 1244; 1347; 1355). Quare admittendum est, eum non cognovisse ullam « adorationem » vel ullum cultum, qui non contineat aliquam submissionem. Quod idem valere videtur de uno alterove Episcopo, cuius verba a Damasceno in suis Orationibus afferuntur. Notatu tamen dignum est, opera S. Joannis Damasceni in actis Conc. Nicaeni II. non allegari et propterea eius explicationem 'adorationis' non debere dici a Concilio approbatam fuisse.

Asserere ergo licet, distinguendum esse inter cultum sensu stricto (vel cultum sine addito), qui includat submissionem, et cultum sensu latiore (vel venerationem, honorem), qui careat nota submissionis. Quam differentiam etiam canon 1255 § 2 agnoscere videtur distinguendo in-

ter « venerationem » et « cultum », dicendo: « veneratio » *et* « cultus » debetur reliquiis et imaginibus.

Hisce praemissis aliqua Asserta proponantur.

I. ASSERTUM. **Possunt imagines (et reliquiae) nonnisi apparenter coli, videlicet ita, ut ipsae non sint termini cultus, sed occasiones tantum ad colendas personas respectivas.** De huius Asserti veritate dubitari nequit. Etenim viatori cuipiam, qui iuxta viam videt imaginem B. Mariae V. et caput detegit ad salutandam S. Virginem in caelis glorificatam, imago mera occasio esse potest, honorandi Reginam caelorum, quin velit imaginem ut talem venerari. Et quamvis viator fortasse coram illa imagine genuflexus aliquantulum oret ad B. M. V. in caelis existentem, non necessario aliquem honorem tribuit imagini ut sic. In CONCILIO NICAENO II. quaedam prolata sunt, quae iuxta verborum tenorem idem dicunt. Ex JOHANNIS THESSALONICENSIS opere « De sermone » inter alia sequens locus praelegebatur: « Non imagines..., sed eos, qui per picturam indicantur, glorificamus, et hos non ut deos (absit), sed ut proprios servos et amicos Dei, et fiduciam habentes intercedendi pro nobis » (Mansi XIII 163). Ex « Disputatione Judaei et Christiani: » « Non ligneam imaginem vel picturam adoramus aut colimus, sed omnium Dominum Christum Deum glorificamus » (Mansi XIII 167). Recte S. ROB. BELLARMINUS (lib. 2, cap. 18): « Precaturi ad imagines accedimus, non ut invocemus imaginem, sed ut memoriam eius, quem orare volumus, imago refricet ». Itemque recte sentit DURANDUS (In sent. l. 2, d. 9, q. 2) quatenus asserit, incensationem Crucis non necessario fieri Cruci, sed eius terminum unicum posse esse Christum in caelis regnantem [3].

Durandus (In Sent. 4, dist. 9, q. 2) animadvertit, in prae-

[3] Errat vero DURANDUS asserendo, Crucem nullatenus posse esse terminum alicuius cultus, ut videbimus. Sine dubio s. Ecclesiae mens est, ut ipsi S. Cruci aliisque imaginibus aliquis honor tribuatur, saltem in liturgia nomine Ecclesiae peragenda.

sentia imaginis hominem se convertere ad personam absentem ita, « *ac si* praesens esset in se ». Revera specie tenus vel apparenter ille, qui coram imagine Crucifici genibus flexis Christum absentem honorat, Eum ita honorat *ac si* praesens esset in se. Nec tamen iste agendi modus est simulatio (qua quis externe aliter se gerit atque interne sentit cum aliorum deceptione), cum liquido quilibet sanae mentis, qui eum ita agentem conspicit, sciat vel saltem suspicari debeat, eum non necessario Cruci ut tali genua flectere. Durando consentit *S. Rob. Bellarminus* (l. 2, c. 23): « Ea quae fierent circa exemplar, si adesset praesens, fiunt [localiter] circa imaginem, mente tamen defixa in exemplar ».

II. ASSERTUM. **Imagines sacrae et reliquiae necnon res ob benedictionem sacrae dignae sunt aliquo cultu absoluto, late tamen dicto, id est honore et veneratione, absque submissione.** Uti supra expositum est, philosophorum et theologorum iudicio honor late acceptus est bona aestimatio interna de alicuius perfectionibus, — stricte vero acceptus est testificatio externa aestimationis internae de alicuius perfectionibus seu significatio externa excellentiae alterius (cf. NOLDIN, De praec. n. 131, 642; A. VERMEERSCH, Theol. mor. t. II (ed. 3), n. 553).

Quaelibet *ergo* res, in qua invenitur aliqua excellentia, digna est aliquo honore. Haec excellentia, seu ratio, ob quam honore digna est, aut absoluta est aut relativa ad personam aliquam excellentem. Sic pictura aliqua ob artem excellens honorifice tractari solet ob artem sibi insitam, quae est eius excellentia absoluta. Si constat, ipsam picturam esse factam ab insignissimo pictore, puta v. g. a Raffaele, etiam hoc ex capite honorifice tractatur ob excellentiam quam habet ex relatione ad illum pictorem; et si eadem imago repraesentat personam excellentem, puta v. g. B. Mariam V., etiam hoc ex capite tractatur honorifice, nempe ob excellentiam, quam habet ex relatione ad B. Virginem.

Uti liquet, excellentia ista, esse videlicet similem B. Mariae V., picturae illi indita seu intrinseca est, cum fun-

damentum relationis, iuxta philosophos, sit identicum cum subiecto relationis. Sacras imagines *in se* continere aliquam perfectionem dignam veneratione, in ipso Concilio Nicaeno II. agnitum est in illo commentario contra iconum adversarios scripto, qui in Actione sexta postulantibus patribus publice lectus est: « Itaque sentiamus bonum et optimum esse, venerabilium imaginum positionem in ecclesia fieri, et spiritualiter reduci per has ad principalium suorum memoriam, atque *istas* propter *earundem* honorificentiam et salutare et amplecti ac debitam adorationem impendere » (καὶ ταύτας διὰ τὴν αὐτῶν τιμιότητα καὶ ἀσπάζεσθαι καὶ περιπλύσαθαι καὶ τῆν ὀφειλομένην προσκύνησιν ἀπομένειν.

Assentiendum ergo S. Rob. Bellarmino dicenti (l. 2, cap. 19): « Dico imaginem esse sanctam... propter significationem et repraesentationem rei sanctae, et hoc modo quaelibet imago Christi vel Sanctorum, etiam in officina existens, potest honorari ». A fortiori hoc idem valere ait de Sanctorum reliquiis, de instrumentis in Passione Domini adhibitis, de S. Scriptura. — Venerationem aliquam absolutam impertiri posse sacris reliquiis et imaginibus insinuatur etiam Can. 1255 § 2, ubi adiectivum « relativus » ad cultum tantum, non item ad venerationem pertinere videtur.

Item res benedictae benedictione constitutiva vel consecratione, dignae sunt cultu absoluto late dicto seu veneratione, ut vasa sacra, olea sacra etc.: nemo enim dubitat de veritate a S. Rob. Bellarmino ita enuntiata (l. c.): « Calices et vestes et ipsi homines eo ipso fiunt sacri, quod [ab Ecclesia]dedicantur cultui divino et separantur a profano usu ».

Indolem sacram esse ipsis imaginibus, reliquiis, rebus benedictis *insitam* ita, ut ob ipsam dignae sint aliquo cultu absoluto, non cultu mere relativo ad personas, confirmatur inde, quod theologi earum indignam tractationem seu profanationem accensent sacrilegiis non perso-

nalibus, sed realibus (NOLDIN, De praec. n. 179); at nisi ipsae istae res essent in se excellentia aliqua praeditae, earundem indigna tractatio non esset *reale* sacrilegium.

Supplementi gratia expresse notandum videtur, sacras imagines ipsasque reliquias mereri venerationem *religiosam* non ob earum materiam, sed ob accessoriam excellentiam, qua gaudent ex sua ad sanctas personas relatione: id, quod a ss. Patribus iterum iterumque inculcatur, v. g. a S. JOANNE DAMASCENO (De fide orthodoxa l. 4, cap. 16; MG 94, 1173); a LEONTIO, episcopo Neapolis (in Cypro) apud Damascenum (Or. III; MG 94, 1275).

Haec tamen interna excellentia non est concipienda ut aliqua divinitas, quae insit imaginibus Christi, vel ut aliqua virtus, quae insit imaginibus Sanctorum. *Menges* in opere supra citato, « Die Bilderlehre des hl. Johannes von Damaskus » (p. 78 sq., 176 sqq.) non sine bonis argumentis affirmat, ante iconoclasmum saeculi VIII. non raro sacris imaginibus attributam fuisse aliquam virtutem magicam, et ipsum Damascenum plus quam semel ita loqui, ac si putaret, gratiam Spiritus Sancti, qua Sancti vivi imbuti fuerint, post eorum mortem non quidem quoad substantiam, attamen quoad agendi virtutem cum ipsorum corporibus et imaginibus coniunctam permanere. Talem excellentiam imaginibus adscribi non posse, explicite docetur a CONC. TRIDENTINO (sess. 25; Denz. n. 986): « eisque [imaginibus] debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae ». Haec s. Synodi doctrina, cuius contrarium sub anathemate prohibitum est (Denz. n. 987), valet non tantum de recentioribus, sed etiam de antiquis catacumbarum et de ecclesiarum orientalium imaginibus, ideoque ea opinio, quae eiusmodi imaginibus inesse aliquam Domini Sanctorumve praesentiam sacramentalem (« Mysteriengegenwart ») asserit, cum s. Ecclesiae sollemni definitione componi nequit.

At quomodo componi potest Assertum nostrum cum axiomate Aristotelis et S. Thomae: « Motus, qui est in imaginem, inquantum est imago, est unus et idem cum illo, qui est in rem? ». Respondeo dupliciter:

Primo, si hoc axioma sine distinctione esset verum, quilibet cultus Sanctorum esset cultus latreuticus: nam ratio, cur Sanctus colatur, est eius relatio similitudinis ad Deum (utpote cultus religiosus); hinc motus in hominem, ut est imago Dei, esset necessario semper idem, qui est in Deum, ergo latreuticus. Et ulterius: si motus in imaginem Sancti esset necessario idem, qui est in Sanctum, consequenter esset semper idem, qui est in Deum, ideoque cultus erga Sancti imaginem esset semper etiam latreuticus: id quod a Concilio Nicaeno II. expresse negatur. Ergo axioma adductum non est verum nisi cum grano salis et cum distinctione:

Secundo, absque dubio motus in imaginem *procedit* ex animi motu in prototypum; nam qui nullum habet motum in prototypum, neque movebitur in eius imaginem. At inde minime sequitur intentum; nam motus in imaginem est motus *actualis*, qui procedit ex motu *habituali* in personam; motus autem actualis imperatus non debet esse *physice et numerice* idem atque motus habitualis, a quo imperatur. Praeterea motus perfectissimus caritatis potest imperare motum minus perfectum, v. g. iustitiae, ita, ut habeantur duo motus non tantum physice et numerice, sed etiam *specifice* (saltem inadaequate) diversi. Rem applicando ad quaestionem nostram: Motus animi habitualis latreuticus erga Deum potest imperare motum actualem non-latreuticum erga id, quod non est Deus; et animi motus habitualis duliae potest imperare motum actualem non-duleuticum erga rem, quae non est Sanctus, sed meram relationem ad eum habet. Breviter: Animi motus latreuticus vel duleuticus, quo se homo Deo vel Sancto submittit, potest imperare motum, quo Dei vel Sancti excellentia agnoscatur et manifestetur sine sui submissione, id quod fit in cultu late dicto seu veneratione imaginum etc. Ergo motus in imaginem ut est imago, et in rem, cuius est imago, est quidem *generice* (sub genere venerationis seu honoris) semper idem, non autem numerice et specifice.

III. Assertum. **Cultus late dictus seu veneratio erga res sacras exercetur eo quod: 1. decenter conservantur et a**

profanatione praeservantur; 2. quod positivis actibus honorantur.

1. De rerum sacrarum veneratione per earundem *decentem conservationem* et profanationis evitationem cavet Canon. 1150: « Res consecratae, vel benedictae constitutiva benedictione, reverenter tractentur neque ad usum profanum vel non proprium adhibeatnur, etiamsi in dominio privatorum sint ». Et de sacra supellectili Canon 1296: « Sacra supellex, praesertim quae, ad normam legum liturgicarum, benedicta aut consecrata esse debet quaeque publico in cultu adhibetur, caute custodiatur in ecclesiae sacrario aliove tuto ac decenti loco, nec ad usus profanos adhibeatur ». Huc quoque spectant Canones de simonia vitanda (726-730), de cessatione indulgentiarum coronis aliisve rebus adnexarum, si eaedem vendantur (924 § 2), de sacrilegiis perpetratis a clericis maioribus per peccata contra castitatem commissa (132 § 1), quatenus huiusmodi clerici considerari possunt ut quoad castitatem consecrati per Ordinem maiorem.

De imaginibus et reliquiis speciatim praecipitur Canone 1255 § 2 supra laudato: « Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio... debetur ». Qui Canon nititur doctrina Concilii Tridentini (sess. 25; Denz. n. 985 sq.): « Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse. Imagines porro Christi, Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam ». Iuxta S. Joh. Damascenum (Or. II; MG 94, 1315) Anastasius, episcopus Theopoleos, recte dixit, absente Imperatore, honorari eius imaginem; eo vere praesente non decere, ut neglecto Imperatore, honoretur imago eius; attamen nihilominus non licere hanc imaginem irreverenter tractare.

2. Posse rebus sacris, imaginibus, reliquiis cultum late dictum exhiberi per *positivos venerationis actus,* in documentis ecclesiasticis non semper evidenter enuntiatur; nam positivi actus cultus a liturgia praescripti fortasse intelligi debent de cultu stricte dicto, de quo infra agendum. In Canone 1255 § 2 supra allato praescripta « veneratio » est quidem cultus late dictus (in oppositione ad stricte dictum), attamen non expresse indicatur, utrum haec veneratio in actibus positivis consistat, an tantummodo in decenti conservatione. Implicite vero Concilium Nicaenum II. (Denz. 302) rem nostram docet. Etenim s. Synodus ex una parte certe non negat id, quod expresse docet Conc. Tridentinum, scl. nos per imagines Christi Christum « adorare » (et per imagines Sanctorum Sanctos « venerari ») seu nos imaginibus Christi (quamvis non propter se et ex natura sua, sed tantum, ut videbimus infra, improprie vel per accidens) cultum exhibere latreuticum. Jamvero ex altera parte Nicaenum II. aperte docet nos posse venerari imaginem Christi actibus positivis, qui non sint latreutici: ergo possunt Christi imagines propter se et ex natura sua (quatenus sunt imagines) honorari actibus positivis alicuius cultus, qui non includit submissionem. Quod autem valet de Christi iconibus, idipsum valet de imaginibus et reliquiis Sanctorum.

Absque ullo dubio S. Rob. Bellarminus tenet sententiam, de qua agimus; dicit enim (De imag. l. 2, cap. 25): « Cultus qui per se [id est, iuxta ea, quae habet cap. 20, alicui rei tanquam supposito, « in quo inest ratio venerationis »] et proprie [i. e., iuxta ibidem dicta, rei tanquam supposito, « quod vere ratione sui ipsius honoratur »] debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus ». Agi de actibus positivis cultus, elucet ex toto contextu. Optima doctrina; – at unum deest quod desideratur: S. Doctor non exponit, sub quanam ratione iste cultus sit imperfectior quam cultus, qui exemplari impenditur. Certe quoad actus externos, cultus uterque potest esse plane idem, v. g.

incensatio. Proinde differentia quaerenda est necessario in animi motibus, unde actus externi procedunt. Doctrina s. Doctoris, sub hoc respectu manca, completur, si, applicando distinctionem inter cultum stricte et late dictum supra expositam, affirmamus, cultu hoc imperfecto manifestari animum, quo quis agnoscere vult alicuius excellentiam, non vero suam erga eundem submissionem. Et quamvis forte actus externi sint iidem, eorum sensus sunt diversi.

Ideoque, qui ter ictu duplici incensat sive Sanctissimum Sacramentum sive S. Crucem, externe eundem actum ponit, interne autem in priore casu fovet voluntatem testificandi per actum externum ipsius Christi excellentiam divinam propriamque erga Ipsum submissionem, in altero casu vult (vel potest velle) solummodo S. Crucis internam excellentiam, non vero propriam erga eandem submissionem exprimere; in priore casu « colit » (sensu stricto) SS. Sacramentum, in posteriore casu S. Crucem mere « honorat » seu mere « veneratur ».

IV. Assertum. **Quaedam imagines speciali venerationis cultu absoluto dignae sunt ob specialem excellentiam ipsis sive a Deo sive ab Ecclesia tributam.**

Supra allatus est textus ex Bulla « Auctorem fidei », quo Pius VI. contra Pistorienses declarat: « Doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere: — temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo 'ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult' (ex S. August., Epist. 78, clero, senioribus et universae plebi ecclesiae Hipponensis) ». Jamvero hic agitur de excellentia a *Deo* ipsis imaginibus collata: Deus enim non solis Sanctis aliquibus, sed ipsis eorum imaginibus eam excellentiam concessit, ut co-

ram hisce fideles venerationis actus exercentes, saepius et evidentius exaudiantur, quam si alias eiusdem Sancti icones venerentur. Neque enim apparet, qua ratione ipse Sanctus speciatim ideo a Deo magis extolli dicatur, quod occasione precum coram tali imagine fusarum, id est imagine saepe neque aetate neque arte excellente, fideles exaudiantur. Ideo tenendum est, eiusmodi imagines ab ipso Deo prae ceteris aliqua speciali insigniri excellentia — ad quamcumque categoriam aristotelicam eam pertinere de cetero dixeris. Non aliter res se habet circa imagines a *S. Ecclesia* coronatas. De Venerabili imagine B. Mariae V. a Strata nuncupata sic habet Breviarium S. J. die 24. Maii): « Cum antiquitate cultus et miraculorum copia ac splendore opifera haec imago tantopere excelleret, medio saeculo decimo septimo, ab ordine Canonicorum Vaticanorum corona aurea donata fuit, prima videlicet inter Dominae Nostrae effigies, quibus Romae habitus hic honor exhibetur », ipsi imagini ob duas insitas ipsi excellentias, i. e. ob antiquitatem cultus et miraculorum copiam: habetur ergo veneratio absoluta ab Ecclesia imagini ob excellentiam ipsi insitam tributa. Jamvero, si imago quaedam a Deo evehitur ad excellentiam imaginis « miraculosae » vel ab Ecclesia insignitur corona, eo ipso recipit aliquam *novam* excellentiam, qua digna fit cultu late dicto absoluto.

Confirmationis gratia hic adicere convenit, quae sapienter notat A. Vermeersch (Theol. mor. II, ed. 3, n. 158): « Imago ipsa potest honorari iam quatenus repraesentat personam sanctam, et multo magis quatenus vel ex devotione antiqua vel Sanctorum vel ex gratiis quae coram eo orantibus per repraesentatam personam obtentae sunt, peculiariter cum persona ista conexa demonstratur. Cultus iste relativus [potius dicendus absolutus] non est idem cultus, qui defertur personae. Quare imago personae minus dignae, si specialibus honoris titulis honestatur, potest magis honorari, quam imago personae dignioris; et variae

eiusdem personae imagines vario gradu honorantur »: hoc utique supponit veritatem suppositionis nostrae fundamentalis, quod probe distinguendum sit inter cultum, qui includat submissionem et cultum (late dictum), qui submissionem non includat; nam submissio erga Sanctum digniorem utputa B. Mariam V. semper debet esse maior quam e. g. erga S. Antonium, et « variae eiusdem personae imagines vario gradu » nequeunt honorari, quatenus cultus continet submissionem; haec enim semper eadem esse debet erga quamcumque Domini Nostri imaginem, itemque erga quamcumque Dominae Nostrae effigiem, sive coronatam, sive non coronatam, sive antiquam sive novam, sive arte excellentem sive arte carentem.

V. ASSERTUM. **Cum absoluta imaginis veneratione semper coniunctus est aliquis exemplaris honor.**

Etenim semper verum manet, imaginem, etsi proprie et per se honoretur, seu etsi in ipsam terminetur honor, honorari propter exemplar ideoque honorem transire ad exemplar, non quidem immediate, sed ut habet S. ROB. BELLARMINUS (l. 2, cap. 21) « mediate et quasi consequenter ». « Nam qui honorat imaginem alicuius, sine subio honorat propter eum, cuius est imago, et proinde honor imagini vere exhibitus redundat in prototypum. Quemadmodum qui facit eleemosynam pauperi, Christo illam fecisse dicitur, non quod eleemosyna immediate non tendat in pauperem, sed quia qui eleemosynam facit pauperi, propter Christum facit et Christum honorat in paupere ».

Et sic quadantenus (quamvis fortasse non perfecte) verificatur etiam in imaginum veneratione absoluta, quod docet CONC. NICAENUM II. (Denz. n. 203), « ut istis, sicut figurae pretiosae ac vivificae Crucis et reliquis sacris monumentis, incensorum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor [verba sunt S. BASILII, De Spiritú S. 18, 45] ad primitivum transit: et qui adorat

imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam »; — et quod habet Conc. Tridentinum (sess. 25; Denz. n. 986): « Honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quorum illae similitudinem gerunt ».

Ex quibus sequitur, *absolutum* cultum (late dictum) exhibitum imagini semper esse etiam *relativum* cultum prototypi.

At quaeritur, utrum cultus iste *mediate prototypo exhibitus* sit cultus *stricte* an *late dictus*. Dicendum, eum esse cultum late dictum; nam id quod ex redundantia consequitur, nequit esse maius quam id, unde redundat. Ut tamen postea videbimus, intentio venerantis *potest* in id tendere, ut simul cum honore imagini absolute exhibendo coniungat voluntatem per eundem actum externum exercendi cultum stricte dictum aut « improprium » aut « per accidens » erga personam.

Iuxta S. Rob. Bellarminum (l. 2, cap. 25) cultus imaginibus, reliquiis etc. exhibitus « analogice et reductive pertinet ad *speciem* eius cultus, qui debetur exemplari » eo, quod « sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris; sed imago est ipsum exemplar analogice et secundum quid: nam homo pictus est homo secundum quid analogice, ergo etiam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus et analogicus ». Potius dicendum videtur, cultum quem sanctus Doctor vocat « imperfectum » (qui nequit esse nisi cultus late dictus seu « veneratio ») et « perfectum » esse duas *diversas species*, quae univoce conveniant in genere « honoris » (ut brutum et homo conveniunt in genere animalis); « honor » enim, qui est externa manifestatio aestimationis internae, exhibetur aut sine voluntate sese submittendi alteri, et tunc est mera « veneratio » seu cultus imperfectus, aut cum tali voluntate, et tunc est cultus perfectus. Species enim cultus sumitur ab obiecto, id est ab actibus externis et internis, quibus cultus exercetur, non autem a termino cui. Proinde sicut

brutum nequit dici « analogice et reductive » pertinere ad hominem, sic etiam « veneratio » (seu cultus, quem vocat Bellarminus « imperfectum ») nequit dici « analogice et reductive » pertinere ad cultum stricte dictum, qui debetur personae. Si ergo spectetur honor, qui personae accrescit ex cultu late dicto seu veneratione imaginis, sine dubio est per se merus honor sine submissionis testificatione.

Haec doctrina enervari nequit obiectione, imagini illatam contumeliam censeri irrogatam ipsi personae. Nam haec ratio probat quidem, personam vero quodam modo affici contumelia, non autem evincit, eam immediate tractari contumeliose. Sicut persona per imaginis venerationem honoratur mediate, sic etiam mediate tantum contumelia afficitur per contumeliosam suae imaginis tractationem. Directa seu immediata contumelia personae tunc tantum haberetur, si malefactor imaginem *loco* personae contumelia afficeret ideo, quod personam ipsam non posset immediate male tractare, seu si imaginem contumelia afficeret, *ac si* imago esset ipsa persona.

Consectaria practica.

1. In exercendo cultu sive publico sive privato illi actus, qui ex natura sua continent seu testificantur *aliquam submissionem* — cuiusmodi certo sunt sacrificium, votum, iusiurandum, oratio — *nunquam* cultu absoluto proprie deferri possunt reliquiis, imaginibus vel cuilibet rei impersonali, quia persona venerans seu colens semper maior est quam res impersonalis.

Idem valet de illis cultus modis, *qui supponunt* ex parte termini, cui cultus exhibetur, *aliquam acceptationem*: oblationes sensu proprio sumptae. Nemo potest offerre imagini vel reliquiae aut alii rei sacrae ullum donum, nam donum rationabiliter offerri nequit nisi personae quae donum acceptet. Ideoque ipsae candelae, flores, tabulae votivae possunt tantummodo personae offerri, non imagini, quamvis oblatio fiat in praesentia imaginis et modus agendi eiusmodi sit, *ac si* res offerrentur imagini [4].

[4] Hinc explicantur decisiones S. C. Conc. 12. Iulii 1919 et 14. Ian. 1922 (AAS 1919, 419; 1922, 161), iuxta quas donaria votiva absque consensu Ap. Sedis alienari non possunt, etiamsi

Consequenter « incensorum et luminum oblatio » ad imaginum honorem efficiendum exhibita, de qua Conc. Nicaenum II. (Denz. 302), non est intellegenda de oblatione stricta, sed de mera appositione aut de oblatione sive « impropria » sive « per accidens » (cfr. infra).

2. Illi reverentiae actus vel illae honoris testificationes, quae ex natura sua *non continent* vel enuntiant sui *submissionem*, possunt cultu absoluto (late dicto) sive publico, nisi obstet vetitum Ecclesiae, sive privato exhiberi cuilibet rei sacrae, uti sunt S. Scriptura, instrumenta Passionis D. N. J. C., reliquiae, imagines, altare, oleum consecratum, aliaeque res sacratae.

Eiusmodi actus non continentes vel enuntiantes sui submissionem sunt genuflexiones, inclinationes, incensationes, detectio capitis, oscula, accendere candelas, apponere (non offerre) flores etc.

VI. Assertum. **Ille idem cultus stricte dictus, qui debetur personae, huius imagini vel reliquiae exhiberi potest, si imago vel reliquia consideratur ut repraesentans personam ita, ac si haec ipsa praesens esset, seu si imago etc. colitur « improprie ».**

Naturam cultus « improprii » ita declarat S. Bellarminus (l. 2, cap. 23): « In die Parasceves cum Crucifixus paulatim detegitur et ostenditur et adorandus proponitur, illa omnia *per imaginem* ipsi Christo vero exhiberi intelleguntur. Tunc autem *proprie* nullus honor defertur imagini, sed soli exemplari; tamen *improprie* dici potest ipsa etiam imago honorari ». Etenim « *improprie* dicitur honorari, quod honoratur *loco* alterius. Legatus regis aliquando honoratur ut legatus, et tunc ipse *proprie* honoratur, licet *propter* alium honoretur; aliquando honoratur *loco* regis honore proprio regibus, et tunc *improprie* honoratur; *proprie* autem rex *in ipso* tunc honoratur » (l. 2, cap. 20). Et sapientissime notat (l. 2, cap. 21) « imagines... semper honorari propter exemplar et semper honorem

---

oblator in alienationem ultro consentiat: supponitur haberi veram oblationem a donatario acceptatam, quam oblator postea, utpote rem alterius, sibi vindicare non possit.

earum transire ad exemplar, sed alio atque alio modo, nam quando imago adoratur improprie, quia videlicet honor in ipsam non terminatur, sed *per ipsam* in exemplar, tunc immediate et formaliter honor imaginis transit ad exemplar. At quando imago honoratur per se et proprie, ita ut in ipsam vere terminetur honor, tunc honor eius transit ad exemplar non immediate, sed mediate et quasi consequenter ».

De *psychologica possibilitate* concipiendi imaginem tanquam repraesentantem vel locum tenentem personae, dubitari nequit. Nonne vaferrimus osor Christi imaginem Crucifixi contumeliose tractare potest tanquam locum tenentem Christi Domini ideo, quia ipsum Dominum realiter contumeliis afficere nequit? Nonne, ut habet *S. Bellarminus* (l. 2, cap. 23) concionator in ambone demonstrando imaginem Crucifixi ad eam verba dirigere potest: « Tu nos redemisti, Tu nos Patri reconciliasti »? « Ista enim non dicuntur imagini nec ut lignum nec ut imago est, sed ut accipitur loco exemplaris, id est dicuntur ipsi Christo, cuius tamen imago vicem gerit, quemadmodum etiam in die Parasceves cum Crucifixus paulatim detegitur et ostenditur et adorandus proponitur, illa omnia per imaginem ipsi Christo vero exhiberi intelleguntur » (ib.).

Huiusmodi vicarietas seu vicegerentia rerum loco personarum in liturgia est frequens. Ita v. g. tumba vacua in defunctorum exsequiis incensatur et aspergitur ita, ac si defunctus vel eius corpus praesens adesset, — cuius vicem gerit tumba. Verba « O Crux, ave, spes unica... piis adauge gratiam reisque dele crimina » diriguntur ita ad s. Christi Crucem, ac si persona Christi praesens adesset, ad quem solum eiusmodi verba dirigi proprie possunt: Crux vicem gerit Christi. Nonne eadem habetur vicegerentia, si fidelis post s. Communionem coram Crucifixi imagine recitat orationem illam indulgentiis ditatam: « En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me pro-

volvo », et deinde ab illo termino, ante cuius conspectum genua flexa sunt, petitur augmentum fidei, spei et caritatis etc. ita, ac si ipse Redemptor, a quo solo eiusmodi gratiae peti possunt, praesens adesset? Imago vicem gerit personae.

Similiter etiam una persona alterius personae vicem ita gerere potest, ac si esset haec altera persona seu eius « ego »: « Dicitur *Legatus a latere* Cardinalis, qui a Summo Pontifice tanquam *alter ego* cum hoc titulo mittitur, et tantum potest, quantum ei a Summo Pontifice demandatum est » (Can. 266). Ad rem ex ordine profano S. Bellarminus afferens exemplum dicit (l. 2, cap. 20): « Legatus regis aliquando honoratur ut legatus, et tunc ipse proprie honoratur [ob excellentiam legati sibi inditam], licet propter alium honoretur: aliquando honoratur loco regis honore proprio regibus, et tunc ipse improprie honoratur, proprie autem rex in ipso tunc honoratur. Id clarius apparet..., cum funus celebratur absente corpore, circa statuam, et fiunt erga statuam omnia, quae circa corpus fierent, ut cum aliquando, teste Sexto Aurel. Victore, Romae triumphavit Traianus mortuus, et statua eius pro eo sedit in curru triumphali. Neque enim potest dici, statuam proprie triumphasse, sed Traianum a statua repraesentatum » ita, ac si ipse praesens fuisset.

Unde revera ille idem cultus stricte dictus, i. e. manifestans propriam submissionem, qui debetur personae, huius imagini (vel reliquiae) exhiberi potest, si imago (vel reliquia) consideratur ut repraesentans personam ita, ac si haec ipsa praesens esset.

Asserit S. Bellarminus (l. 2, cap. 22, sexto) huiusmodi cultum raro exerceri et ex historia religionis christianae nonnisi pauca affert exempla, videlicet illud Ecclesiae « O Crux, ave » ex hymno « Vexilla Regis », illud S. Andreae Apostoli (ex eius Officio d. 30. Nov.) « Salve Crux pretiosa », adorationem Crucis in Parasceve, et illud S. Hieronymi ad virginem Eustochium de huius matre S. Paula: « Prostrata ante Crucem quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat » (Ep. 108, 9; ML 22, 883).

V. Grumel affirmat (col. 833), similem colendi modum tunc praecipue et facile exerceri, si cultor vehementius commotus sese ad imaginem convertat facta mentaliter aliqua fictione quasi persona praesens esset loco imaginis. S. Leontius, episc. oppidi Neapolis in Cypro, in Serm. 5 contra Judaeos in Concilio Nicaeno II. publice lecto (Mansi XIII 45) dicit, in adoratione imaginis Christi se ita se gerere, ac si Christum ipsum teneret et adoraret (δὶ αὐτοῦ Χριστὸν κρατεῖν δοκῶ καὶ προσκυνεῖν), christianos per (διὰ) imaginem Crucifixi adorare ipsam personam Christi (ib. 44). Similiter *Symeon a monte Thaumasto* (De imaginibus; MG 86 II, 3220), quem citat S. Joh. Damasc. (Or. III; MG I 4, 1411) asserit, nos non adhaerere certis coloribus, sed sicuti eum, qui invisibilis est, depictum cernimus — sicuti fit in litteris, quibus aliud quid significatur — eum ita laudamus, ac si praesens adesset (ὡς παρόντα δοξάζομεν). Et *Anastasius*, episcopus oppidi Theopolis, in tractatu ad Symeonem, episc. Bostrensem, in Conc. Nicaeno II. publice lecto haec habet (iuxta textum graecum): « Sicut enim, dum abest imperator, imago eius p r o i p s o (ἀντ' αὐτοῦ) adoratur: cum vero praesens fuerit, superfluum est, deserto primitivo, adorare imaginem. Non tamen quia adoratur eo quod praesto sit is, propter quem adoratur, inhonorari eam oportet... Sicut enim qui contumeliam infert imagini imperatoris, poenam iustam perpetitur ac si (ὡς) eidem imperatori contumelias irrogasset: quamquam imago nihil aliud sit quam lignum et colores cerae commixti et temperati: eodem modo qui figuram alicuius honorat, in eundem ipsum cuius figura est, refert iniuriam » (Mansi XIII 55 sqq.). Ad declarandum quomodo imago possit gerere vicem exemplaris, in Conc. Nicaeno II. publice lectus est locus sequens ex *S. Johannis Chrysostomi* Or. 4. c. Arianos: « In imagine quippe imperatoris species et forma est: in imperatore vero eadem, quae in imagine species est.... Imago dixerit: Ego et imperator unum sumus. Ego enim in illo sum, et ille in me. Et quod aspicis in me, id et in illo vides; et quod intuitus es in illo, hoc vides in me. Qui ergo adorat imaginem, in ea adorat imperatorem » (Mansi XIII 70). Similiter, quod habet *S. Basilius* c. Sabellianos etc.: « Neque enim qui foro imperatoriae imagini intendit et imperatorem dicit eum, qui in tabula est, duos imperatores confitetur, imaginem scl. et cuius est imago » (Mansi XIII 71).

Secundum S. Joh. Damascenum iste modus colendi imaginis est communissimus, ut exponit M e n g e s, Die Bilderlehre des hl. Joh. von Dam., 39 et 78. Si porro experientia

doceri volumus, nonne fideles saepissime hac ratione colunt (improprie) imagines (reliquiasque) et (proprie) personas respectivas? Nonne v. g. in piarum peregrinationum sanctuariis coram imagine miraculosa B. Mariae V. ita in genua procumbunt oculosque et manus attollunt et vel verba ad eandem imaginem dirigunt, ac si ipsa Dei Genetrix loco imaginis praesens esset — eadem ratione, qua Ecclesia in Parasceve fideles versus Crucem genua flectere docet et cantare « Venite adoremus »?

Immo dicendum est hunc improprium imaginis cultum exerceri toties, quoties « imago oratur », — quamvis optime intellegant fideles, verissimum esse, quod in Concilio Nicaeno II., applaudentibus Patribus praesentibus, e scripto quodam legit diaconus Epiphanius: « Aliud enim est imago, et aliud principale, et proprietates (ἰδιώματα) principalis nullatenus quis eorum qui sanum sapiunt, in imagine quaerit » (Mansi XIII 258), et: « Imago enim secundum nomen tantum et non secundum definitionem communicat primitivo, ut saepe iam diximus » (ib. 339), et: « Nihil imaginem aliud scimus quam imaginem indicantem principalis imitationem (μίμησιν) » (ib. 343). Unde quilibet sanae mentis fidelis, « imaginem orans » ita ac si aliquid ab imagine peteret, cuilibet interroganti sine haesitatione respondebit: « Non ab imagine ut tali spero me aliquid accepturum, sed a Sancto depicto per me apud Deum in caelo intercedente » [5].

Huiusmodi ergo cultus « ac si » minime adversatur Concilio Tridentino docenti, imagines venerandas esse, « non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant »; nam hoc ipso, quod imago ita colitur « *ac si* » persona *adesset*, persona *non adesse* censetur; et fiducia non in imagine ut tali figitur (ut fiebat a gentibus), sed in Sanctis, qui repraesentantur, neque ab ipsa imagine ut tali aliquid proprie petitur. Praxis colendi imagines ita, ac

[5] Ceterum iuverit remittere lectorem ad id, quod de eiusmodi vicarietate in sacra Liturgia saepe recurrente scripsi: « Liturgischer Stil und Dogmatik », in: Scholastik 1 (1926) 481 sqq.

si prototypa adessent, fundatur in natura hominis psychologica, et eius reprobatio contineret ipsius naturae reprobationem. Neque Concilio *Nicaeno II.* talis cultus adversatur. Docet quidem haec Synodus fideles e contemplatione imaginum erigi ad primitivorum (i. e. personarum) memoriam, « ad osculum et ad honorariam his (intellege: imaginibus) adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quae... solam divinam naturam decet, impartiendam ». Nam Crucifixi imaginis adoratio latreutica, quae in latria « ac si » exercetur, non eo sensu imagini tribuitur, qui a Concilio reprobatur, id est: imagini non « propter se atque ex sua natura » (ut Concilii sensum recte explicat Binius in nota finali ad Acta eiusdem Concilii [Mansi XIII. 489]), sed prouti locum tenet ipsius Personae Crucifixi, exhibetur. Cultus latriae vel duliae proprie terminatur in personas, improprie in imagines etc.

Ceterum iste agendi modus essentialiter distat ab illa philosophia moderna, quae « philosophia ac si » (Philosophie « als ob ») vocatur, iuxta quam homo nesciat, utrum quidquam extra eum exsistat necne, sic tamen agere debeat ac si res extra eum exsisterent (Vaihinger); etenim qui modo exposito imaginem colit ita, ac si persona praesens adesset, probe scit hanc revera non adesse.

Iuxta eundem S. Robertum illi auctores, qui explicare conantur, quomodo imago non raro adoretur eadem adoratione, qua ipsum exemplar, saepe deveniunt ad hanc impropriam adorationem: « Alexander (Halensis) et Bonaventura satis clare indicant se loqui de adoratione impropria. Dicunt enim, ideo imaginem Christi adorari cultu latriae, quia non tam ipsa, quam Christus in ipsa adoratur » (ib.).

Tandem iuverit hic animadvertere in hoc genere cultus dupliciter agi ita « ac si »: 1. Externus agendi modus (v. g. adorationis Crucis in Parasceve; absolutio super tumbam vacuam etc.) specie tenus ita peragitur, ac si ipsa imago proprie honoraretur, 2. etiam animus internus illius, qui hunc cul-

tum exercet, est talis, ac si exemplar ipsum vere praesens adesset.

Si tandem quaeratur, utrum iste cultus improprius imagini exhibitus sit *absolutus* an *relativus*, respondendum, eum esse *absolutum*, quatenus idem est cultus, qui exhibetur personae; at cultus personae exhibitus est absolutus, ergo etiam cultus imagini exhibitus. Attamen cultus absolutus personae tribuitur proprie, imagini improprie. *Potest* vero cultus imagini exhibitus etiam *relativus* dici, quia honor proprie non imagini, sed exemplari impenditur. Immo dici potest *nullum* cultum imagini tribui, quia quod « improprie » fit, dici potest « non fieri ». Ita v. g. dici potest: « Pratum ridet » (videlicet improprie ridet), at etiam dici potest: « Pratum non ridet » (scl. proprie non ridet). Et sic etiam sub hoc respectu dici potest cum Concilio *Nicaeno II.* imagini Crucifixi non exhiberi cultum latreuticum (proprie dictum). Et hoc idem valet de cultu « per accidens », de quo in sequenti Asserto.

VII. Assertum. **Idem ille cultus stricte dictus (absolutus), qui debetur personae, huius imagini vel reliquiae exhiberi potest, si imago vel reliquia consideratur ut aliquid cum exemplari coniunctum seu si imago vel reliquia colitur « per accidens ».**

Conceptus cultus « *per accidens* » ita exponitur a S. Bellarmino (l. 2, cap. 20): « Quod honoratur, potest honorari per se vel per accidens... *Per se* honoratur suppositum, in quo inest ratio venerationis [id quod verificatur etiam in imagine propter excellentiam sibi inditam, adorationis; ut cum honoratur rex, per se honoratur homo uti supra in Asserto II. expositum est]; *per accidens* id, quod est *coniunctum* rei, quae adoratur, nec est ipsa ratio adorationis; ut cum honoratur rex, per se honoratur homo ille, qui est rex, per accidens honoratur purpura, et reliqua illi coniuncta et accidentia omnia eius, excepta regia

dignitate, quae licet non sit id, quod honoratur, est tamen id, quo homo ille honoratur. Itaque persona honoratur per se ut quae; regia dignitas honoratur per se ut qua; reliqua honorantur per accidens ».

S. Leontius, episcopus Cyprensis, in supra laudata Apologia c. Iud., quae postulantibus S. Sedis Legatis in Concilio Nicaeno II. publice legebatur, recte monuit: « Ut ergo saepe dixi, intentio exquiritur in omni salutatione et omni adoratione » (Mansi XIII 45). Sicuti cultus improprius « ac si », ita etiam cultus « per accidens » pendet ab intentione colentis. Unde bene iterum S. Bellarminus (l. 2, cap. 23): « Quod autem *possit* imago adorari adoratione ipsius exemplaris, proprie quidem, sed per accidens, probatur: nam aliquando non accipimus imaginem *pro* exemplari [ut fit iuxta Assertum VI.], nec consideramus solam imaginem [uti fit iuxta Assertum II.], vel solum exemplar [uti fit iuxta Assertum I]., sed consideramus exemplar, ut obiective relucet in imagine, et ipsum sic repraesentatum et quasi vestitum imagine, veneramur: tunc autem necessario adoramus imaginem eodem cultu, quo ipsum exemplar, sed per accidens; nam qui adorat aliquem, adorat etiam omnia, quae cum illo coniuncta sunt, sicut qui adorat regem vestitum, adorat simul regem et vestes; sed imago concipitur eo tempore coniuncta cum exemplari, quod adoratur; igitur etiam ipsa adoratur, per accidens tamen, quia ipsa nec est suppositum, quod adoratur, nec ratio adorationis, sed quidquam adiunctum ».

E rei natura patet hunc colendi modum saepius et facilius quam erga imagines exerceri erga *reliquias*, quippe quae revera coniuncta fuere cum Sanctis adeoque etiamnunc facile considerari possunt ut res cum exemplaribus coniunctae.

Notat etiam hic S. Robertus, aliquos veteres auctores hunc respicere colendi modum, si dicant, imagines eodem quo Sancti, cultu honorari: « B. Thomas et qui eum se-

quuntur, intellegendi sunt de adoratione per accidens; nam imprimis hoc probat argumentum eorum de unitate motus in imaginem et in exemplar. Tunc enim est idem motus in imaginem et in exemplar, quando exemplar consideratur ut obiective relucet in imagine, ut diximus ». Forte melius quis dixerit unitatem motus in utrumque terminum haberi etiam et potius in cultu improprie dicto, de quo in Asserto VI., quando videlicet imago consideratur et colitur ut vicarie repraesentans exemplar.

Addit S. BELLARMINUS: « CAPREOLUS diserte admittit adorationem istam imaginum esse per accidens, quomodo adorantur vestes regis, cum rex vestitus adoratur. Immo S. THOMAS ipse art. 4 eiusdem quaestionis [vide supra] dicit, ita honorari honore regio imaginem regis, sicut vestes regis. Certum autem est vestes regis non honorari regio honore nisi per accidens. Denique eodem tendit speculatio CAIETANI, cum ille dicit, imaginem Christi adorari latria non ratione materiae, nec ratione formae seu figurae, sed ratione actualis repraesentationis; non enim vult dicere, repraesentationem illam actualem esse rationem, cur imago adoretur latria: id enim stultissimum esset; sed vult dicere, illam repraesentationem esse conditionem, ratione cuius imago concipitur coniuncta cum exemplari, et proinde per accidens adoratur ».

De hoc cultu per accidens intellegendus esse videtur S. LEONTIUS, episc. Cypriensis, in loco a Damasceno Or. III. (MG 94, 1383) allato, ubi affirmat, nos Christianos in colenda figura Crucis non considerare naturam ligni, sed potius sigillum et imaginem ipsius Christi et per illa salutare et venerari Christum. Similiter ipse S. IOH. DAMASCENUS (Or. I; MG 94, 1264), qui dicit, vestem ab imperatore indutam participare eius venerationem, quia ab imperatore gestetur.

Consectaria practica.

1. Sine dubio non tantum in privata, sed etiam in publica imaginum veneratione licite exercetur cultus stricte dictus sive « improprius » sive « per accidens »: quod si fit, verificatur, quod docet TRIDENTINUM, « ut *per* imagines... Christum adoremus [cultu latreutico] et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur [cultu hyperduliae vel duliae] » (Denz. 986). — Notandum CONCILIUM NICAENUM II. de cultu « improprio » vel « per accidens » nihil dicere: eum nec reprobat neque approbat.

2. Uno eodemque cultus externi actu simul exerceri potest cultus stricte et late dictus.

Quoniam, uti in CONCILIO NICAENO notatum est [vide supra], in cultu exercendo omnia pendent ab intentione, non apparet, cur Celebrans s. Crucem incensando non possit velle exprimere aestimationem, qua agnoscit excellentiam internam imaginis (animo cultus late dicti) et simul submissionem erga eum, cuius Crux gerit vicem, i. e. erga verum Christum ita, ac si esset praesens (animo cultus stricte dicti, quo Crux ipsa improprie colitur). Idem valet de inclinationibus, genuflexionibus, incensationibus, osculis, quibus imagines B. Mariae V. aliorumque Sanctorum coluntur: possunt eiusmodi actus iis exhiberi tanquam signa merae venerationis absolutae vel tanquam signa cultus stricte dicti (cum submissione) aut impropril aut per accidens, vel tanquam signa utriusque cultus. A fortiori id valet quoad S. Scripturam, instrumenta Passionis D. N., sacras reliquias, quae omnia facile concipi possunt non solum qua excellentia interna praedita, sed etiam qua res coniunctae cum S. Spiritu, D. N. Jesu Christo, Sanctis et qua tales colendae cultu stricte dicto per accidens.

3. Inter res in ecclesiastica liturgia adhibendas, quae ob consecrationem vel constitutivam benedictionem sacratae sunt, ita distinguendum est: si res sacratae personam sanctam symbolizant (ut v. g. altare, quod figura est Christi), non tantum veneratione, sed etiam cultu « per accidens » et « improprio » dignae sunt; si vero nil aut solum alias res (ut v. g. patena sepulchrum Christi) symbolizant, sola veneratione honorandae videntur.

* * *

Si tandem quaeratur, quaenam sit, iuxta exposita, cultus relativi (tum rebus, tum personis exhibiti) *definitio*, dicendum est:

Cultus (late dictus) relativus est honor ex absoluta rei vel personae veneratione redundans in eas personas, ad quas illae res vel personae referuntur.

Ut huius definitionis vis plene intellegatur, in memoriam revocetur, quod supra insinuatum est, scl. non tantum res, sed etiam personas posse cultu late dicto eoque relativo honorari, ut elucet ex exemplo a S. ROBERTO BELLARMINO allato: si regis legatus dumtaxat ut legatus, non ut regis aliud « ego » honoratur, exercetur quidem sive mera veneratio (absque submissione erga legatum), sive cultus stricte dictus (cum submissione erga eundem); in utroque autem casu honor — non necessario submissio — necessario redundat in regem.

Si quis cultum *stricte dictum* aliquem eumque absolutum vocare velit « relativum », eum definiet esse « cultum aut improprie aut per accidens sive rebus, sive personis exhibitum, qui exercetur colendo personas (digniores), quarum illae res sive personae aut vicem gerere aut partes constituere considerantur ».

Ut tota haec expositio apte terminetur, hoc unum ab omnibus admissum vel admittendum adiciatur:

ULTIMA RATIO cuiusvis cultus religiosi, sive stricte dicti, sive late dicti, – tum absoluti (duleutici) erga Sanctos, tum (hyperduleutici) erga B. Mariam V. —, sive relativi, sive « improprii » vel « per accidens » Sanctis eorumve imaginibus et reliquiis et quibusvis rebus sacris exhibiti, est necessario EXCELLENTIA DIVINA, quae ex diversis cultus cuiuslibet terminis diversimode resplendet, et proinde omnis cultus, qui non immediate Deo impenditur, est etiam cultus late dictus relativus Dei, qui Sanctorum rerumque sacrarum honoribus honoratur, cui honor et gloria in saecula saeculorum.

IOANN. B. UMBERG

Pactum missionale inter S. Sedem et Lusitaniam.

Nota distinctiva Concordati lusitani, anno proxime elapso feliciter initi, est procul dubio in articulis XXVI-XXIX quaerenda, qui principia fundamentalia praebent pro actione missionaria in coloniis lusitanis et ordinanda et ulterius evolvenda. Delegati Gubernii lusitani iam inter ipsas tractationes, quae sollemnem Concordati subsignationem praecesserunt, desiderium manifestarunt et pressius determinandi et uberius evolvendi per conventionem quandam particularem, separatim initam, normas generales de re missionaria in praedictis articulis contentas. Cum vero huiusmodi desiderium apprime responderet votis S. Sedis, factum est ut, veluti consectarium naturale mutuae concordiae in rebus metropolis ordinandis, pactum missionale iniretur, quo profecto splendide imponitur finis ordinationi rerum, quae utriusque potestatis supremae in Lusitania eiusque coloniis intersunt.

Nec vero aliter fieri poterat, si efficaciter intendebatur completa quaedam ordinatio rationum inter utramque auctoritatem supremam, cum magnum adhuc imperium coloniale lusitanae dicioni subiciatur. Negari nequit iucunde affici animum in hoc perlegendo pacto missionali; idem enim spiritus mutuae intelligentiae et benevolentiae, quem iam in Concordato notavimus, articulos omnes huiusce pacti quasi pervadit et vivificat, quod non poterit non conferre quamplurimum ad eosdem executioni diligenter mandandos. Quantum faciat ipsa auctoritas civilis progressum apostolatus missionarii in coloniis lusitanis clare manifestatur in articulo decimo nono, in quo expresse sancitur S. Sedem curam esse habituram ut associationes missionariae Lusitaniae impensiorem adhuc operam adhibeant, sive in evangelizandis indigenis, sive etiam in quolibet genere apostolatus missionarii exercendo. Non est dubitandum quin hic articulus votum quoddam sincerum

Gubernii lusitani efferat, quod profecto gloriosae traditioni illius populi plene respondet. Ecce enim quartum saeculum est hoc anno, die 7 aprilis, revolutum, ex quo S. Franciscus Xaverius, regis Lusitaniae petitioni annuens, Ulissyponem reliquit ut oras Indicas peteret. Antequam navim conscenderet, misit Romam litteras, in quibus de rege Ioanne III haec profert: Sincere dolet rex de tristi sorte spirituali tot incolarum Indicae regionis ardenterque desiderat ut Dominus, Creator ac Redemptor noster, non offendatur sine fine ab iis, qui non solum fuerunt creati ad imaginem et similitudinem divinam, sed etiam dein permagno pretio redempti. Tam magno divini honoris et salutis animarum amore flagrat ille, ut non possim quin summas Deo referam gratias, eo quod viderim regem tam bene sentientem de rebus divinis; nisi enim ipsemet oculis vidissem, non potuissem credere tot tamque praeclara dona in hoc rege inveniri [1]. Hunc spiritum apostolicum reviviscere dicerem in articulo decimo nono pacti missionalis. Commemoratio quater centenaria illius itineris, a S. F. Xaverio suscepti, non poterat digniore utilioreque modo celebrari.

Normae generaliores

In primis notandum est vim iuridicam retinere adhuc pro exercitio « Patronatus Orientis » praescriptiones contentas in Conventionibus initis die 15 aprilis a. 1928 et die 11 aprilis a. 1929; his adiungendae erunt praeterea dispositiones contentae in Concordatis a. 1857 et a. 1886, quatenus non fuerint abrogatae vel mutatae per Conventiones supra memoratas vel per pactum missionale nunc initum. Id expresse edicitur in art. XXIX Concordati et in prooemio pacti missionalis. Ad plenam igitur regiminis missionarii lusitani intelligentiam debebunt etiam illa documenta inspici, quae tamen nunc praetermittimus, eo quod fuerint iam opportuno tempore explicata.

[1] Mon. hist. S. I. - Xaveriana, I, p. 240.

Fortasse cuipiam mirum videatur quod praescriptiones de re missionaria, in articulis XXVI-XXVIII novi Concordati insertae, denuo referantur integre in diversis locis pacti missionalis, et quidem non modo quoad substantiam, sed etiam quoad ipsa verba [1bis]; unica hac in re exceptio aliquomodo dici potest altera norma, in prima paragrapho a. XXVI Concordati contenta, quae indirecte solum refertur in pacto missionali [2]. Huiusmodi repetitionis effectus iuridicus is esse potest, sc. ut pro abrogandis iuridice praedictis praescriptionibus, non iam alterutrius, sed utriusque conventionis cessatio requiratur. Illud insuper prae oculis habendum erit pro completa regiminis missionalis intelligentia, sc. regimen paroeciale in dioecesi Capitis Viridis hucusque vigens per art. XX novi pacti integre reservari.

Universum territorium coloniale Lusitaniae dividetur in dioeceses et circumscriptiones missionarias independentes. Dioeceses, ut notum est, eriguntur in locis, in quibus organizatio Ecclesiae illum gradum evolutionis attigerit, qui sufficiens videatur ad vitam christianam propriis viribus aliquo modo evolvendam. Iam in art. sexto pacti numerantur septem dioeceses statim in lusitanis Africae et Timor coloniis erigendae; et de facto harum dioecesium accurata delimitatio atque apta hierarchica ordinatio definitur in Constitutione Apostolica « S. Iacobi Capitis Viridis et Aliarum » [3].

Quid nomine circumscriptionis missionariae independentis hoc loco veniat exinde patebit quod in art. tertio decernatur Vicarios vel Praefectos Apostolicos esse his territoriis praeficiendos. Re vera in codice solum fit mentio de Vicariis et Praefectis Apostolicis, cum de Superioribus ecclesiasticis Missionum agitur. Sed cum non raro exstent territoria nostro tempore, in quibus etiam in ipso

[1bis] Cfr. art. 1, 2, 3, 5, 6, 7, 8 et 9 pacti.
[2] Cfr. art. 4 pacti.
[3] Cfr. Period., XXX, p. 90 et ss.

stadio inchoatae organizationis ecclesiasticae conveniat erectio Missionis independentis, declaravit S. C. de P. Fide posse huiusmodi Missionibus eârumque Superioribus applicari quae in codice de Praefecturis et Praefectis Apostolicis dicuntur [4]. Videtur ergo affirmari posse etiam huiusmodi Missiones independentes, si quae erigantur intra limites imperii colonialis lusitani, iura, circumscriptionibus missionariis per hoc pactum concessa, esse habituras, eo vel magis quod iam in Const. Ap. nuper citata Missio sui iuris Guineae lusitanae erigatur [5].

Intra dioeceses onus providendi vitae religiosae christianorum et apostolico labori evangelizationis infidelium incumbit integre Episcopis, quippe qui greges, sibi a S. Sede Apostolica commissas, ut pastores ordinarii nomine proprio regendas habeant. Paulo aliter se habent res in circumscriptionibus missionariis, in quibus subiectum directum gravissimae huiusmodi obligationis erit potius institutum missionarium cui eae concreditae fuerint [6].

Assignatio vero haec alicuius territorii ad determinatam associationem missionalem minime id secum fert ut ipso facto missionarii, vel aliarum associationum vel cleri saecularis, exclusi habeantur; hi enim, venia Gubernii obtenta, poterunt ibidem sedes figere. Patet lapsu temporis divisiones territoriales ecclesiasticas, nunc in coloniis lusitanis factas, modificationes subituras esse; eae autem inducendae erunt concorditer cum Gubernio, quod iam exigit ut novae divisiones semper intra limites dicionis lusitanae contineantur et divisionibus civilis administrationis, quantum fieri possit, accommodentur [7].

Intra singulas dioeceses et circumscriptiones missionarias independentes erigi poterunt, praevio consensu Gubernii, nova centra missionalia, in utroque textu officiali

[4] Cfr. Sylloge praecip. docum. recentium, p. 349.
[5] Cfr. Per., XXX, p. 90.
[6] Cfr. art. 1 pacti.
[7] Cfr. art. 6 pacti.

« direzioni — direcçoes » — appellata. Non adeo clare apparet quid proprie veniat sub praedictis vocabulis, cum ea non occurrant nec in codice nec in documentis, saltem recentioribus, S. C. de P. F. Agiturne de erectione paroeciarum, quasi-paroeciarum, vel de constitutione vicariatuum foraneorum et districtuum? Neutrum videtur probabile; ad has enim divisiones indicandas adsunt propria nomina, sive in codice, sive in documentis pontificiis. « Optimum consilium erit, ait S. C. de P. F., divisione territorii in quasi-paroecias peracta, dispertiri quoque Vicariatum vel Praefecturam in aliquos districtus, qui plures quasi-paroecias comprehendant, prout iam in aliquibus Vicariatibus laudabiliter factum est, ut ita etiam Vicariatus foranei adumbrentur atque aptius regimini et administrationi missionis provideatur (can. 217, 445 et ss.) [8].

Nonne potius agetur de illis centris missionalibus, quorum Director, etsi adhuc dependeat ab Ordinario ecclesiastico Missionis, maiore tamen numero facultatum praeditus, quasi sternit viam ad Missionem sui iuris constituendam? Id fortasse erui possit ex eo quod ad nominandum Directorem huiusmodi centri, qui non sit civis lusitanus, debeat praevie audiri Gubernium. Praesumendum enim non est, dum id certo non constet, Gubernium esse praevie audiendum, quoties v. g. districtus missionum iis concredantur, qui non sint cives lusitani.

Personae missionibus addictae.

Nullum dubium esse potest quin Metropolis, et in specie Ecclesia lusitana, gravi obligatione afficiatur evangelii diffusioni providendi in coloniis, lusitanae dicioni subiectis. Itaque missionarii lusitani erunt prae primis seligendi ad hanc partem vineae Domini excolendam. Sane, magnopere esset exoptandum ut agmina missionariorum e sinu Ecclesiae lusitanae provenientia tam conferta es-

[8] Cfr. Sylloge praec. docum. recentium, p. 141.

sent ut exigentiis apostolatus missionarii, in coloniis exercendi, plene satisfacerent. Ast, proh dolor! nondum perventum est ad hanc felicem condicionem rerum, prout clare deducitur ex fervida adhortatione, quam S. Pontifex Pius XII facit ad Lusitanos in Ep. Enc. « Saeculo exeunte octavo ». « Nos igitur, ait S. Pontifex, dum patriae vestrae illustres eiusmodi memoriae gloriaeque mentem voluptate replent animumque Nostrum, dumque ad paene innumeros homines respiciatis cupimus, qui in coloniis vestris illos opperiuntur adhuc, qui eos Dei veritatem doceant, iisdemque « investigabiles divitias Christi » impertiant, haec hortamenta ac verba a Divino Redemptore Apostolis habita, vobis iteramus: « Levate oculos vestros et videte regiones quia albae sunt iam ad messem; messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam ». Utique operarii autem pauci. Veteres lusitanae Africae dioeceses magna praeconum divini verbi afficiuntur penuria, amplaeque terrarum circumscriptiones paucis sunt Missionalibus concreditae » [9].

Quae cum ita sint, mirum non est quod in tali rerum condicione, Ordinariis Missionum facultas expresse concedatur vocandi, cum consensu Sedis Apostolicae et Gubernii, Missionarios aliarum Nationum; ii tamen praevie declarare debebunt se prorsus subici legibus et tribunalibus regionis, in quam se conferant, perinde ac si essent ecclesiastici lusitani. Exclusi manent praeterea missionarii exteri a regimine supremo circumscriptionis independentis suscipiendo; eadem norma extenditur quoque ad centra missionalia antea memorata; sed in hoc postremo casu, si forte contingat nullum adesse missionarium lusitanum, qui tali munere rite fungi possit, permittitur, audito praevie Gubernio, nominatio missionarii exteri. Tam dioeceses et circumscriptiones independentes, quam associationes in coloniis lusitanis adlaborantes, apud

[9] Cfr. Per., XXX, p. 64.

Gubernium Metropolis proprios delegatos habebunt, qui pariter cives lusitani esse debebunt. In iis quae ad apostolatum missionarium spectant omnes religiosi, sive nationales, sive exteri, iurisdictioni Ordinarii Missionis subiecti erunt, ut iam c. 296, § 1 pressius determinatur.

Associationes agnitae a Gubernio erigent in Lusitania vel in insulis adiacentibus domos speciales, quarum aliae ad rectam candidatorum institutionem destinentur, aliae vero possint inservire, tum ad reficiendas vires missionariorum aegrotantium, tum ad quietam senectutem procurandam iis, qui ob provectam aetatem a campo missionum recedere coguntur. Complexus huius generis domorum cuiusque associationis missionariae unicum institutum iuridicum apud auctoritatem civilem efficiet.

Quoad nominationem Archiepiscoporum Episcoporumque residentialium, quibus aequiparantur Coadiutores cum iure successionis, conceditur Gubernio lusitano, etiam pro coloniis, ius praenotificationis, vi cuius S. Sedes tempestive Gubernio communicabit nomen candidati electi; contra eum fieri poterunt, si casus ferat, obiectiones ordinis politici; merum autem silentium ex parte Gubernii, si iam triginta integri dies a communicatione peracta elapsi fuerint, implicito consensui aequivalebit. Hoc privilegium praenotificationis valebit solum pro casu definitivae provisionis sedis episcopalis; nihil ergo obstabit quominus S. Sedes sine mora provideat debito regimini sedis episcopalis, quae vel vacet, vel noviter erecta careat adhuc proprio pastore, per nominationem Administratoris Apostolici provisorii, in quo casu sola notitia nominationis temporariae, iam factae, transmittetur Gubernio.

Cum in prima paragrapho huius articuli septimi solum fiat mentio de Episcopis residentialibus et de Coadiutoribus cum iure successionis, consequi videtur privilegium praenotificationis non valere pro nominatione Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum. Mirum quod in postrema paragrapho eiusdem articuli, cum de Adminis-

tratore Apostolico provisorio nominando agitur, sermo fiat de circumscriptione ecclesiastica, vel vacante vel noviter erecta; sub nomine enim circumscriptionis venit semper in praecedentibus articulis, immo etiam in altera paragrapho eiusdem articuli septimi, vel Vicariatus vel Praefectura Apostolica. Si vero hoc loco sub nomine circumscriptionis intelligere velimus etiam Vicariatum vel Praefecturam Apostolicam, affirmare deberemus notitiam temporariae nominationis Superiorum harum circumscriptionum transmittendam esse Gubernio. Sed id parum conforme rationi videtur, cum supra dixerimus in casu nominationis definitivae Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum nihil esse communicandum Gubernio. Hac de re sola dioecesis intelligenda videtur in ultima paragrapho articuli septimi sub nomine circumscriptionis ecclesiasticae; quod confirmatur ex eo quod de circumscriptione *ecclesiastica* agatur hoc loco, dum aliis in locis constanter memoretur circumscriptio *missionaria*.

Animadversio in articulo decimo septimo contenta suum momentum habet pro faciliore regimine ecclesiastico; ibi declaratur enim expressis verbis missionarios non esse considerandos veluti officiales publicos. Hinc sequitur tam Ordinarios quam missionarios — et sub hoc nomine veniunt etiam sive religiosae missionariae, sive aliae personae auxiliariae — non esse ullo modo obnoxios regulis disciplinaribus, quibus officiales publici regantur. Opportunitas huius declarationis fugit neminem, qui complexum dispositionum in pacto missionali contentarum, rite perpenderit; periculum enim oboriri poterat ne protectio Statalis, missionariis concessa, in nimiam eorundem ab auctoritate civili dependentiam converteretur.

Non est silentio praetermittendum in hoc pacto prae oculis habitam esse assistentiam religiosam et instructionem civibus lusitanis, in exteris Nationibus degentibus conferendam [10]. Ordinarii loci respectivi consensu praehabito,

[10] Cfr. art. 15 pacti.

poterunt huic apostolico labori incumbere missionarii lusitani, qui ipso facto missionariis in territorio coloniali adlaborantibus aequiparabuntur. Aptiore modo ostendi non posset diligens sollicitudo, qua Lusitania prosequitur ubique proprios cives.

Subsidia oeconomica.

Omnes profecto norunt quam ingens pecuniae summa requiratur hodie ad missiones inter infideles sive sustinendas sive evolvendas; aequum est proinde ut Gubernium, cui cordi sit diffusio evangelii in coloniis sibi subiectis, huic oneri sublevando quodammodo auxilietur. Libet hic agnoscere non fuisse neglectam a Gubernio lusitano adimpletionem huius obligationis, ut liquet ex simplici examine praescriptorum, quae in articulis IX-XIV continentur. In primis, omnes associationes missionariae, qua tales agnitae ab Statu, subsidium oeconomicum, exigentiis particularibus proportionatum, a Gubernio, tum metropolitano tum coloniali, percipient. Qua in re, quo melius iustitiae distributivae consulatur, ratio erit habenda non solum numeri missionariorum, iam in coloniis adlaborantium, vel candidatorum qui in domibus Metropolis rectae institutioni vacant, sed etiam quantitatis et qualitatis operum, quae pro bono indigenarum et lusitanorum praedictae associationes sustineant atque foveant. Specialem laudem meretur dispositio illa, quae inter haec opera missionalia expresse includit quidquid ad directam institutionem cleri indigeni spectat [11].

Distinctio inter dioeceses et circumscriptiones missionarias pro subsidio oeconomico distribuendo nullum influxum habebit in territorio coloniali; nec sine ratione haec paritas inducitur, cum dioeceses, in regionibus missionum erectae, plerumque quasi in stadio initiali debitae

[11] Cfr. art. 9.

organizationis versari soleant. Una cum hoc subsidio oeconomico concedentur praeterea missionibus catholicis fundi, in quibus exstruantur aedificia, quae necessaria iudicentur ad opera missionalia, sive perficienda, sive etiam primum inchoanda. Hac in re praecipuam partem habebit procul dubio Gubernium coloniale, de cuius cooperatione oeconomica expressa fit mentio in art. nono. Ex his quae descripta sunt subsequuntur, veluti consectaria naturalia pro omnibus entibus iuridicis missionariis, ius recipiendi ad fines proprios haereditates, legata, donationes aliaque cuiuslibet generis subsidia, ius etiam exemptionis ab omni tributo, tam pro bonis iam possessis, quam pro actibus iuridicis *inter vivos* et dispositionibus *mortis causa*, quae in favorem missionum fiant. Nulla demum taxa imponetur pro introductione imaginum sacrarum aliarumque rerum, ad cultum directe spectantium.

Si iam ipsos missionarios respicere velimus, videbimus profecto Ordinarios, nulla distinctione facta inter Episcopos residentiales et Vicarios Praefectosve Apostolicos, congruis honorariis donari, qui praeterea, cum a munere recedant, pensione gaudere poterunt. Impensae itinerum a missionariis peragendorum, tum ut regionem sibi assignatam attingant, tum ut Metropolim, sive morbi sanandi, sive gratiosae permissionis fruendae causa, repetant, a Gubernio solventur, post debitas condiciones adimpletas.

Haec autem provida cura Status extenditur etiam ad missionarios emeritos; nam membra cleri saecularis, post praescriptum tempus servitii in missionibus facti, pensionem percipient; religiosis vero, qui in similibus adiunctis versentur, apte consulitur per subsidia praestita domibus quietis, antea memoratis. Haec respiciunt futura; quoad praeteritum vero confirmatur ius pensionis iis omnibus, qui eam hucusque percipiebant. Ut omnia in hoc ordine recte procedant, Ordinarii dioecesium et circumscriptionum missionariarum quotannis Gubernio communicabunt quidquid spectat, sive ad personas Missionibus addictas,

sive ad opera externa in territorio coloniali peracta. Hac ratione obtineri poterit ut iustitia distributiva, quae rationem habeat et numeri missionariorum et momenti operum, in subsidiis elargiendis, quantum fieri possit, servetur. Faxit Deus ut Gubernium, tam metropolitanum quam coloniale, eam quantitatem bonorum ad tam nobile opus destinare possit, quae saltem urgentioribus necessitatibus singularum Missionum satisfacere queant.

Ceterum, quoad ipsum regimen internum Missionum spectat, libet nobis agnoscere interventum Status omnino intra debitos limites contineri; hoc autem modo ipsa subsidia oeconomica sublimi evangelizationis scopo efficaciore modo concurrere poterunt. In toto hoc negotio ordinando elucet denuo maxima cura, qua S. Sedes iura spiritualia sibi soli reservare studet; iam inde a promulgatione novi codicis eadem via constanter tenetur; ex alia vero parte laudi est vertendum Gubernio lusitano quod alacri promptitudine hanc agendi rationem S. Sedis ratam habuerit.

Opera missionalia.

Ampla libertas conceditur associationibus missionariis ut in coloniis opera propria Instituti condant atque evolvant; inter ea numerantur expresse scholae et collegia, tam pro lusitanis quam pro indigenis, Seminaria, hospitia ac valetudinaria. Lingua lusitana debebit doceri in scholis, indigenarum educationi et instructioni destinatis; instructio tamen religiosa poterit prorsus libere in lingua propria indigenarum impertiri. Nemo non videt quamplurimum haec opera conferre ad solidam organizationem Ecclesiae in terris missionum instituendam; ideo, ut ait Pius XII in Ep. Enc. « Saeculo exeunte octavo », prope sacras Dei aedes, in regionibus praesertim Missionali demandatis, nullo non tempore Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, non modo pupillorum hospitia ac valetudinaria excitavit, sed litterarum etiam ludos » [12]. Cum autem haec

[12] Cfr. Period., XXX, p. 70.

actio externa et socialis Ecclesiae non uno modo, praesertim nostris diebus, ab Statu impediri possit, ideo multum interest ut libertas missionariorum, ad adhibenda media vel necessaria vel convenientia ad proprium finem assequendum, speciali securitate muniatur.

Pulchra sane concordia instituitur inter Statum, cuius plerique cives catholici sunt, et Ecclesiam in ordine ad evangelicae veritatis lumen inter incolas amplissimarum coloniarum diffundendum; sed ut ex hoc memorando eventu uberrimi fructus colligantur, fervida cooperatio ipsius populi lusitani accedat necesse est. Ad eam suscitandam tendit praecipue aureum documentum « Saeculo exeunte octavo » quod Pius XII f. r. ad lusitanum populum misit, cum commemorationem octies centenariam propriae independentiae laetabundus celebraret. Si quod ibi indicatur iter alacriter, ut par est, populus catholicus Lusitaniae arripiat, historiae novi saeculi, quod nunc incipit, initium vere splendidum dabit.

PHILIPPUS AGUIRRE S. I.

De lampade eucharistica

« Coram tabernaculo, in quo ss. Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur, ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus » (can. *1271*).

1. *Oleum olivarum* igitur « usque ab Ecclesiae primordiis » adhibitum « ob mysticas significationes retineatur » iuxta decretum diei 14 iulii 1864 n. 3121, ex quo etiam secunda propositio canonis 1271 desumpta est. Quo canone cera apum pro lampade eucharistica simpliciter admittitur, quae antea *tolerari* poterat prudenti Episcopi iudicio (Decr. auth. n. 4230). Praeterea admittitur « quaedam compositio ex oleo olivarum et cera apum ad nutriendam lampadem » eucharisticam (Decr. n. 4205).

2. *Alia olea* tunc solum permittuntur, cum « oleum olivarum haberi nequeat »; haberi autem nequit non solum, cum absolute non reperitur in loco, sed etiam quando non reperitur nisi cum gravi incommodo expensarum (P. Matth. Conte, Inst. Iuris Can. II ed. 2 n. 850; P. Laur. Köster, De Custodia Ss. Eucharistiae p. 242), prout ipsum decretum n. 3121 ostendit, in quo nonnulli Galliarum Antistites exposuerunt « difficile admodum nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ». Oleum deficere quoque censetur, si ob malas qualitates, velut foetorem vel magnum fumum, est *indecens vel inidoneum* usui sacro vel molestum visitatoribus aedis sacrae, et sic porro.

3. *Olea vegetabilia* autem mineralibus sunt *praeferenda*. Nam deficiente oleo olivarum utendum est aliis oleis « quantum fieri potest vegetabilibus » (can. 1271 et decr. n. 3121). Unde patet, si vegetabilia difficulter obtinentur, *olea mineralia quoque admitti*, velut petroleum, quod ceterum in exordio decreti 3121 explicite memoratur (Barin, Catechismo Liturgico I ed. 8 n. 190; Ferreres, Comp.

Theol. Moral. II ed. 16 n. 406 VII; Lehmkuhl, Theol. Moral. I ed. 12 n. 177; P. Matthaeus Conte, Inst. Iuris Can. II ed. 2 n. 850).

4. At locorum vel temporum adiuncta haud raro obstant, quominus ullum oleum adhibeatur ad nutriendam lampadem eucharisticam, maxime tempore belli. Quod S. C. R. iam inter praecedens bellum europaeum perpendit ac die 23 febr 1916 (Decr. auth. n. 4334) eidem necessitati, instantibus pluribus Ordinariis locorum, providit, « quod ob peculiares circumstantias sive ordinarias sive extraordinarias oleum olivarum non habetur vel ob gravem penuriam aut summum pretium non absque magna difficultate comparari potest ». S. C. R. itaque statuit « inspectis circumstantiis enunciatis iisque perdurantibus remittendum prudentiae Ordinariorum, ut lampas, quae diu noctuque collucere debet coram ss. Sacramento, nutriatur, in defectu olei olivarum, aliis oleis, quantum fieri potest, vegetabilibus, aut cera apum pura vel mixta, et ultimo loco *etiam luce electrica* ». Quod Benedictus XV f. r. approbavit et « rem omnem prudenti iudicio Ordinariorum, cum facultatibus necessariis et opportunis, benigne remisit » (Decr. n. 4334). « Nimis evidens est, scribit R. P. Pauwels, sub iisdem clausulis iam tolerari lumen quodcumque, v. g. ex gaz, acétylène etc. » (Periodica VIII 256). Praesertim autem monendum est permitti etiam usum lucis electricae, ultimo quidem loco; unde hoc decreto « apertus est aditus ad mitiorem disciplinam in usu lucis electricae, etiam in cultu divino » (P. Matthaeus Conte, II² p. 173 nota 1). Sed in omni casu etiam olea mineralia praeferenda sunt luci electricae (Bari, ibidem).

5. *Istud decretum* diei 23 febr. 1916 modo relatum *viget adhuc*, ideoque necessitati hodiernae consulere possunt ipsi Ordinarii locorum sine recursu ad Sanctam Sedem. Inprimis hoc evidens est, quia citatum decretum ne verbo quidem ad ultimum bellum alludit. Limitatio autem, quae non enuntiatur in textu, ideo non est attendenda,

prout in simili causa sapienter monuit S. Congregatio de Prop. Fide 28 martii 1927, apud Periodica XVII 140. Immo ipsum decretum excludit talem restrictionem ad praecedens vel praesens bellum quippe quod respiciat « peculiares circumstantias sive ordinarias sive extraordinarias » obstantes usui olei pro lampade eucharistica. Jamvero circumstantiae *ordinariae* nequeunt referri ad bellum vel similem eventum extraordinarium, sed diuturnae esse solent et locales, veluti in regionibus, in quibus propter loci naturam olivae non crescunt et oleum importatum valde rarum est vel maximum pretium habet; circumstantiae extraordinariae vero designare solent bellum vel similem eventum subitum, quo oleum deficit vel pretiosissimum fit. Ambabus autem circumstantiis occurrere voluit S. C. R. ita prosequens: « Inspectis circumstantiis enunciatis (i. e. sive ordinariis sive extraordinariis) iisque perdurantibus remittendum prudentiae Ordinariorum etc. ».

6. Praeter ipsum textum alia ratio vetat hoc decretum referri ad bellum praecedens. Nam post illud immane bellum ac post Codicem I. C. *decretum* diei 23 febr. 1916 est insertum in volumen VII collectionis authenticae *publicatum anno 1927*. Unde patet id non respexisse solum bellum europaeum, quod anno 1918 cessavit, quamvis penuria et inopia rerum diutius remansit, quae tamen non explicaret insertionem talis facultatis in collectionem futuris temporibus destinatam.

7. Quae cum ita sint, *istud decretum adhuc vigere* a plerisque censetur, neque ulla ratio efficax contraria apparet, postquam in collectione authentica anni 1927 est repetitum, quod paucos dissentientes videtur effugisse. Sic docent Barin, Catechismo Liturgico I ed. 8 n. 190, Berutti, De Rebus pag. 258, Blat, Commentarium Textus C. I. C. ad can. 1271, Ferreres, Compend. Theol. Moral. II ed. 16 n. 406 VII, P. Köster, De Custodia Ss. Eucharistiae p. 241, Prümmer, Manuale Iuris Can. ed. 6 q. 388, 5, Sipos, Enchiridion Iuris Can. ed. 4 p. 706. Pariter secundum P.

Matthaeum Conte « cum in aliquo loco eaedem speciales circumstantiae ac supra, ordinariae sint et etiam nunc perseverare possint, idem rescriptum ibi adhuc adhiberi poterit » (Inst. Iuris Can. II ed. 2 n. 850). Item Vermeersch-Creusen docent rem « commissam esse prudenti Ordinarii iudicio » (Epitome I. C. II ed. 6 n. 596).

8. Quoad vidi, solus Cappello (De Sacramentis I ed. 3 n. 403) quaesivit: « Praescriptum citati canonis 1271 derogavitne huic decreto? » Et respondet: « Cum ad normam can. 2 *expresse* non fuerit correctum, censemus vim suam illud non amisisse ideoque si, ob peculiares circumstantias desit oleum olivarum, aut propter gravem penuriam vel summum pretium absque magna difficultate comparari nequeat, posse etiam hodie locorum Ordinarios, inspectis praefatis circumstantiis iisque perdurantibus, permittere.... ut adhibeatur quoque lux electrica. Qua facultate, iisdem perdurantibus circumstantiis, *etiam hodie quidam Ordinarii utuntur* ». R. P. Cappello igitur eidem adhaeret sententiae. At ne dubitare quidem potuisset, si citasset istud decretum ex volumine VII collectionis authenticae anno 1927 demum publicato. Tunc enim evidens fuisset idem decretum, utpote post Codicem I. C. denuo publicatum, non fuisse ab eodem Codice sublatum, sed certissime etiamnum vigere; cfr. infra num. 13.

9. Denique cl. Cappello scribit ibidem: « In ecclesiis exemptis a iurisdictione Ordinarii loci facultas praefata competit Ordinario religioso seu Superiori maiori religionis clericalis exemptae ». Quod tamen non recte dicitur. Nam cura de cultu divino *committitur Ordinariis locorum*, quorum legibus hac in re etiam religiosi exempti subduntur (can. 1261). Sic etiam in ecclesiis religionis clericalis exemptae Ordinarius loci, non autem proprius Superior maior, iudicat de concursu populi ad Missam solemnem ob hunc concursum canendam, ac dat consensum vel mandatum ad Missam votivam solemnem ibidem celebrandam (novae rubr. Miss. tit. II num. 3 et tit. IV num. 2; P. Pau-

linus a Gemert, Rubricarum et Caeremoniarum Promptuarium n. 237, 3 ac 248).

10. Praeterea ex canone 1271, desumpto in hac parte e decreto 3121 « Ordinarii loci prudentiae permittitur, ut (oleum olivarum) aliis oleis commutetur ». Recentius autem decretum n. 4334 repetit verba prioris decreti n. 3121 (seu can. 1271) et addit tantummodo lucem electricam, quae tempore decreti 3121 nondum exstitit et interim latissime diffusa est. Unde idem *Ordinarius loci intellegendus* est, quippe quia in ipso exordio decreti 4334 legitur: « Instantibus pluribus *Ordinariis locorum* ... rescribendum censuit ... remittendum prudentiae Ordinariorum, ut lampas etc. ». Unde liquet Ordinariis locorum istam rem commissam esse, eo vel magis, quia anno 1916, quo istud decretum primum prodiit, nondum exstabat canon 198 de significatione vocis Ordinarii, quo nomine prius « Superiores regulares designari minime consueverant, et potius quaerebatur, quinam praelati regulares dici possent », ut scribit R. P. Vermeersch in dissertatione de nomine et qualitate Ordinarii apud Periodica XIII pag. (1)-(11). Unica definitio vocis Ordinarii, praevia Codici I. C. occurrit in materia dispensationum et tradita est die 20 febr. 1888 a S. Officio approbante Leone XIII; quae non comprehendit nisi eos praelatos, qui nunc proprie Ordinarii locorum dicuntur (Fontes C. I. C. n. 1109). Unde non licet alium sensum tribuere voci Ordinariorum in decreto diei 23 febr. 1916 occurrenti, maxime cum hoc decretum incipiat cum verbis « instantibus pluribus Ordinariis locorum ». Profecto ad decretum diei 23 febr. 1916 recte intellegendum oportet et eius exordium et decretum praecedens n. 3121 ibidem memoratum ac in can. 1271 reproductum spectare.

Attamen contrarium assertum cl. Cappello ostendit, quantum meminisse oporteat decreta S. C. R. et rubricas nonnumquam discrepare a nova terminologia Codicis I. C.

11. Ex praemissis igitur sequitur: Ubi « oleum oliva-

rum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur, ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus » (can. 1271), « et ultimo loco etiam luce electrica », idque *sine recursu ad Sanctam Sedem,* quippe quae « rem omnem prudenti iudicio Ordinariorum, cum facultatibus necessariis et opportunis, benigne remisit » (decr. n. 4334).

12. His diebus tamen prodiit apud Monitore Ecclesiastico LIII (1941) p. 120-122 *consultatio huic solutioni contraria,* cuius summa haec est. *Lux electrica,* cum neque in Codice I. C. neque in Rituali Romano memoretur, *de iure communi nequit adhiberi* (p. 120). At quis adhuc ignorat neque Codicem I. C. neque rubricas continere omnia praescripta vel indulta vigentia?

Sufficiat ex multis haec *duo exempla* afferre. Codex I. C. ne memorat quidem praescripta de servitio militari impediente religiosam professionem, quae tamen adhuc vigent, prout S. C. de Relig. declaravit die 15 iulii 1919 (Acta Ap. Sedis XI 321). Praeterea S. C. Rituum die 28 oct. 1913 (Acta Ap. Sedis V 457) permisit solemnitatem externam festorum classicorum, « quae hucusque alicui dominicae affixa erant », in eadem dominica deinceps peragendam. Novae autem rubricae Missalis in tit. IV memorant quidem solemnitatem externam aliorum festorum, at de hac concessione penitus silent. Nihilominus inter omnes constat de iure communi istam solemnitatem permitti, quamvis rubricae omnino de ea sileant; eam quippe moderantur plura decreta S. C. R., nempe n. 4308 § I ad 2, 4336 ad 3, 4359, 4372 ad 8-11. Ceterum in casu merum silentium Codicis I. C. eo minus probat, quod de re agatur liturgica, quae secundum can. 2 est aliena ab eodem Codice. Porro « in textum Ritualis Romani recipi non poterat, quia editio nova solam accommodationem ad Codicem intendebat » (P. Köster, l. c., p. 242), prout etiam ex titulo eiusdem editionis apparet.

13. Pergit scriptor consultationis: Can. 1271 continet

decretum 3121, quod silet de luce electrica (quia a. 1864 nondum exstitit); idem canon vero omisit decretum 4334 diei 23 febr. 1916, quod etiam notum et recenter publicatum erat. *Quae omissio,* sic ipse, *aequivalet deliberatae exclusioni* huius decreti seu lucis electricae, quin oporteret eam expresse enuntiare ad normam can. 2. At quis non videt hoc tunc solum admitti posse, si canon 1271 addidisset verbum « tantum » vel aliud simile, dicendo v. g.: permittitur ut oleum olivarum aliis oleis tantum commutetur etc., ut in similibus casibus semper factum est, velut in can. 924 § 2. Ceterum « in Codicem non bene recipi poterat, quia hoc tempore praeparationes pro formando textu novo magna ex parte iam finitae erant; praeterea haec concessio adhuc nimis nova erat, cum duobus annis ante adhuc prohibitiones saepe repetitae quoad lucem electricam renovatae essent (Decr. auth. S. C. R. n. 4322), et haec facultas magis indolem cuiusdam tentaminis in via eo usque interdicta habebat » (P. Köster, l. c., p. 242). At quaecumque demum fuerit causa, ob quam canon 1271 praeteriit decretum diei 23 febr. 1916, tamen nimis evidenter istud decretum revixit post Codicem I. C. cum insertione in collectionem authenticam sub numero 4334, siquidem canone 1271 sublatum esset. Secus enim oporteret sustinere S. Congregationem Rituum publicasse decretum inexsistens, quod repugnat, quia Summus Pontifex omnia decreta voluminis septimi « prouti in eadem Appendice apponuntur, ... apostolica sua auctoritate approbavit atque authentica declaravit » (Acta Ap. Sedis XIX 109).

14. Unde etiam scriptor consultationis admittit exsistentiam decreti n. 4334, at cum hac restrictione, quod sit *particulare et temporarium atque circumscriptum periodo magni belli,* quod ei dedit originem, prout ipsa verba decreti insinuant « ob peculiares circumstantias » et « inspectis circumstantiis enunciatis iisque perdurantibus ». Verum illa verba, quibus innititur ille scriptor, hoc nequa-

quam indicant, sed ita sonant: « ob peculiares circumstantias *sive ordinarias sive extraordinarias* » et « inspectis circumstantiis enunciatis iisque perdurantibus », ut sub num. 5-6 ostendimus, et etiam urget P. Köster, De Custodia Ss. Eucharistiae p. 241.

15. Usus decreti 4334 potest dici quodammodo particularis et temporarius, non vero ipsum decretum, quippe quod providere vult circumstantiis sive ordinariis sive extraordinariis impedientibus usum olei olivarum, quae supponuntur non esse universales neque perpetuae; unde usus erit particularis et temporarius. At *decretum ipsum est generale,* quia scilicet *non est circumscriptum* determinatae regioni neque definito tempori, sed viget, ubicumque et quandocumque vigent illae circumstantiae, sicut ipse canon 1271, cui hoc decretum solam lucem electricam addidit. Nam et ipse canon 1271 supponit necessitatem particularem, dicens « ubi vero oleum olivarum haberi nequeat »; at ubicumque viget haec necessitas, ibi canon suffragatur. Num quis ideo dicet canonem esse particularem vel temporarium, quia praesumitur non ubique nec semper illam necessitatem vigere, cui canon providet? Eodem modo iudicandum est de decreto 4334.

16. Ipsa quoque *inscriptio decreti 4334* ostendit id non esse particulare, sed generale; nam « aliquod decretum esse *formaliter generale* dignoscitur ex tenore, ex aliqua clausula, v. g., ' ubique servari mandavit ' vel ex ipsa inscriptione, v. g. Decretum generale (v. g. DD. 3755, 3756), vel Decretum (v. g. D. 4036) vel Urbis et Orbis » (Callewaert, De S. Liturgia universim ed. 3 n. 134). Iamvero decretum 4334 inscribitur simpliciter « decretum », sicut haec decreta manifesto generalia: 4007, 4023, 4024, 4043, 4070, 4168, 4181, 4216, 4237, 4264, 4266, 4267, 4274, 4288, 4289 aliaque permulta. Ergo ipsa inscriptio excludit restrictionem ad certum locum vel tempus, cuius restrictionis neque in textu ullum exstat vestigium. Et de facto, uti cl. Cappello *anno 1938* scripsit, facultate decreti 4334

« *etiam hodie* (i. e. anno 1938) quidam Ordinarii utuntur », quemadmodum sub num. 8 dictum est. Teste quoque P. Köster (l. c., p. 242) hoc decretum in collectionem authenticam « ut decretum generale susceptum est; quapropter de eius *vigore hodierno nullum dubium* haberi potest ».

17. Ceterum in consultatione neque regio neque finis periodi magni belli indicatur, cui istud decretum circumscriptum esse praetenditur; certe ista periodus anno 1927 nondum exspiravit, quia idem decretum 4334 praecise hoc anno a S. Congregatione Rituum denuo publicatum, immo, teste cl. Cappello, adhuc anno 1938 in usu erat (De Sacramentis I ed. 3 n. 403). Ex quo satis superque apparet, quam *arbitrarie haec restrictio* ad magnum bellum asseratur.

18. At iste scriptor tam pronus est ad restringendos favores, ut censuerit etiam decretum Plurium dioecesium diei 9 iulii 1864 n. 3121 habuisse eundem characterem particularem et temporarium, antequam transierit in canonem 1271, adeo ut valeret pro dioecesibus Galliae tantum et pro solis Episcopis Gallicis. Quod est erroneum, ut ultro patet inspicienti ipsum indicem generalem decretorum authenticorum (vol. V pag. 252 et 342) una cum monito praeambulo, quod ita sonat: « Decreta quaedam non in universum et pro qualibet rerum condicione edidit S. Rituum Congregatio, sed habita peculiarium locorum adiunctorumque ratione; eaque proinde perperam quis ad omnes ecclesias vel ad communem Sacrorum opportunitatem extendi decerneret. Quocirca ne legens opinione falleretur, cavit auctor, verba *in casu* aut id genus alia subiungens ». Decretum autem n. 3121 modo omnino generali seu sine ulla huiusmodi restrictione bis refertur, nempe in pag. 252 ita: « Ad lampadem nutriendam coram Ss.mo Sacramento ardentem generatim utendum est oleo olivarum; ubi vero hoc haberi nequeat, remittendum est prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest vegetabilibus. 3121 ». Praeterea

in pag. 342 sic: « Oleo olivarum generatim utendum est ad nutriendam lampadem ante altare SSmi Sacramenti; ubi vero haberi nequeat, remittendum est prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest vegetabilibus. 3121 ». Unde ipse index generalis decretorum authenticorum, iuxta monitum praeambulum Commissionis Liturgicae « sodalium simul recognitione probatus », ostendit *decretum n. 3121 fuisse et esse generale.* Idem adhuc *certius evincitur* ex eo, quod usque ad annum 1925 hoc decretum in Appendice priore *Ritualis Romani* sub tit. « De Sacramento Eucharistiae » positum erat, sicut plura alia decreta generalia, velut decretum de communione danda infirmis non ieiunis; quod luculenter ostendit istud decretum fuisse ius commune (cfr. supra num. 12). Ab anno 1925 autem in tit. IV cap. I n. 6 Ritualis refertur can. 1271 continens dispositionem huius decreti. Quare miraberis, quod his non obstantibus, in citata consultatione asseratur contrarium sine ullo argumento. Postquam decretum 3121 in can. 1271 transiit, quaestio de eius valore generali hodie mere theoretica est, at non videbatur praetereunda, quo magis paterent consultationis errores.

19. Tandem scriptor consultationis conatur confirmare cessationem decreti 4334 ex eo, quod S. R. Congregatio aliquibus Ordinariis petentibus *recens rescriptum eiusdem prorsus tenoris* ac decretum 4334 misit. At perperam inde deducit decretum 4334 indigere renovatione. Inprimis enim minime intellegitur, quid sibi velit post canonem 1271 tale rescriptum, quod lampas eucharistica « nutriatur, in defectu olei olivarum vel cerae apum, aliis oleis, quantum fieri potest vegetabilibus », quia idem canone 1271 iam licet. Si igitur deductio consultationis aliquid valeret, etiam sequeretur canonem 1271 cessasse et indigere renovatione, quod sane, ni fallor, nec scriptor consultationis asseret. Ergo a pari talia rescripta nihil probant contra decretum 4334, quod canoni 1271 addidit sola verba

« ultimo loco etiam lux electrica », ut in num. 10 diximus, sed *talia rescripta aliter intellegenda* sunt, ut sequitur.

20. « Aliquando in legibus vel provisionibus particularibus *conceduntur expresse ea, quae de iure iam competunt,* ad maiorem dumtaxat claritatem, securitatem vel auctoritatem, ad vitanda dubia, tollendos scrupulos, pacandas conscientias vel compescendos adversarios » (Commentarium pro Religiosis XIII 293; Maroto, Instit. Iuris Can. I ed. 3 p. 341 nota 3; Wernz, Ius Decretal. I ed. 3 n. 158 nota 12).

Pariter Ferraris, postquam exposuit praelatos regulares posse subditos absolvere a multis casibus reservatis Summo Pontifici, prosequitur: « Nec officit, quod de stylo curiae seu S. Paenitentiariae soleant quandoque regulares recurrentes ab ipsa absolvi et dispensari super aliquos ex casibus Papae reservatis, quia ... vel id fit *ad uberiorem cautelam* vel quia recurrentes *facultatem suorum praelatorum ignorant.* Nec per hoc quod S. Paenitentiaria absolvat et dispenset regulares, si qui ad ipsam recurrant, sequitur, quod non sit in praelatis regularibus potestas pro huiusmodi absolutionibus et dispensationibus in suos subditos. Sicuti nec id sequeretur, si aliquis regularis facultatem sui praelati ignorans recurreret ad Episcopum et Episcopus ipsum absolveret et dispensaret; unusquisque enim utitur iure suo » (Prompta Bibliotheca, v. Absolvere art. I n. 38-39).

Unde nihil probat merum factum, quod S. Congregatio Rituum nonnullis Ordinariis nuperrime concessit facultatem petitam adhibendi alia olea vegetabilia vel mineralia et lucem quoque electricam pro lampade eucharistica.

21. Immo opportunum videtur, contra consultationem, quae Episcopis imponere vult onus recurrendi idcirco ad Sanctam Sedem, urgere quae Card. Gennari apud Monitore Ecclesiastico IX pars I pag. 256 ss. et eius vestigia

premens P. Vermeersch apud Periodica II 97 ss. *contra frequentes recursus ad S. Sedem* scripserunt. Ambo inter alia haec monuerunt:

« Si a suprema potestate quaelibet res foret definienda, *omnis periret scientia.* In eo enim scientiae ratio consistit, ut ex principiis eruantur consectaria, quibus deinde actiones informentur. Iamvero, si summa Ecclesiae potestas quid in quolibet casu agendum sit, decretoria lege ediceret, iam nullo pacto opus foret ad principia recurrere, ita ut ipsa scientiae necessitas periret. Minueretur nimio recursu libera actionum optio. Res sunt, quae in utramque partem controverti possunt, ita ut quam sibi quisque praeferendam ducat sententiam, eam sequi tuto possit. Ex quo autem res a S. Sede dirimitur, *perit* illa in tam multis difficilibus adiunctis *pretiosa libertas*.... Semper praesto nobis sunt theologicae vel canonicae scientiae principia, quae, in rebus obscuris, reflexis scientiae moralis principiis non parum iuvantur. Quare *generatim dubia solvi possunt* sine S. Sedis interventu. Quod si quis proprio labore ac studio dubium solvere nequeat, virum doctum interroget, qui responso suo nullum meliori disputationi praecludet aditum, nec opinandi aliquam tollet libertatem ».

Immo S. Franciscus Salesius, ut ambo referunt, sic scripsit: « *Errare eos, qui absque necessitate Romam adeunt*, mandatarius meus me monet, atque non unus Cardinalis idem sentire declaravit. Res enim sunt, quae sine positiva facultate fieri possunt, eo quod licent. Nec S. Pontifex aegre fert consuetudine plura permitti, quae ipse, propter factae expresse licentiae consectaria, positive concedere nollet ».

Ambo autem prosequuntur: « Minime tamen ideo negare cogitamus interdum opus esse, ut supremum petatur S. Sedis oraculum. Interrogetur autem *quam rarissime*, et de iis tantum, quae generaliorum principiorum subsidio

solvi nequeant, praesertim si frustranei prius facti sint doctorum conatus ».

Quibus P. Vermeersch inter alia addidit haec (Periodica II 99): « Importuni isti recursus, sic aiebant ingenio et loco praestantes viri, produnt vel *pusillanimitatem*, quae casus solvere non audeat et statim ac res paulisper ardua videatur, religionem solutionis in se suscipere nolit, vel *imperitiam et damnabilem ignorantiam* faciunt manifestam. Nec sua desunt isti timiditati vel pigritiae notabilia incommoda ».

22. Iuxta praefatum monitum tantorum virorum expedit ad quaestionem de nutrienda lampade eucharistica insuper *applicare principia generalia theologiae*, prout sequitur.

« Lex divina positiva et humana *non obligant generatim cum incommodo valde gravi* seu cum gravi nocumento, quod per accidens observationi legis coniunctum est... Constat ex iure naturali et canonico (can. 2205 § 2), ex praxi Ecclesiae et consensu omnium » (Ferreres, Compend. Theol. Moral. I ed. 16 n. 169 IV). Idem effatur regula iuris 4: « Quod non est licitum lege, *necessitas facit licitum* » (c. 4 X, V, 41). Concinit Codex I. C. aiens: « Necessitas, immo et grave incommodum plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt » (can. 2205 § 2).

23. « Et revera, si ad obiectum legis, quod in se spectatum adeo difficile et grave non est, propter circumstantias grave incommodum accedit, obiectum totale, quod tunc iniungeretur, valde mutatum auctumque esset. At mutatione notabili facta *non iam illa obligatio est*, quam legislator imponere sibi proposuit » (Lehmkuhl, Theol. Moral. ed. 12, I n. 249, 1; Bucceroni, Inst. Theol. Moral. ed. 6, I n. 216; Wouters, Manuale Theol. Moral I n. 170). Consequenter « obligatio legis cum incommodo gravi, quamvis tantum probabili (cfr. S. Alf. III 325, IV 154) nulla

est » (Oietti, Synopsis ed. 3, II col. 2501), seu grave incommodum extrinsecum vel grave talis incommodi periculum « non solum formale, verum etiam materiale peccatum avertit » (Wouters, l. c. n. 168-169). D'Annibale autem negat tunc petendam esse a Superiore dispensationem, etsi is commode adiri possit: « Nam si *lex cessat*, quorsum dispensatio? Nisi incommodum dubium appareat (v. S. Alf. I 97) » (Summula ed. 5, I n. 178 nota 6).

24. Supra dictum est necessitatem excusare a lege generatim. « *Duo* enim sunt *casus*, in quibus lex cum certo etiam *vitae periculo obligat*, nempe 1° quando legis transgressio intrinsece mala esset; 2° quando legis observatio necessaria est reipublicae aut bono communi; quia bonum publicum praeferendum est privato. Itaque in his casibus lex naturalis urget » (Aertnys-Damen, Theol. Moral. ed. 13, I n. 184 II) ultra legem positivam divinam vel humanam, quae per se sola propter incommodum valde grave cessaret.

25. Applicando praefata principia ad nostram quaestionem de nutrienda lampade eucharistica, haec dicenda esse videntur. Ubi oleum olivarum venale non est aut pretium immoderatum habet aut ab auctoritate publica nutritioni humanae vel alii scopo reservatum est, alia olea adhiberi possunt, imprimis vegetabilia, siquidem praesto sunt, secus etiam mineralia. At in non una regione praesenti bello subiecta omne genus oleorum aut deficit aut carissimum vel reservatum est; unde ibi cessat quoque lex, ut oleum olivarum « aliis oleis commutetur », sed ante tabernaculum *adhiberi potest quodvis genus lucis*, velut electricae, gassosae. Neque tunc ulla dispensatione vel interventu Ordinarii loci opus est, quia lex cessat, « nisi incommodum dubium appareat » (cfr. D'Annibale I[5] n. 178 nota 6). Quoties igitur necessitas seu incommodum est grave et indubium, omnis rector ecclesiae vel Superior religiosus, licet non exemptus, potest aliam lucem substituere, etiam electricam.

26. Sicubi quae ecclesiae careant luce artificiosa, quemadmodum in montibus vel pagis solitariis haud infrequenter accidit, ibi annitendum est, ut quaecumque lux comburatur coram sanctissima eucharistia, quantum adiuncta patiuntur; ultra posse enim nemo tenetur (reg. iuris 6 in VI). Unde et S. Congregatio de Prop. Fide in formulis facultatum anno 1941 editis, scil. in formula maiore et minore sub num. 14 Ordinariis missionum exterarum concessit facultatem « permittendi ut, in locis ubi nulla materia ad lampades nutriendas haberi potest, *Ss.mum Sacramentum* etiam *sine lumine asservari* possit in casu tamen verae necessitatis et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii ».

27. Non videtur praetereundum periculum sacrilegi furti vel vetitum civile inter incursiones aereas aliudve simile impedimentum, ob quae necessarium esse potest, ut lampas eucharistica exstinguatur tempore nocturno. S. Congregatio de Prop. Fide in praefatis facultatibus sub num. 15 concessit Ordinariis missionum facultatem « permittendi, si sit periculum sacrilegii, ut *Ss.mum Sacramentum* pro infirmis *sine lumine* in loco tamen decenti *retineri* possit ».

28. Si agatur de adhibendis recensitis facultatibus, profecto declaratio Ordinarii loci requiritur. Verum quotiescumque impedimentum vel gravis difficultas emergit, sepositis quoque his facultatibus, declaratio eiusdem Ordinarii valde opportuna, ne dicam necessaria, est, ut subditi, parum gnari praescriptorum ac principiorum, de partiali vel totali cessatione legis edocti, pariformiter procedere et acquiescere possint. Nam Superiores habent officium providendi bono communi; quare, si necessitas vel difficultas est communis ideoque nota, eorum est adaptare normas adiunctis, prout melius putent. *Subditi vero in tali necessitate non tenentur recurrere,* cum lex cesset, ut in num. 23 dictum est, sed suae satisfaciunt obligationi exspectando dispositiones, si quas Superiores censuerint ferre. Immó frequentes recursus vix non implicant aliquam

diffidentiam versus Superiores, quasi non ultro curarent bonum commune. Quocirca Card. Gennari ac P. Vermeersch locis in num. 21 indicatis optime notant: « Ceterum, cum *S. Sedes* attenta mente observet quid e re sit christiana, et quibus incrementis scientiae augeantur et evolvantur, ipsa, ubi opus id esse iudicaverit, decretis, a quibus neminem appellare fas est, *sine mora providere non omittit* ».

Conclusio

Prorsus indubium igitur est ex canone 1271 ac decreto 4334 Ordinarios locorum pollere facultate permittendi *quodvis lumen, etiam electricum*, coram sanctissima eucharistia, si olea deficiant.

Ulterius *ex principiis generalibus theologiae invicte sequitur*, deficientibus oleis, *quodvis lumen* adhiberi posse; nam « quod non est licitum lege, *necessitas facit licitum* » (c. 4 X, V, 41).

Franciscus Xaverius Hecht P. S. M.

De Menologio graeco-slavico post annum 1054.

Animo studioque crescente S. Sedes de unitate Ecclesiae Orientis et Occidentis sollicita est [1]. Haud pauca in hac re facta iam sunt [2]. Multae quaestiones sunt solutae, et remota impedimenta, opera ad unitatem spectantia spiritu benevolo et concilianti volvuntur. Unica ratio, qua Oriens ab Occidente separatur, in qua Ecclesia catholica, fidelis mandatis divinis, neque cedit neque cedere potest, continetur in re fidei et dogmatis [3]. Caeteroquin non desunt vincula, quibus Oriens dissidens cum Ecclesia catholica arctius coniungitur quam cum quibuslibet aliis confessionibus vel sectis christianis; gaudet enim vero sacrificio eucharistico, sacramentis Christi, cultu B. V. M. et sanctorum. Cultus vero sanctorum tantum usque ad separationem Orientis ab Occidente dicendus est communis. Hodie menologium seu calendarium liturgicum a martyrologio Ecclesiae catholicae sub variis respectibus discrepat [4].

Quaestio de cultu sanctorum non caret ratione pro apostolatu orientali. Licetne, ita quaeritur, fidelibus in sinum Ecclesiae catholicae reversis, sequi menologium ecclesiae dissidentis? Nihilne obstat quominus ii, etiam post conversionem, retineant imagines seu icones sanctorum, in ecclesia dissidente canonizatorum, v. g. S. Seraphimi de Sarov (1833), S. Sergii de Radonež (1392)? Nihilne prohibet, quominus fideles accendant lampadas in honorem horum sanctorum et coram ipsis preces fundant? Quaestio de cultu sanctorum etiam ex graviore ratione urget, cum libri liturgici recensionis slavicae iam iam sint cor-

1 Jos. Schweigl, *De unitate Ecclesiae orientalis et occidentalis restituenda, documentis S. Sedis ultimi saeculi* (1848-1938) *illustrata,* in *Periodica* (1939) p. 230 nota 15.

2 Ibidem p. 227.

3 Ibidem p. 230 nota 16.

4 F. Mercenier, *La prière des Eglises de Rite byzantin,* vol. II (1939) p. XXXI-LXX. Expressio « Sancti » in articulo sumitur sensu latiore, id est relativo et historico.

rigendi et edendi [5]. Quaeritur ergo, num sancti, qui post annum 1054 in libros liturgicos relati sunt, in editione catholica sint conservandi, vel diminuendi vel eliminandi. Principia et criteria generalia in hac re applicanda, ex tractatibus theologiae dogmaticae, historiae ecclesiasticae et iuris canonici, necnon ex documentis S. Sedis facile colliguntur. Sunt autem etiam aliae rationes, minus notae, magis particulares, de quibus in sequentibus.

1) *De recta fide Russorum usque ad concilium Florentinum (1439).*

De recta fide, sine dubio, primo loco investigandum. Auctores catholici et quidam dissidentes, antiquiores et recentiores unanimiter asserunt: unitatem inter ditionem russicam et Romam longe post annum 1054 perdurasse; alienationem a Roma coepisse saeculis sequentibus; separationem demum post concilium Florentinum evadere manifestam. De periodo indicanda, quandonam illa unitas inter Romam et ditionem russicam destiterit, apud auctores variae feruntur sententiae et iudicia, et quidem:

a) christianos ditionis russicae, immo etiam episcopos et metropolitas, aliquibus exceptis, fuisse catholicos usque ad concilium Florentinum [6].

b) Russiam initio conversionis usque ad annum 1104 fuisse catholicam; ab anno 1104-1461 maxima ex parte, paucis periodis exceptis, a Roma separatam [7].

c) Russos toto saeculo XI fuisse catholicos; saec. XII aliquos metropolitas catholicos fuisse, plures fidei dubiae; saec. XIII, quo schisma praevaluerit in Russia, non defuisse catholicos, sed metropolitas omnes fidei dubiae et suspectae; saec. XIV nullum metropolitam esse certe ca-

[5] *A.A.S.* 27 (1935) p. 65-67.

[6] Papeprochius, in *AASS* (*Acta Sanctorum*) Maii vol. I (1680) p. I-VI, Introductio in Ephemerides graeco-moschas. — Ign. Kulczynski, *Specimen Ecclesiae ruthenicae* (Romae 1733, Parisiis 1859).

[7] Pelesch, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom* (1888) vol. I 169 ss, 418 ss, 571 ss; cf. Leib, *Rome, Kiev et Byzance a la fin du XI siècle* (1088-1099), 1924.

tholicum, licet aliqui vulgo credantur catholici et a schismaticis colantur ut sancti; Russiam saec. XV circa tempus concilii Florentini in duas partes esse scissam, quarum una catholica usque annum 1520, altera constanter schismatica [8].

d) Russiam dicendam esse catholicam usque ad saec. XIII; initio saec. XIII vel saltem a secunda parte eiusdem saeculi incipere recessum ab Occidente in re politica et consequenter etiam in re religiosa paulatim desinere contactum cum Occidente [9].

2) *De silentio conciliorum circa menologium liturgicum.*

De calendario liturgico neque in concilio Lugdunensi (1274) [10] neque in concilio Florentino (1439) [11], in quibus ex officio de conditionibus unionis tractabatur, neque in actis Unionis Ruthenorum (1596), quae innituntur decretis concilii Florentini [12], mentio fit.

In his ultimis agebatur solum de processione Spiritus sancti seu de Filioque, de primatu Romani Pontificis, de purgatorio et de azymis; de sanctis vero, qui inter annum 1054-1596 non solum in catalogum sanctorum, sed etiam in libros liturgicos (ca. 60) [13] relati sunt, documenta si-

[8] Stiltingus, in *AASS* Sept. vol. II (1869) p. XVII-XXVII. — cf. Martinov, *Annus ecclesiasticus graeco-slavicus*, p. III-VII.

[9] Gr. Taube, *Roma et Russia prae-mongolica* /russice/, in *Katoličeskij Vremennik*, 1928 p. 131-181; - cf. Ledit, *in Dict. theol. cath.* sub « Russie »; item investigationes N. D. de Baumgarten et A. M. Ammann in *Orientalia Christiana.*

Mentem vero dissidentium in hac re collige apud Jugie, *Theologia dogmatica christianorum orientalium* vol. I p. 374-393, 417-423. — Golubinsky, *Historia ecclesiae russicae* /russice/, (Mosquae 1900-1917) vol. I pars 2, p. 795-826.

[10] Wadding, *Annales Minorum*, vol. IV (1931) p. 437-463, praesertim 443 ss.

[11] G. Hofmann, *De unione Graecorum*, in *Textus et documenta* (Pont. Univ. Greg. 1935) Series theologica 18.

[12] Harasiewicz, *Annales Ecclesiae ruthenicae*, Leopoli 1862 p. 174, 178-182, 193 s, 212-213, 253-254.

[13] Archiep. Sergius, *Menologium completum Orientis* /russice/, vol. I (Vladimir 1901) p. 607-615. — Golubinsky, *Historia ecclesiae russicae*, vol. II pars 2 (Mosquae 1917) p. 585-599.

lent. Cum vero S. Sedes in conciliis praedictis et in actis Unionis Ruthenorum ritum et usus liturgicos, dummodo nihil contra dogma contineant, in toto suo ambitu et fere sine ulla restrictione concesserit, non sine aliqua ratione concluditur: silentio de menologio et expressa approbatione ritus, cultum sanctorum implicite et indirecte approbatum esse [14].

Qua ratione, quo ambitu et quandonam singuli praesules in suis eparchiis, unione cum Roma inita, pristinum calendarium sanctorum retinuerint vel mutaverint, difficulter erui potest, cum fere per unum saeculum catholici rutheni propriis libris liturgicis, typis impressis, caruerint et editionibus dissidentium usi sint.

In libro, qui dicitur Liturgicon seu missale, Vilnae 1692 a metropolita catholico Cypriano edito, sancti ditionis russicae, qui post saec. XI vixerunt, iam non apparent, neque in proscomidia neque in officiis anni liturgici [15].

3) *De cultu universali vel de cultu pro aliquibus locis tantum.*

Sub ratione celebrationis festorum sanctorum in menologio graeco-slavico simili modo ac in martyrologio romano inveniuntur:

a) Sancti, qui ante annum 1054 celebrabantur et etiam nunc celebrantur in Ecclesia ritus byzantini et latini, v. g. SS. Nicolaus, Joh. Chrysostomus, Ambrosius, Damascenus et alii.

b) Sancti in martyrologio utriusque Ecclesiae quidem inveniuntur, quorum cultus tamen liturgicus solum in tota Ecclesia byzantina peragitur, v. g. S. Euthymius Magnus, die 20 Januarii.

[14] Eadem documenta et textus ac in notis 10-12 indicata. — Cf. Opera Societatis theologicae Ucrainorum vol. XI-XII /ucrainice/ (Leopoli 1938) p. 216-225.

[15] Ep. I. Bocian, *De modificationibus in textu slavico liturgiae S. Joh. Chrysostomi apud Ruthenos subintroductis*, in *Chrysostomica* (Pustet 1908) p. 929-969. praesertim 947. — *Liturgicon*) seu *Služebnik*, Vilnae 1692, in Bibl. Pont. Inst. Orientalis.

c) Sancti, qui leguntur solum in menologio Ecclesiae russicae, v. g. S. Sergius de Radonež, die 25 Septembris; sancti vero, qui in tota Ecclesia byzantina coluntur, etiam in libris liturgicis Ecclesiae russicae semper primum locum obtinent.

d) Sancti, quorum festum admittitur pro aliquibus locis tantum, sive provinciis sive civitatibus, v. g. S. Johannes de Ustiug « propter Christum fatuus », die 29 Maii.

In ditione russica post annum 1054 claruerunt ca. 795 sancti; ex quibus ca. 130-150 cultu liturgico, sive universim in Ecclesia russica sive pro aliquibus locis tantum admisso, gaudent [16].

Notandum, etiamsi auctoritas ecclesiastica in libris corrigendis et edendis aliquos sanctos in menologio catholico conservandos censeat, horum cultum tamen non extendi ad Ecclesiam universalem, immo etiam inter limites ritus byzantini valere tantum ut cultum pro aliquibus locis.

4) *De fontibus hagiographicis sanctorum russorum.*

Cultus sanctorum et lectio vitarum sanctorum in pietate russica sive monachorum sive fidelium omnino magnam partem obtinet. Proin biographiae sanctorum russorum sunt numerosae, populares potius quam criticae. Inter collectiones magni voluminis et momenti eminent illae, quas composuerunt metrop. Macarius, archiep. Dimitrius de Rostov, archiep. Philaret de Černigov et recenter A. Muraviev. Editio vero officialis et liturgica (Četi minei, Prolog) a potestate ecclesiastica saepius cursu saeculorum revisa est. Fine saec. XIX et initio s. XX editio critica ab Imperiali Commissione archeologica Mosquae coepta est; revolutione orta ultima volumina ad finem perduci iam non potuerunt.

Hagiographi russi in suis operibus scientificis variis sub aspectibus in hagiographiam ecclesiae russicae intro-

[16] Archiep. Sergius, *Svjataja Rus* (Russia sancta) 1891. — Idem, *Completum menologium Orientis*, vol. I (1901) p. 607-615.

ducunt: praebent enim summarium vitarum sanctorum pro singulis diebus anni liturgici, documentis illustratum [17]; recensent biographias sanctorum russorum secundum rationes historicas et chronologicas [18]; exponunt formam et historiam canonizationis in Ecclesia russica [19]; colligunt ex bibliothecis et archiviis manuscripta et fontes hagiographicas [20]; investigant biographias sub rationibus psychologicis [21]; vel adhibitis principiis hagiographicis eas severo examini critico submittunt [22] vel proponunt typos sanctorum russorum sub aspectu quodam moderno [23].

5) *De sanctitate, mediis et principiis catholicis acquisita.*

Inter sanctos, qui terram russicam illustraverunt, non pauci vera et profunda pietate, etiam virtutibus heroicis excellunt, immo in vita et post mortem miraculis claruisse traduntur. De his sanctis quaeritur, quibus principiis et mediis ad talem sanctitatem pervenerint. Videtur respondendum, eadem esse principia et eadem esse media, quibus Ecclesia Christi nondum divisa, magni et celebres illi sancti ut S. Johannes Chrysostomus et S. Damascenus aliique territoria byzantina gloriosa reddiderunt. Spirituali-

[17] MARTINOV, *Annus ecclesiasticus graeco-slavicus*, (Apud Bollandistas, Bruxelles 1863).

[18] E. GOLUBINSKY, *Historia Ecclesiae russicae*, vol. II pars 2 (Mosquae 1917) p. 169-184, 184-189, 585-595.

[19] V. VASILIEV, *Historia canonisationis sanctorum russorum*, in *Ctenja* (Univers. Mosquens. 1893) III p. 1-256. — E. GOLUBINSKY, *Historia canonisationis in Ecclesia russica* /russice/ (Un. Mosqu. 1903) I p. 1-600. — P. PEETERS, *La canonisation des Saints dans l'Eglise russe*, in *Analecta Bollandiana* vol. 33 (1914) p. 380-420; vol. 38 (1920) p. 172-176; cf. *Dict. theol. cathol.* sub « Canonisation dans l'Eglise russe » col. 1659-1672.

[20] N. BARSUKOV, *Fontes hagiographiae russicae* /russice/, St. Petersburg, 1882.

[21] A. KADLUBOWSKY, *Notae historicae de litteratura antiquorussica biographiarum sanctorum* /russice/ Varsaviae 1902.

[22] V. KLUĆEWSKY, *Antiquo-russicae biographiae* /russice/ 1871.

[23] G. P. FEDOTOV, *Sancti antiquae Russiae* (*X-XVII saec.*) /russice/, Parisiis 1931. — Cum utilitate legitur STUPPERICH, *Zur Geschichte der russischen hagiographischen Forschung*, in *Kyrios* 1 (1936) p. 47-56.

tas russica, ut ait S. Tyszkiewicz in quodam articulo, praeprimis determinatur duobus aspectibus; in primo aspectu praevalent principia ascetica catholica, quae proveniunt ex territoriis Orientis a caesaropapismo adhuc immunibus; alter aspectus determinatur spiritu oppositionis contra Romam, excessivo splendore cultus et obsequio Caesaris. Proin multum interest nosse, quam viam singuli sancti russi ingressi sint [24].

6) *De typis sanctorum russorum.*

Nomina sanctorum in libris liturgicis percurrentes, non sine ratione de magno numero sanctorum principum, episcoporum et monachorum miramur. Nova etiam inter sanctos apparet categoria « propter Christum stultorum seu fatuorum », quae a nostris conceptibus sanctitatis videtur aliena, quae tamen in recentibus investigationibus defenditur [25].

Fideles sanctos principes venerantur tanquam heroes, qui praesertim tempore jugi tartarici pro populo christiano luctati et passi sunt. Certe non omnes principes, qui in catalogo sanctorum inveniuntur, mortem propter Christi vel religionis causam subierunt neque raro rationes politicae et nationales ad eorum cultum statuendum concurrerunt.

Inter episcopos nostram mentionem merentur ii, qui periodo christianismi diffundendi civitates et regiones paganas suo verbo, exemplo, interdum etiam martyrio, illustraverunt et multas gentes ad fidem Christi perduxerunt. Minus id valet de metropolitis, plerumque ex Graecia oriundis, quorum recta fides difficulter probatur.

Non exiguus est numerus sanctorum simplicium, qui

[24] S. Tyszkiewicz, *Spiritualité et sainteté russe pravoslave*, in « *Gregorianum* » vol. XV (1934) p. 349-376. — Idem, *La sainteté de l'Eglise*, in *Nouvelle Revue Theologique* 1936, p. 449-479.

[25] N. Gorodetzky, *The humiliated Christ in modern Russian thought*. London 1938.

alieni a negotiis mundanis et muneribus et dignitatibus ecclesiasticis, in solitudine silvarum vel in monasteriis, vitam sanctam degerunt, sequentes principia catholica, quamvis inscii, unice de salute et perfectione animae solliciti [26].

Conclusio: Cum multi fontes et manuscripta hagiographica de sanctis russicis, nondum edita, asserventur in bibliothecis publicis Russiae sovieticae [27] et proin interim adiri non possint, in quaestionibus allatis non pervenitur ad certitudinem stricte scientificam, sed moralem tantum, qua quidem non omne dubium excludatur, tamen sufficiens fundamentum praebeatur, ut prudenter quosdam sanctos, qui post annum 1054 claruerunt, in editione catholica librorum liturgicorum recensionis slavicae retineantur, cum etiam rationes historicae de multis sanctis in Martyrologio romano non gaudeant certitudine nisi morali [28]. — Utinam revertantur illa tempora, quando Oriens et Occidens una voce quamvis diversa forma benedixerunt Deum in sanctis suis.

Ios. Schweigl S. I.

[26] Vide auctores: G. P. Fedotov, S. Tyszkiewicz in notis 23 et 24 citatos. — Cf. Igor Smolitsch, *Das altrussische Mönchtum*, in *Das östliche Christentum* 1940. Hft. 11.

[27] Gosudarstvennaja publičnaja biblioteka, Leningrad; Gosud. publ. bibl. imeni W. T. Lenina, Mosquae; Gos. Rossijskij Muzej, Mosquae.

[28] *Propylaenm ad Acta Sanctorum Decembris*: Martyrologium Romanum ad formam editionis typicae scholiis historicis instructum. (Bruxelles 1940, in fol. XXIII-659 pp.).

MONUMENTA

23 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Allocutio radiophonica habita in festo Pentecostes (*)

.....Mosso dalla convinzione profonda che alla Chiesa compete non solo il diritto, ma ancora il dovere di pronunziare una parola autorevole sulle questioni sociali, Leone XIII diresse al mondo il suo messaggio. Non già che egli intendesse di stabilire norme sul lato puramente pratico, diremmo quasi tecnico, della costituzione sociale; perchè ben sapeva e gli era evidente, — e il Nostro Predecessore di s. m. Pio XI lo ha dichiarato or è un decennio nella sua Enciclica commemorativa *Quadragesimo anno* — che la Chiesa non si attribuisce tale missione. Nell'ambito generale del lavoro, allo sviluppo sano e responsabile di tutte le energie fisiche e spirituali degl'individui e alle loro libere organizzazioni si apre un vastissimo campo di azione multiforme, dove il pubblico potere interviene con una sua azione integrativa e ordinativa, prima per mezzo delle corporazioni locali e professionali, e infine per forza dello Stato stesso, la cui superiore e moderatrice autorità sociale ha l'importante ufficio di prevenire i perturbamenti di equilibrio economico sorgenti dalla pluralità e dai contributi degli egoismi concorrenti, individuali e collettivi.

(*) Recurrente quinquagesimo anno ex quo Litt. Encyc. « Rerum novarum » in lucem prodiere, voluit S. Pontifex Pius XII faustissimum hunc eventum Allocutione radiophonica commemorare. Eam Augusti sermonis partem referimus quae rem socialem propius attingit. Cfr. *L'Osservatore Romano* d. 2 iunii.

E' invece inoppugnabile competenza della Chiesa, in quel lato dell'ordine sociale dove si accosta ed entra a toccare il campo morale, il giudicare se le basi di un dato ordinamento sociale siano in accordo con l'ordine immutabile, che Dio Creatore e Redentore ha manifestato per mezzo del diritto naturale e della rivelazione: doppia manifestazione, alla quale si richiama Leone XIII nella sua Enciclica. E con ragione: perchè i dettami del diritto naturale e le verità della rivelazione promanano per diversa via, come due rivi d'acque non contrarie, ma concordi, dalla medesima fonte divina; e perchè la Chiesa, custode dell'ordine soprannaturale cristiano, in cui convergono natura e grazia, ha da formare le coscienze, anche le coscienze di coloro, che sono chiamati a trovare soluzioni per i problemi e i doveri imposti dalla vita sociale. Dalla forma data alla società, consona o no alle leggi divine, dipende e s'insinua anche il bene o il male nelle anime, vale a dire, se gli uomini, chiamati tutti ad essere vivificati dalla grazia di Cristo, nelle terrene contingenze del corso della vita respirino il sano e vivido alito della verità e della virtù morale o il bacillo morboso e spesso letale dell'errore e della depravazione. Dinanzi a tale considerazione e previsione, come potrebbe esser lecito alla Chiesa, Madre tanto amorosa e sollecita del bene dei suoi figli, di rimanere indifferente spettatrice dei loro pericoli, tacere o fingere di non vedere e ponderare condizioni sociali che, volutamente o no, rendono ardua o praticamente impossibile una condotta di vita cristiana, conformata ai precetti del Sommo Legislatore?

Consapevole di tale gravissima responsabilità Leone XIII, indirizzando la sua Enciclica al mondo, additava alla coscienza cristiana gli errori e i pericoli della concezione di un socialismo materialista, le fatali conseguenze di un liberalismo economico, spesso inconscio o dimentico o sprezzante dei doveri sociali; ed esponeva con magistrale chiarezza e mirabile precisione i principi conve-

nienti e acconci a migliorare — gradatamente e pacificamente — le condizioni materiali e spirituali dell'operaio.

Che se, diletti figli, oggi dopo un cinquantennio dalla pubblicazione dell'Enciclica, voi Ci domandate fino a qual segno e misura l'efficacia della sua parola corrispose alle nobili intenzioni, ai pensieri ricchi di verità, ai benefici indirizzi intesi e suggeriti dal suo sapiente Autore, sentiamo di dovervi rispondere: Proprio per rendere a Dio Onnipotente, dal fondo dell'animo Nostro, umili grazie per il dono, che, or sono cinquant'anni, largì alla Chiesa con quell'Enciclica del suo Vicario in terra, e per lodarlo del soffio dello Spirito rinnovatore, che per essa, da allora in modo sempre crescente, effuse sull'umanità intera, Noi, in questa solennità della Pentecoste, Ci siamo proposti di rivolgervi la Nostra parola.

Già il Nostro Predecessore Pio XI esaltò nella prima parte della sua Enciclica commemorativa la splendida messe, cui aveva maturata la *Rerum novarum*, germe fecondo, donde si svolse una dottrina sociale cattolica, che offrì ai figli della Chiesa, sacerdoti e laici, ordinamenti e mezzi per una ricostruzione sociale, esuberante di frutti; sicchè per lei sorsero nel campo cattolico numerose e varie istituzioni benefiche e fiorenti centri di reciproco soccorso in favore proprio e d'altrui. Quale prosperità materiale e naturale, quali frutti spirituali e soprannaturali, non sono provenuti agli operai e alle loro famiglie dalle unioni cattoliche! Quanto efficace e opportuno al bisogno non si è dimostrato il contributo dei Sindacati e delle Associazioni in pro del ceto agricolo e medio per sollevarne le angustie, assicurarne la difesa e la giustizia, e in tal modo, mitigando le passioni, preservare da turbamenti la pace sociale!

Nè questo fu tutto il vantaggio. L'Enciclica *Rerum novarum*, accostandosi al popolo, che abbracciava con stima e amore, penetrò nei cuori e nelle menti della classe operaia e vi infuse sentimento cristiano e dignità civile:

a segno tale che la potenza dell'attivo suo influsso venne, con lo scorrere degli anni, così efficacemente esplicandosi e diffondendosi, da far diventare le sue norme quasi comune patrimonio della famiglia umana. E mentre lo Stato, nel secolo decimonono, per soverchio esaltamento di libertà, considerava come suo scopo esclusivo il tutelare la libertà con il diritto, Leone XIII lo ammonì essere insieme suo dovere l'applicarsi alla provvidenza sociale, curando il benessere del popolo intero e di tutti i suoi membri, particolarmente dei deboli e diseredati, con larga politica sociale e con creazione di un diritto del lavoro. Alla sua voce rispose un'eco potente; ed è sincero debito di giustizia riconoscere i progressi, che la sollecitudine delle Autorità civili di molte Nazioni hanno procurato alla condizione dei lavoratori. Onde ben fu detto che la *Rerum novarum* divenne la Magna Charta dell'operosità sociale cristiana.

Intanto trascorreva un mezzo secolo, che ha lasciato solchi profondi e tristi fermenti nel terreno delle Nazioni e delle società. Le questioni, che i mutamenti e rivolgimenti sociali e sopratutto economici offrivano a un esame morale dopo la *Rerum novarum*, sono state con penetrante acutezza trattate dal Nostro immediato Predecessore nella Enciclica *Quadragesimo anno*. Il decennio che la seguì non fu meno ricco degli anni anteriori per sorprese nella vita sociale ed economica, e ha versate le irrequiete e oscure sue acque nel pelago di una guerra, che può avere imprevedibili flutti urtanti l'economia e la società.

Quali problemi e quali assunti particolari, forse del tutto nuovi, presenterà alla sollecitudine della Chiesa la vita sociale dopo il conflitto che mette a fronte tanti popoli, l'ora presente rende difficile designare e antivedere. Tuttavia, se il futuro ha radice nel passato, se l'esperienza degli ultimi anni Ci è maestra per l'avvenire, Noi pensiamo di servirCi dell'odierna commemorazione per dare ulteriori principi direttivi morali sopra tre fondamentali

valori della vita sociale ed economica; e ciò faremo animati dallo stesso spirito di Leone XIII e svolgendo le sue vedute veramente, più che profetiche, presaghe dell'insorgente processo sociale dei tempi. Questi tre valori fondamentali, che s'intrecciano, si saldano e si aiutano a vicenda, sono: l'uso dei beni materiali, il lavoro, la famiglia.

Uso dei beni materiali

L'Enciclica *Rerum novarum* esprime sulla proprietà e sul sostentamento dell'uomo principi, i quali col tempo nulla hanno perduto del nativo loro vigore e, oggi dopo cinquant'anni, conservano ancora e profondono vivificante la loro intima fecondità. Sopra il loro punto fondamentale Noi stessi abbiamo richiamata l'attenzione comune nella Nostra Enciclica *Sertum laetitiae*, diretta ai Vescovi degli Stati Uniti dell'America del Nord: punto fondamentale, che consiste, come dicemmo, nell'affermazione della inderogabile esigenza « che i beni, da Dio creati per tutti gli uomini, equamente affluiscano a tutti, secondo i principi della giustizia e della carità ».

Ogni uomo, quale vivente dotato di ragione, ha infatti dalla natura il diritto fondamentale di usare dei beni materiali della terra, pur essendo lasciato alla volontà umana e alle forme giuridiche dei popoli di regolarne più particolarmente la pratica attuazione. Tale diritto individuale non può essere in nessun modo soppresso, neppure da altri diritti certi e pacifici sui beni materiali. Senza dubbio l'ordine naturale, derivante da Dio, richiede anche la proprietà privata e il libero reciproco commercio dei beni con scambi e donazioni, come pure la funzione regolatrice del potere pubblico su entrambi questi istituti. Tutto ciò nondimeno rimane subordinato allo scopo naturale dei beni materiali, e non potrebbe rendersi indipendente dal diritto primo e fondamentale, che a tutti ne concede l'uso;

ma piuttosto deve servire a farne possibile l'attuazione in conformità con il suo scopo. Così solo si potrà e si dovrà ottenere che proprietà e uso dei beni materiali portino alla società pace feconda e consistenza vitale, non già costituiscano condizioni precarie, generatrici di lotte e gelosie, e abbandonate in balia dello spietato giuoco della forza e della debolezza.

Il diritto originario sull'uso dei beni materiali, per essere in intima connessione con la dignità e con gli altri diritti della persona umana, offre ad essa con le forme sopra indicate una base materiale sicura, di somma importanza per elevarsi al compimento dei suoi doveri morali. La tutela di questo diritto assicurerà la dignità personale dell'uomo, e gli agevolerà l'attendere e il soddisfare in giusta libertà a quella somma di stabili obbligazioni e decisioni, di cui è direttamente responsabile verso il Creatore. Spetta invero all'uomo il dovere del tutto personale di conservare e ravviare a perfezionamento la sua vita materiale e spirituale, per conseguire lo scopo religioso e morale, che Dio ha assegnato a tutti gli uomini e dato loro quale norma suprema, sempre e in ogni caso obbligante, prima di tutti gli altri doveri.

Tutelare l'intangibile campo dei diritti della persona umana e renderle agevole il compimento dei suoi doveri vuol essere ufficio essenziale di ogni pubblico potere. Non è forse questo che porta con sè il significato genuino del bene comune, che lo Stato è chiamato a promuovere? Da qui nasce che la cura di un tal *bene comune* non importa un potere tanto esteso sui membri della comunità, che in virtù di esso sia concesso all'autorità pubblica di menomare lo svolgimento dell'azione individuale sopra descritta, decidere sull'inizio o (escluso il caso di legittima pena) sul termine della vita umana, determinare a proprio talento la maniera del suo movimento fisico, spirituale, religioso e morale in contrasto con i personali doveri e diritti dell'uomo, e a tale intento abolire o privare d'effica-

cia il diritto naturale ai beni materiali. Dedurre tanta estensione di potere dalla cura del bene comune vorrebbe dire travolgere il senso stesso del bene comune e cadere nell'errore di affermare che il proprio scopo dell'uomo sulla terra è la società, che la società è fine a se stessa, che l'uomo non ha altra vita che l'attende fuori di quella che si termina quaggiù.

Anche l'economia nazionale, com'è frutto dell'attività di uomini che lavorano uniti nella comunità statale, così ad altro non mira che ad assicurare senza interrompimento le condizioni materiali, in cui possa svilupparsi pienamente la vita individuale dei cittadini. Dove ciò, e in modo duraturo, si ottenga, un popolo sarà, a vero dire, economicamente ricco, perchè il benessere generale e, per conseguenza, il diritto personale di tutti all'uso dei beni terreni viene in tal modo attuato conformemente all'intento voluto dal Creatore.

Dal che, diletti figli, vi tornerà agevole scorgere che la ricchezza economica di un popolo non consiste propriamente nell'abbondanza dei beni, misurata secondo un computo puro e pretto materiale del loro valore, bensì in ciò che tale abbondanza rappresenti e porga realmente ed efficacemente la base materiale bastevole al debito sviluppo personale dei suoi membri. Se una simile giusta distribuzione dei beni non fosse attuata o venisse procurata solo imperfettamente, non si raggiungerebbe il vero scopo dell'economia nazionale; giacchè, per quanto soccorresse una fortunata abbondanza di beni disponibili, il popolo, non chiamato a parteciparne, non sarebbe economicamente ricco, ma povero. Fate invece che tale giusta distribuzione sia effettuata realmente e in maniera durevole, e vedrete un popolo, anche disponendo di minori beni, farsi ed essere economicamente sano.

Questi concetti fondamentali, riguardanti la ricchezza e la povertà dei popoli, Ci sembra particolarmente opportuno porre innanzi alla vostra considerazione oggi,

quando si è inclinati a misurare e giudicare tale ricchezza e povertà con bilance e con criteri semplicemente quantitativi, sia dello spazio, sia della ridondanza dei beni. Se invece si pondera rettamente lo scopo dell'economia nazionale, allora esso diverrà luce per gli sforzi degli uomini di Stato e dei popoli e li illuminerà a incamminarsi spontaneamente per una via, che non esigerà continui gravami in beni e in sangue, ma donerà frutti di pace e di benessere generale.

Il lavoro

Con l'uso dei beni materiali voi stessi, diletti figli, comprenderete come viene a congiungersi il lavoro. La *Rerum novarum* insegna che due sono le proprietà del lavoro umano: esso è personale ed è necessario. E' personale, perchè si compie con l'esercizio delle particolari forze dell'uomo; è necessario, perchè senza di esso non si può procurare ciò che è indispensabile alla vita, mantenere la quale è un dovere naturale, grave, individuale. Al dovere personale del lavoro imposto dalla natura corrisponde e consegue il diritto naturale di ciascun individuo a fare del lavoro il mezzo per provvedere alla vita propria e dei figli: tanto altamente è ordinato per la conservazione dell'uomo l'impero della natura.

Ma notate che tale dovere e il relativo diritto al lavoro viene imposto e concesso all'individuo in primo appello dalla natura, e non già dalla società, come se l'uomo altro non fosse che un semplice servo o funzionario della comunità. Dal che segue che il dovere e il diritto a organizzare il lavoro del popolo appartengono innanzi tutto agli immediati interessati: datori di lavoro e operai. Che se poi essi non adempiano il loro compito o ciò non possano fare per speciali straordinarie contingenze, allora rientra nell'ufficio dello Stato l'intervenire nel campo e nella divisione e nella distribuzione del lavoro, secondo la forma

e la misura che richiede il bene comune rettamente inteso.

Ad ogni modo, qualunque legittimo e benefico intervento statale nel campo del lavoro vuol esser tale da salvarne e rispettarne il carattere personale, sia in linea di massima, sia, nei limiti del possibile, per quel che riguarda l'esecuzione. E questo avverrà, se le norme statali non aboliscano nè rendano inattuabile l'esercizio di altri diritti e doveri ugualmente personali: quali sono il diritto al vero culto di Dio; al matrimonio; il diritto dei coniugi, del padre e della madre a condurre la vita coniugale e domestica; il diritto a una ragionevole libertà nella scelta dello stato e nel seguire una vera vocazione; diritto quest'ultimo personale, se altro mai, dello spirito dell'uomo ed eccelso, quando gli si accostino i diritti superiori e imprescindibili di Dio e della Chiesa, come nella scelta e nell'esercizio delle vocazioni sacerdotali e religiose.

La famiglia

Secondo la dottrina della *Rerum novarum*, la natura stessa ha intimamente congiunto la proprietà privata con l'esistenza dell'umana società e con la sua vera civiltà, e in grado eminente con l'esistenza e con lo sviluppo della famiglia. Un tal vincolo appare più che apertamente. Non deve forse la proprietà privata assicurare al padre di famiglia la sana libertà, di cui ha bisogno, per poter adempiere i doveri assegnatigli dal Creatore, concernenti il benessere fisico, spirituale e religioso della famiglia?

Nella famiglia la Nazione trova la radice naturale e feconda della sua grandezza e potenza. Se la proprietà privata ha da condurre al bene della famiglia, tutte le norme pubbliche, anzi tutte quelle dello Stato che ne regolano il possesso, devono non solo rendere possibile e conservare tale funzione — funzione nell'ordine naturale sotto certi rapporti superiore a ogni altra —, ma ancora perfezionarla sempre più. Sarebbe infatti innaturale un

vantato progresso civile, il quale — o per la sovrabbondanza di carichi o per soverchie ingerenze immediate — rendesse vuota di senso la proprietà privata, togliendo praticamente alla famiglia e al suo capo la libertà di perseguire lo scopo da Dio assegnato al perfezionamento della vita familiare.

Fra tutti i beni che possono esser oggetto di proprietà privata nessuno è più conforme alla natura, secondo l'insegnamento della *Rerum novarum*, di quanto è il terreno, il podere, in cui abita la famiglia, e dai cui frutti trae interamente o almeno in parte il di che vivere. Ed è nello spirito della *Rerum novarum* l'affermare che, di regola, solo quella stabilità, che si radica in un proprio podere, fa della famiglia la cellula vitale più perfetta e feconda della società, riunendo splendidamente con la sua progressiva coesione le generazioni presenti e future. Se oggi il concetto e la creazione di spazi vitali è al centro delle mete sociali e politiche, non si dovrebbe forse, avanti ogni cosa, pensare allo spazio vitale della famiglia e liberarla dai legami di condizioni, che non permettono neppure la formazione dell'idea di un proprio casolare?

Il nostro pianeta, con tanti estesi oceani e mari e laghi, con monti e piani coperti di nevi e di ghiacci eterni, con grandi deserti e terre inospiti e sterili, non è pur scarso di regioni e luoghi vitali abbandonati al capriccio vegetativo della natura e ben confacentisi alla coltura della mano dell'uomo, ai suoi bisogni e alle sue operazioni civili; e più di una volta è inevitabile che alcune famiglie, di qua o di là emigrando, si cerchino altrove una nuova patria. Allora, secondo l'insegnamento della *Rerum novarum*, va rispettato il diritto della famiglia ad uno spazio vitale. Dove questo accadrà, l'emigrazione raggiungerà il suo scopo naturale, che spesso convalida l'esperienza, vogliamo dire la distribuzione più favorevole degli uomini sulla superficie terrestre, acconcia a colonie di agricoltori; superficie che Dio creò e preparò per uso di tutti.

Se le due parti, quella che concede di lasciare il luogo natio e quella che ammette i nuovi venuti, rimarranno lealmente sollecite di eliminare quanto potrebbe essere impedimento al nascere e allo svolgersi di una verace fiducia tra il Paese di emigrazione e il Paese d'immigrazione, tutti i partecipanti a tale tramutamento di luoghi e di persone ne avranno vantaggio: le famiglie riceveranno un terreno che sarà per loro terra patria nel vero senso della parola; le terre di densi abitanti resteranno allegerite e i loro popoli si creeranno nuovi amici in territori stranieri; e gli Stati che accolgono gli emigrati guadagneranno cittadini operosi. Così le Nazioni che danno e gli Stati che ricevono, in pari gara contribuiranno all'incremento del benessere umano e al progresso dell'umana cultura.

Sono questi, diletti figli, i prodigi, le concezioni e le norme, con cui Noi vorremmo cooperare fin da ora alla futura organizzazione di quell'ordine nuovo, che dall'immane fermento della presente lotta il mondo si attende e si augura che nasca, e nella pace e nella giustizia tranquilli i popoli. Che resta a Noi, se non, nello spirito di Leone XIII e nell'intento dei suoi nobili ammonimenti e fini, esortarvi a proseguire e promuovere l'opera, che la precedente generazione dei vostri fratelli e delle sorelle vostre hanno con sì ardimentoso animo fondata? Non si spenga in mezzo a voi o si faccia fioca la voce insistente dei due Pontefici delle Encicliche sociali, che altamente addita ai credenti nella rigenerazione soprannaturale dell'umanità il dovere morale di cooperare all'ordinamento della società e, in special modo, della vita economica, accendendo all'azione non meno coloro i quali a tale vita partecipano che lo Stato stesso. Non è forse ciò un sacro dovere per ogni cristiano? Non vi sgomentino, diletti figli, le esterne difficoltà, nè vi disanimi l'ostacolo del crescente paganesimo della vita pubblica. Non vi traggano

in inganno i fabbricatori di errori e di malsane teorie, tristi correnti non d'incremento, ma piuttosto di disfacimento e di corrompimento della vita religiosa; correnti, le quali pretendono che, appartenendo la redenzione all'ordine della grazia soprannaturale ed essendo perciò esclusiva opera di Dio, non abbisogna della nostra cooperazione sulla terra. Oh misera ignoranza dell'opera di Dio! *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (Rom. 1, 22). Quasi che la prima efficacia della grazia non fosse di corroborare i nostri sforzi sinceri per adempiere ogni dì i comandi di Dio, come individui e come membri della società; quasi che da due millenni non viva e perseveri nell'anima della Chiesa il senso della responsabilità collettiva di tutti per tutti, onde furono e sono mossi gli spiriti fino all'eroismo caritativo dei monaci agricoltori, dei liberatori di schiavi, dei sanatori d'infermi, dei portatori di fede, di civiltà e di scienza a tutte le età e a tutti i popoli, per creare condizioni sociali che solo valgono per rendere a tutti possibile e agevole una vita degna dell'uomo e del cristiano. Ma voi, consci e convinti di tale sacra responsabilità, non siate mai, in fondo all'anima vostra, paghi di quella generale mediocrità pubblica, in cui il comune degli uomini non possa, se non con atti eroici di virtù, osservare i divini precetti, inviolabili sempre e in ogni caso.

Se tra il proposito e l'attuazione apparve talvolta evidente la sproporzione; se vi furono fatti, comuni del resto a ogni umana attività; se diversità di pareri nacquero sulla via seguita o da seguirsi, tutto ciò non ha da far cadere d'animo o rallentare il vostro passo o suscitare lamenti o accuse; nè può far dimenticare il fatto consolante che dall'ispirato messaggio del Pontefice della *Rerum novarum* scaturì vivida e limpida una sorgente di spirito sociale forte, sincero, disinteressato; una sorgente, la quale, se oggi potrà venire in parte coperta da una valanga di eventi diversi e più forti, domani, rimosse le rovine di

questo uragano mondiale, all'iniziarsi il lavoro di ricostruzione di un nuovo ordine sociale, implorato degno di Dio e dell'uomo, infonderà nuovo gagliardo impulso e nuova onda di rigoglio e crescimento in tutta la floritura della cultura umana. Custodite la nobile fiamma di spirito sociale fraterno, che, or è mezzo secolo, riaccese nei cuori dei vostri padri la face luminosa e illuminante della parola di Leone XIII: non lasciate nè permettete che manchi d'alimento e, sfavillando ai vostri commemorativi ossequi, muoia; spenta da una ignava, schiva e guardinga indifferenza verso i bisogni dei più poveri tra i nostri fratelli, o travolta nella polvere e nel fango dal turbinante soffio dello spirito anticristiano o non cristiano. Nutritela, avvivatela, elevatela, dilatatela questa fiamma; portatela dovunque viene a voi un gemito di affanno, un lamento di miseria, un grido di dolore; rinfocatela sempre nuovamente con l'ardenza di amore attinto al Cuore del Redentore, a cui il mese che oggi si inizia è consacrato. Andate a quel Cuore divino, mite e umile, rifugio per ogni conforto nella fatica e nel peso dell'azione: è il cuore di Colui, che a ogni opera genuina e pura, compiuta nel suo nome e nel suo spirito, in favore dei sofferenti, degli angustiati, degli abbandonati dal mondo e dei diseredati di ogni bene e fortuna, ha promesso l'eterna ricompensa beatificante: Voi benedetti del Padre mio! Ciò che avete fatto al più piccolo dei miei fratelli, l'avete fatto a me!

Annotationes

Festi Pentecostes occasionem arripiens, Papa hisce calamitosis temporibus verba plena confortationis et consolationis fidelibus necnon toti mundo radiophonice transmisit.

Insuper aliqua addere voluit in commemorationem quinquagesimi exeuntis anni a Litteris Enc. *Rerum novarum* datis. Et demum propria puncta doctrinalia de quibusdam principiis vitae socialis, praesertim oeconomicae, adjunxit, et quidem de originario jure utendi rebus materialibus, de labore et de familia.

Uti Summus Pontifex ipse dicit, consideratio commemorativa prima parte Encyclicae *Quadragesimo anno* nititur, ubi Pius XI ante decem annos effectus et fructus permagnos Enc. *Rerum novarum* uberrime exposuerat atque celebraverat. At etiam in quantum Allocutionis pars commemorativa elementa doctrinalia continet, linea doctrinae, quae *Rerum novarum* et *Quadragesimo anno* communis est, servatur.

Atque imprimis illa quaestio venit tractanda, sc. cuinam munus relationes sociales in campo oeconomico ordinandi competat. Notum est Leonem XIII, contra Liberalismi oeconomici effata, officium et jus Status (societatis civilis) interveniendi secundum normas juris naturalis asseruisse. Etiam Pius XI in Enc. *Quadragesimo anno* eandem doctrinam retinet. Nam, etsi doceat societatem, corporative organisatam, suas res autonome administrare debere, munus tamen ordinandi ipsius Status non negat, sed solum quoad ambitum et modum perfectiorem illud dilucidat. Nec aliter Pius XII. Ex una parte naturam *subsidiariam* functionis ordinatricis Status inculcat et ex altera parte jus interventionis eiusdem plene agnoscit effectusque laudat.

A veritate non recedet qui hunc duplicem aspectum doctrinalem Allocutionis ad quasdam theorias referri as-

serat, quas nostris diebus observamus. Sunt, qui functionem ordinatricem Status in campo oeconomico exaggerantes illud « ordinare » in « dirigere » et « gubernare » detorquent. Quamquam talem rei evolutionem extraordinariis conditionibus excusari posse Summus Pontifex ipse concedit (« speciali straordinarie contingenze »), tamen periculum prae oculis habet, ne propter falsa principia fundamentalia conditio vitae extraordinaria evadat ordinaria et normalis, immo ut fons normarum pro vita ordinaria societatis et Status declaretur. E contrario sunt, qui functionem ordinatricem Status, uti temporibus *Rerum novarum* et sequentibus decenniis se evolvit, parvipendentes, macula animi liberalistici, uti dicunt, eam afficiunt et Ordinem Corporativum *unice*, ut modum ordinandi sanum et doctrinae sociali Ecclesiae conformem, extollunt. Contra illos Pius XII explicite activitatem ordinatricem Status, quippe qui suam « Politicam socialem » usque ad efformationem juris sic dicti laboris agebat, laudat conformemque cum normis juris naturalis asserit. Implicite his dictis Summus Pontifex insinuat ideam Ordinis Corporativi, in *Quadragesimo anno* propositam, solum in abstracto ut formam optimam ordinandae societatis indicari, non vero sub omnibus conditionibus in concreto; nam sine dubio hic varia adjuncta, partim in personis, partim in rebus, praerequiruntur, ne immature talem ordinem in praxim deducere intendatur.

Postquam hoc principium interventionis Status eiusque modum practicum-historicum, sub luce *Rerum novarum* tractaverit, Pius XII, vestigiis Leonis XIII et Antecessoris sui p. m. inhaerens, confirmat illos esse primo loco ad munus ordinandi naturaliter destinatos, quorum immediate res interest, sc. patronos et operarios, sive in organisationibus distinctis juris privati, sive in corporationibus juris publici coadunatos. Tum demum, si tales organisationes non exsistunt, aut in casu particulari ordinare non valent, res ad Statum, ut supremum arbitrium, devolvitur. Adden-

dum est Pii XII Allocutionem radiophonicam in commemorationem *Rerum novarum*, ubi jus associationis ut jus naturale personale defenditur, etiam associationes liberas silentio non praeterire earumque utilitatem celebrare.

Periculum hodiernum hypertrophismi Statalis huic admonitioni doctrinali ansam dedit, periculum sane non parvum, ne tota vita humana, tam publica quam privata, in campum politicum trahatur et a sphaera politica quasi absorbeatur. Item jam Pius XI relate ad quandam formam Ordinis Corporativi in *Quadragesimo anno* monuerat: « Fateri cogimur compertum Nos habere non deesse qui vereantur ne res publica, cui satis esse deberet ut necessarium et sufficiens auxilium praestaret, liberae activitati se substituat, neve syndicalis ille et corporativus novus ordo complexam administrationem et politicam nimis sapiat, neve (generalioribus illis commodis ultro equidem admissis) particularibus politicis scopis potius inserviat quam ad meliorem socialem ordinem instaurandum promovendumque conducat ».

Alterum punctum, ubi Summus Pontifex immediate ex *Rerum novarum* haurit, ad officium et jus Ecclesiae res vitae socialis et oeconomicae dijudicandi se refert. Quod officium et jus habetur, quia et in quantum tales res christianum ordinem morum, qui conscientias ligat, tangunt. Negari nequit muneris doctrinalis et pastoralis Ecclesiae esse principia fundamentalia sic dictorum systematum vitae socialis examini subicere; atque in primis Ecclesia potest et debet ea, quae de natura et fine socialitatis humanae necnon de relatione hominis ad societatem agunt, cum normis revelationis et sanae philosophiae socialis comparare indeque de theoria et praxi iudicium ferre. Non aliter iam Leo XIII in *Rerum novarum* quoad Socialismum et Liberalismum suo munere functus est, quod exemplum, a Pio XI in *Quadragesimo anno* iteratum, aperte sequitur etiam SS. D. N.

Ita officium et ius Ecclesiae tuendo Pius XII illos re-

futat, qui de illegitima ingerentia auctoritatis ecclesiasticae in rebus profanis et politicis reclamare non cessant. Iamvero etiam illos catholicos carpit, qui in doctrina et praxi sociali Ecclesiae speciem quandam Politicae suspicari audent. Inculcat enim in alio loco Allocutionis scopum intime pastoralem omnis interventus Ecclesiae in campo sociali. « Dinanzi a tale considerazione e previsione come potrebbe esser licito alla Chiesa, Madre tanto amorosa e sollecita del bene dei suoi figli di rimanere indifferente spettatrice dei loro pericoli, tacere o fingere di non vedere e ponderare condizioni sociali che, volutamente o no, rendono ardua o praticamente impossibile una condotta di vita cristiana, conformata ai precetti del Sommo Legislatore? ».

Iamvero obligationes sociales non solum afficiunt ipsam Hierarchiam, sed etiam Ecclesiam ut coetum fidelium. Unicuique enim fidelium et omnibus universim officium incumbit omnia instaurandi in Christo pro cuiusvis posse et conditione. Summus Pontifex illos de errore convincit, qui propter supernaturalitatem oeconomiae salutis christianae, omnia a gratia divina et ab efficientia sacramentorum exspectantes, propriae activitati christianorum in campo sociali renuntiare volunt. Quae opinio, secundum Papam, dogmaticam falsitatem sapit et insuper factum communis responsabilitatis omnium baptizatorum pro vita supernaturali omnium hominum negligit. Nam christiani nequaquam admittere possunt permultos homines in talibus conditionibus vitam degere teneri, ut solum sacrificiis et conatibus heroicis praecepta Dei gravissima, quae semper et pro semper obligant, implere possint.

Hisce capitibus, quae immediate doctrinam *Rerum novarum* reassumunt, SS. D. N. propria puncta doctrinalia adiungit. Ut principium fundamentale ponit R. Pontifex ius originarium utendi rebus materialibus, quod jus unicuique personae humanae inhaeret. Iam in *Rerum novarum* praebet hoc ius fundamentum doctrinae de institutione pro-

prietatis privatae necnon de salario justo; hinc merito illud a Pio XII ulterius dilucidatur, ut problemata eaque modernissima quoad institutionem proprietatis privatae, quoad institutionem commercii bonorum inter homines, quoad munus ordinans potestatis publicae relate ad utramque institutionem in luce ponat. Nam haec omnia secundum ordinem obiectivum ultimatim eo tendere debent, ut ius originarium utendi rebus materialibus quam universalissime et quam perfectissime in praxim deducatur. Atque praevalentia huius finis ultimi eiusmodi est, ut omnes alii fines, qui in rebus materialibus haberi possunt, sint eidem postponendi, ipso fine nationalis autarchiae non excepto.

Ius originarium utendi rebus materialibus, cum sit ius personale atque cum vitali evolutione personae humanae intime cohaerens, Summo Pontifici ansam praebet, ut de humana persona eiusque relatione ad societatem et potestatem publicam sermonem instituat. Hoc ius enim personae humanae immediate inservit, in quantum persona est subiectum, idque Deo soli directe subditum, alicuius complexus officiorum et iurium, quorum plurima in variis Allocutionis locis nominantur: sc. conservatio vitae corporalis, intellectualis et moralis, religiosa formatio hominis, religio et cultus Dei, matrimonium, vita coniugalis et domestica, labor ut medium necessarium sustentationis, libertas in electione status vitae et professionis, imprimis status sacerdotalis et religiosi.

Ergo secundum Papam ratio dominii sui, quae personae humanae inest, non consistit in sola possibilitate interna liberae decisionis in conscientia et coram Deo, uti fine suo ultimo. E contra: illud dominium sui necessario determinatum complexum agibilium pro obiecto habet, nempe illum, qui modo dictis officiis et iuribus circumscribitur. Atque in hoc complexu non solum substantia illorum iurium, sed etiam libertas ipsis utendi includatur necesse est. Hac doctrina Summi Pontificis refutatur opinio, hodie etiam inter catholicos recepta, secundum

quam ratio personae humanae in ordine agendi, nimirum dominium sui, solum formalem respectum internae possibilitatis liberae decisionis in conscientia et coram Deo, ut fine ultimo, prae se fert.

Ratione personae sive dominii sui secundum totam plenitudinem suam materialem in tuto collocata, patet iam sponte quodnam sit tam essentiale munus cuiusvis potestatis publicae quam bonum commune ab ipsa administrandum. Potestatis publicae est modo descriptum complexum agibilium in persona humana tueri et insuper auxilium praestare, ut personalia officia et iura facilius in actum deducantur. Etiamsi quaevis potestas publica ipso suo munere administrandi bonum commune dominationem super membra communitatis includit, tamen illa dominatio ambitu vitae personalis modo circumscripto limitatur, i. e. ius dominationis penes communitatem, ut talem, non eo usque se extendit, ut substantiam iurium personalium et libertatem ea exercendi tollere queat.

Hanc limitationem Summus Pontifex quoad particularia magis explicat. Nulla potestas publica vi suae dominationis super membra communitatis, sc. vi boni communis servandi, de initio et fine terrestris vitae hominis decidere potest; porro nec pro libitu suo et contra officia et iura hominis personalia modum determinare potest formationis corporalis, intellectualis, moralis et religiosae hominis; denique nec in hunc scopum personam humanam iure originario utendi rebus materialibus privare eiusque usum impossibilem reddere potest. SS. D. N. explicite, ut verborum suorum falsae interpretationi occurrat, quae fortasse, etsi immerito, fieri posset, casum legitimae seu iustae poenae capitis excipit; atque hoc ius gladii potestati publicae non quidem immediate competit propter suam dominationem, ratione boni communis, super membra communitatis, sed solum indirecte, nempe consequenter ad factum, quod aliquis ex membris contra ordinem mora-

lem absolutum gravissime deliquit et correspondentem culpam et obligationem expiationis contraxit.

Quanti momenti sit haec doctrina a Pio XII prolata recte perspiciet quicumque facta quaedam tristissima nostrae aetatis noverit. At etiam inter catholicos opiniones notantur, quae principium boni communis servandi falso intelligentes, potestatis publicae ambitum nimis extendunt. Iure Allocutio radiophonica animadvertit tales opiniones veram naturam boni communis pervertere. Explicite asseritur veram naturam boni communis perverti, si quis dicat proprium finem hominis hac in terra esse societatem. Item, si quis dicat in rebus terrenis primatum penes communitatem esse, in rebus vero aeternae salutis penes hominem. Saepe idem error hisce verbis exprimitur: homo ut individuum plene societati subiectus est, ut persona est liber.

Innixus iure originario utendi rebus materialibus Pius XII aliud punctum propriae doctrinae exponit, nempe de labore. Nexus ille non est arbitrarius, nam secundum *Rerum novarum* ius laborandi competit personae, quia et in quantum labor unice est medium honestum propriae sustentationis. Papa quasdam modernas opiniones carpit, quae hominem, ad laborem destinatum, funditus ut mandatarium Status sive nationis habent. Inde etiam falsa sunt, quae ex tali fundamentali errore logice deducuntur. Exaggerant enim theoretice et practice functionem ordinatricem Status in campo laboris ita, ut character personalis humani laboris, praesertim libertas, penitus destruatur aut saltem gravissimum detrimentum patiatur. Criteria talis excessus potestatis publicae Summus Pontifex clare indicat. Inveniuntur iterum in ambitu officiorum et iurium personalium hominis. Speciali attentione digna est tristis observatio quasdam « constitutiones laboris » libertatem electionis status sacerdotalis aut religiosi tollere aut enervare.

Tertium punctum propriae doctrinae Pii XII de familia agit. Iterum hoc punctum, et quidem intrinseca ratio-

ne, cum iure originario utendi rebus materialibus nectitur. Nam, uti optimi doctores iuris naturalis et etiam « *Rerum novarum* » ostendunt, institutio proprietatis privatae ex iure originario utendi maxime inde ut necessaria probatur, quod exigentiis familiae condendae et conditae providendum sit. Item Allocutio radiophonica lineam doctrinae « *Rerum novarum* » ulterius ducit, si imprimis *soli* proprietatem quam universalissime unicuique homini obvenire debere inculcat. Immo, assumendo effatum, hodie maxime in usu, de « spatio vitali », SS. D. N. declarat tale spatium vitale, nempe proprietatem soli, prae ceteris, *familiae* competere. Quis non meminit iam Pium XI in *Quadragesimo anno* eandem viam ad sic dictam redemptionem proletariatus commendasse! Pius XII hoc vulnus modernae societatis iterum et profundius tangit, cum nempe propriam sedem fixam et stabilem permultis hominibus deesse asserit ex quo efficitur, ut, sicuti nec externe profundiores radices in solo proprio agunt, ita nec interne in bonis moribus consuetudinibusque stabilibus consolidentur.

Quod consilium Summi Magistri, ne in suspicionem « Utopismi » veniat. duo proposita practica adiunguntur. Primo homines desinant putare discrimen inter populos « divites » et « pauperes » mere quantitative mensurandum esse, nempe extensione spatii, quod occupent, et copia bonorum commutabilium, de quibus disponant. Maioris enim momenti esse asseritur « oeconomiam nationalem » veram organicam unitatem efformare, ligamine boni communis, omnes oeconomice producentes obligante, interne constitui et illuc finaliter ordinari, sc. ut continuo materialis prosperitas omnium populi membrorum paretur, veluti fundamentum reliquae vitae culturalis et religiosae civium. Hunc finem « oeconomiae nationalis » principiis iuris naturalis et sanae philosophiae socialis ut unice verum cognosci posse iam Pius XI in *Quadragesimo anno* contra Liberalismum declaraverat. Organica vero unitas « oe-

conomiae nationalis » postulat, ut ipse processus productivus oeconomicus quandam obiectivam harmoniam et rectam proportionalitatem prae se ferat, nempe sub concretis conditionibus rectam proportionem inter varias species productionis, inter varias territorii partes naturales necnon inter varios magnitudinis gradus officinarum. Hac meliore structura interna « oeconomiae nationalis » verificata, eveniet ut etiam maior numerus civium in aliquam saltem proprietatem in solo patrio venire possit. Quos fructus pacificos artis politicae Summus Pontifex laudat, cum mediis expansionis externae aut alius distributionis terrae inter populos, utpote mediis mere quantitativis et mechanicis, sat clare diffidat.

Praeterea ut medium subsidiarium praesto est emigratio. Vehementer Pius XII inculcat ius sedem familiae collocandi et transferendi primarie penes patremfamilias esse, cum Allocutio radiophonica problema emigrationis explicite sub respectu familiae tractet. Immo Summus Pontifex silentio non praeterit fundamentalem hunc respectum emigrationis et immigrationis destrui aut saltem nocumento gravissimo affici, si emigratio et immigratio finibus particularibus et contingentibus ordinis politici subduntur. Exinde orietur, uti dicit, diffidentia inter Status, qua ultimatim ius familiae emigraturae aut immigraturae detrimentum patietur.

Finit SS. D. N. suam Allocutionem, vere apostolicam et pastoralem, monendo fideles ne inter tot moderni Paganismi et Laicismi signa animo deficiant, sed ut in spiritu socialis iustitiae et amoris, ab Enc. *Rerum novarum* seminato, perseverent.

Gustavus Gundlach S. I.

24 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 29 martii 1941

(*AAS* XXXIII [21 apr. 1941] p. 121)

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 26 martii 1941

In generali consessu Supremae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum postumum LUCIANI LABERTHONNIÈRE, cui titulus:

Etudes de philosophie cartésienne et premiers écrits philosophiques, cura L. CANET editum.

Et sequenti Feria V, die 27 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit [1].

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 29 martii 1941.

I. PEPE, *Supr. S. Congr. S. Officii Substitutus Notarius.*

Liber a Laberthonnière conscriptus et nuper post eius mortem editus, cuius lectio a S. Officio christifidelibus improbatur atque prohibetur, inscribitur « Etudes de philosophie cartésienne et premiers écrits philosophiques, cura L. Canet editus ». Rationes huiusmodi reprobationis et condemnationis eaedem fere sunt ob quas cetera scriptoris opera iam reprobata fuerunt. Nam eius doctrina philosophica non solum catholicae veritati adversatur, sed ea omnino est ut a quolibet philosopho prudenti atque honesto tanquam perniciosissima sit habenda.

[1] Cfr. *L'Osservatore Romano* d. 3 maii a. 1941. Referimus sermone latino quae ibi scripsit P. Cordovani.

Et primum vim omnem atque virtutem, qua doctrina Aristotelis et S. Thomae post tot saecula adhuc viget, infringit atque pessumdat; deinde cum scriptor irruit in eam doctrinae formam, quam vituperio intellectualismum appellant, tam mordicus suae sententiae adhaeret ac si de sacro quodam atque inconcusso praescripto ageretur et simul scepticorum inconstantiam aemulatur.

Ad haec, ipsam hominum rationem calliditate suae mentis fretus invadit atque pervertit, pro nihilo habens quod id humanam fidem ac cognitionem laedit atque offendit. Quapropter relicta via qua scholastici per mentis discursum ad veritatem contendebant, Laberthonnière nullum non movet lapidem ut omnibus fulcimentis eam sententiam communiat, iuxta quam voluntatis ope verum optatum arripitur, ita ut ipsa veritatis cognitio fiat voluntati obnoxia. Quae tandem intellectus submissio, voluntati praestita, nunc temporis ita invaluit ut in abiectam servitutem devenerit, tanquam si ipsa hominum ratio vile mancipium virium corporis habeatur. Et mirum profecto: huiusmodi servitutis philosophus Laberthonnière adeo se profert patronum ac vindicem ut in vituperandam prorsus insipientiam sit prolapsus. Negat enim unquam fieri posse ut per mentis discursum a quovis Deum esse demonstretur et rerum veritati magis consentaneam putat a Malebranchio inductam intuitionem, qua finitum simul et infinitum percipitur; et si Deum esse affirmari liceat, id non obveniat a rebus extra nos concretis, sed a necessaria quadam mentis nostrae propensione.

Ex quo etiam fit ut vir a recto tramite diversus turpius etiam erret, nam et mundum ipsum quem sensibus percipimus puram putamque asserit animi nostri immutationem, et rerum scientiam nullo modo esse naturarum apprehensionem, sed quandam degendae vitae normam atque rationem. Praeterea mira illa sententia amorem esse principium cognitionis probari quidem potest ab iis qui in pulchritudinis studia incumbunt, sed difficile dictu est

in quot et quantos mentis errores inducat. Brevi: etsi laudari potest ars et peritia scriptoris, tenendum tamen omnino est, libri huius reprobatione a S. Officio indicta, propugnari prorsusque defendi iura veritatis catholicae et rationes humanae vires ab omni capitis diminutione vindicari. Utinam qui librum edidit sententias et errata scriptoris notis appositis temperasset; fortasse non in publicum detrimentum devenisset; sed editor Carnet, et per quae suo marte adiunxit et per defensionem viri ab eo susceptam, multiplicavit titulos quibus opus ab ecclesiastica auctoritate iure merito reprobaretur.

25 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii
De praevia librorum censura

(*AAS* XXXIII [21 apr. 1941] p. 121)

Cum pluries acciderit ut decreto Supremae S. Congregationis S. Officii prohiberi aut e commercio retrahi debuerint libri, qui cum praescripta licentia Ordinariorum editi erant, eadem S. Congregatio S. Officii locorum Ordinarios et Superiores religiosos enixe hortatur, ut in curanda praevia censura librorum caute omnino procedant et licentiam edendi ne concedant nisi postquam a censoribus idoneis, in re vere peritis, ad examen deputatis sententiam faventem habuerint.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 29 Martii 1941.

26 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(*AAS* XXXIII [10 maii 1941] p. 129)

INDULTUM CIRCA PIA EXERCITIA PER MENSEM AGENDA

Ss.mus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XII, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die

15 mensis Februarii vertentis anni concessa, haec quae sequuntur benigne decernere dignatus est:

Eo fere modo, quo de pio Exercitio per mensem agendo in honorem S. Ioseph a S. Congregatione de Indulgentiis die 18 mensis Iulii 1877 statutum est (cfr. *Preces et pia Opera Indulgentiis ditata*, ed. 1938, n. 428 sub nota), quotiescumque opportunum ducitur pia id genus Exercitia, in ecclesiis vel publicis aut (pro legitime utentibus) semipublicis oratoriis per mensem publice peracta, die festo absolvere, qui non sit postremus eiusdem mensis dies idque vel ex eo quod christifidelibus facilius evadat ad sacram Confessionem et ad sacram Synaxim sub fine pii huius Exercitii accedere, vel ex alia iusta causa, tum idem Exercitium incipere quovis die licet sive illius mensis, qui ex more celebratur, sive mensis antecedentis, ita tamen ut Exercitium per triginta dierum spatium peragatur.

Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 10 Martii 1941.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. S. Luzio, *Regens.*

ACTA SUMMATIM RELATA

27 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae decretales *Sanctitatis culmen*, 2 maii 1940, quibus B. Gemmae Galgani Virgini sanctorum honores decernuntur (*AAS* xxxiii [21 april. 1941] p. 97 ss.).

B — Litterae apostolicae *Exstat intra Goritiensis*, 7 dec. 1940, quibus Basilicae minoris honoribus decoratur archipresbyterale templum ad honorem sancti Ambrosii Episcopi et Doctoris in urbe Monfalcone intra fines Goritiensis archidioecesis Deo dicatum (*AAS* xxxiii [21 april. 1941] p. 109 s.).

C — Litterae apostolicae *Inter sacras aedes*, 21 martii 1941, quibus dignitate ac titulo Basilicae minoris honestatur cathedralis ecclesia Antioquensis Deo in honorem B. Mariae Virginis immaculatae dicata (*AAS* xxxiii [10 maii 1941] p. 152 s.).

D — Allocutio 30 martii 1941, qua S. Pontifex nobilissimis verbis respondit quibus Exc.mus Vir Stanislaus Pecci qua Ordinis Hierosolymitani Legatus extra ordinem liberis cum mandatis Litteras publicas porrexit (*AAS* xxxiii [21 april. 1941] p. 117 ss.).

E — Epistula *Nonagesimum aetatis*, 3 april. 1941, ad Eminent.mum P. D. Ianuarium Episcopum Ostiensem et Albanensem S. R. E. Card. Granito Pignatelli di Belmonte, Sacri Collegii decanum, eundemque Sacrae Congregationis Caeremonialis praefectum, nonagesimum aetatis annum feliciter explentem (*AAS* xxxiii [10 maii 1941] p. 153 s.).

F — Nuntius radiophonicus a Beatissimo Patre die 13 aprilis 1941 in paschate Resurrectionis D. N. Iesu Christi universo orbi datus (*AAS* xxxiii [21 april. 1941] p. 112 ss.).

G — Epistula *Quamvis plane*, 20 april. 1941, ad Em.mum P. D. Aloisium S. R. E. presb. Card. Maglione a publicis Ecclesiae negotiis, qua publicae supplicationes iterum indicuntur ad populorum pacem conciliandam (*AAS* xxxiii [21 april. 1941] p. 110 ss.).

H — Allocutio 20 april. 1941 quam Beatissimus Pater ad-

laborantibus in Actione Catholica ex Studiorum Italiae Universitatibus habuit (*AAS* XXXIII [10 maii 1941] p. 155 ss.).

I — Litterae decretales *Errantes oves,* 2 maii 1941, quibus Beatae Mariae a S. Euphrasia Pelletier Virgini sanctorum honores decernuntur (*AAS* XXXIII [10 maii 1941] p. 137 ss.).

28 - Sacra Congregatio Consistorialis

Decretum 16 nov. 1940 quo fines inter dioeceses Favantinam et Imolensem aliquantum mutantur (*AAS* XXXIII [21 april. 1941] p. 122).

29 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 20 febr. 1941, quo ex vicariatu apostolico de Tsining seiungitur ac vicariatui apostolico de Siwantse adnectitur pars praefecturae civilis de Te-hoa (*AAS* XXXIII [21 april. 1941] p. 124).

Decretum 3 april. 1941, quo territorium quoddam « Chefferie de Solo » nuncupatum a vicariatu apostolico de Bondo adnectitur (*AAS* XXXIII [10 maii 1941] p. 165).

30 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis

Maioricen. Decretum 4 dec. 1940, Super dubio: an sit signanda commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servae Dei Franciscae Annae a Virgine Perdolente, Cicer Carbonell, Sororis professae Instituti Sororum a Caritate Dioecesis Maioricensis (*AAS* XXXIII [21 april. 1941] p. 126 ss.).

Romana seu Varsavien. Decretum 4 dec. 1940, Super dubio: an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Iesu de Bono Pastore, in saeculo Franciscae de Siedliska, Fundatricis Instituti Sacrae Familiae a Nazareth (*AAS* XXXIII [10 maii 1941] p. 166 ss.).

Verulana. Decretum 5 febr. 1941, Super dubio: an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae

Fortunatae Viti, monialis conversae professae Ordinis S. Benedicti (*AAS* xxxiii [10 maii 1941] p. 168).

Dioecesium Italiae. Decretum 15 ian. 1941, quo Sanctus Michael Archangelus pro radiologis et radiumtherapeuticis patronus et protector declaratur (*AAS* xxxiii [21 april. 1941] p. 128).

31 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

12 mart. 1941, Exc. P. D. Henricus Montalbetti, Archiepiscopus Rheginensis, cathedrali ecclesiae Bovensi, per unionem ipsius dioecesis Bovensis in personam eiusdem Exc. P. D. Henrici Montalbetti cum metropolitana ecclesia Rheginensi.

15 mart. 1941, R. D. Iosephus Medeiros Delgado, cathedrali ecclesiae Caicoensi nuper erectae.

22 mart. 1941, R. D. Robertus Moreira Martinez, cathedrali ecclesiae Linarensi.

27 mart. 1941, R. D. Carolus Confalonieri, archiepiscopali ecclesiae Aquilanae.

28 mart. 1941, R. D. Gustavus Bianchi, cathedrali ecclesiae Monopolitanae.

29 mart. 1941, R. P. Henricus Hector Golland Trindade, cathedrali ecclesiae de Bomfim.

4. april. 1941, R. D. Iosephus Wendel, Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Ludovici Sebastian, Episcopi Spirensis.

5 april. 1931, R. P. Petrus Massa, e Soc. S. Francisci S., Praelatus praelaturae « nullius » Fluminis Nigri.

10 april. 1941, Exc. P. D. Carolus De Ferrari, hactenus Episcopus Carpensis, archiepiscopali ecclesiae Tridentinae.

19 april. 1941, R. D. Philippus Condurù Pacheco, cathedrali ecclesiae Ilheosensi.

19 april. 1941, R. P. Germanus Vega, Ord. Fratrum Erem. S. Augustini, Praelatus praelaturae « nullius » Jatahiensis.

Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt:

14 ian. 1941, R. P. Nicasius Balisa Melero, Presb. Ord. Recollectorum S. Augustini, Vicarius apostolicus Cananarensis.

20 febr. 1941, R. P. Ioannes Cassaigne, e Sem. Paris Miss. ad exter. Gentes, Vicarius apostolicus de Saïgon.

3 april. 1941, R. P. Renatus Feuga, e Sem. Paris, Miss. ad exter. Gentes, cathedrali ecclesiae Mysuriensi.

3 april. 1941, R. P. Iosephus Grueter, Relig. Mission. de Mariannhill Congregat. sodalis, Vicarius apostolicus de Umtata.

3 april. 1941, R. D. Caietanus Pasotti, e Soc. S. Francisci, Vicarius apostolicus de Rajaburi, noviter erecti.

32 - Nominatio

Decreto S. C. de Propaganda Fide renuntiatus est:

28 febr. 1941, R. P. Andreas Windels, C. M., Praefectus apostolicus de Bikoro.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Jesus Juambelz S. J., *Index bibliographicus Societatis Iesu*, Romae, 24 × 16, vol. I. (1937), 1938, VIII-198 p.; vol. II. (1938), 1940, 204 p.; vol. III (1939), 1941, 198 p.

Bertrandus Kurtscheid O. F. M., *Historia iuris canonici. Historia institutorum*, Vol. I, Ab Ecclesiae fundatione usque ad Gratianum. Ad usum scholarium. Romae (Officium Libri Catholici), 1941, 17,5×25 cm., XVI-348 p.

Primordia iuris canonici a fundatione Ecclesiae usque ad Constantinum (313) De iure canonico sub influxu imperii Romani a saec. IV - saec. VII. Historia iuris ecclesiastici sub influxu populorum Germanicorum a saec. VII-XII.

Dom Odon Lottin, *Considérations sur l'état religieux et la vie bénédictine*, Paris (Desclée, De Brouwer et Cie), 1941, 12× 19,5 cm., 97 p.

L'âme religieuse — L'état religieux L'état monastique L'état cénobitique — L'esprit bénédiction selon la règle de Saint Benoît.

Giovanni Miceli, Sac., *Le dispense matrimoniali*. Manuale pratico ad uso delle Curie e dei Parroci d'Italia, Roma (Il Monitore ecclesiastico), 1941, 11×16,5, 293 p.

Gli impedimenti mafrimoniali di diritto divino o ecclesiastico; la loro ricerca e scoperta. — Cause per la dispensa: oneste, quasi infamanti, infamanti. — Pratiche per la dispensa: la domanda della dispensa; il rescritto e la sua esecuzione; convalidazione e sanazione in radice; facoltà straordinarie di dispensare.

II - Ex Periodicis

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, III (1941), num. 1 (Genn.-Marzo) — Pietro Agostino D'Avack, *L'impedimento dell'ordine sacro nel diritto matrimoniale canonico*, pag. 13-30 — Pio Ciprotti, *Sulle potestà della Chiesa*, pag. 49-61 — Pio Fedele, *La condizione di non procreare apposta al matrimonio civile*, pag. 83-90.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO E RASSEGNA DI DIRITTO MATRIMONIALE, LII (1941), num. 3 (Marz.) — Lazzaro M. De Bernardis, *Le persone giuridiche ecclesiastiche nei più recenti concordati*, II. Le disposizioni dei singoli concordati, pag. 81-91 — num. 5 (Magg.) — Giambattista Migliori, *Per una più attiva difesa giudiziale della famiglia*, pag. 185-203 — Ermanno Graziani, *Resistenza all'ordine di uccidere*, pag. 204-210 — Num. 6 (Giugno) — Lazzaro M. De Bernardis, *Le persone giuridiche ecclesiastiche nei più recenti concordati*, III. Elementi comuni ed elementi peculiari ai vari concordati, pag. 237-252.

IUS PONTIFICIUM, XX (1941), fasc. II-IV — Spectator, *De potestate S. C. de Sacramentis in causis matrimonialibus*, pag. 74-80 — W. Mulder, *De iure particulari contra codicem*, pag. 87-92 - Steph. Sipos, *Forma celebrationis matrimonii extraordinaria extra mortis periculum*, pag. 93-102 — D. Lazzarato, *De processu extraordinario casus excepti*, pag. 103-128 — A. Crnica, *De lacunis legum supplendis ad normam codicis i. c.*, p. 129-144.

MISSIONSWISSENSCHAFT UND RELIGIONSWISSENSCHAFT, IV (1941), fasc. 2 - A. Otto, *Mission und Kaste in Südindien*, pag. 111-119.

IL MONITORE ECCLESIASTICO, LIII (1941), fasc. 4-5 (april.-magg.) - - L. P., *Gli olii vegetali e la luce elettrica per la lampada del SS. Sacramento*, pag. 120-122.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN, XLI (1941), 6 (iun.) H. Boelaers C. ss. R., *Rond een echt katholiek gebed*, pag. 185-200.

PALESTRA DEL CLERO, XX (1941), fasc. 15 (20 magg.) — R. Salucci, *Per interessare il popolo al sacrificio della messa*, pag. 297-301 — Fasc. 16 (1 Giugno) — F. Tamis, *De can. 885 interpretatione*, pag. 315-319.

PASTOR BONUS (Roma), V (1941), A. Mancini S. S., *Quaestio moralis: de interventu ad spectacula cinematographica*, pag. 180-186.

PERFICE MUNUS, XVI (1941), 10 Giugno, — C. D., *Delle lezioni del divino officio*, pag. 323-329.

RAZON Y FE, XLI (1941), Junio — E. Guerrero, *Organización de la obra educativa*, pag. 139-150.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO E DEI RAPPORTI DI FAMIGLIA, VIII (1941), Aprile — Agostino Pugliese, *Appunti di diritto processuale canonico matrimoniale*, IV. Le nuove norme sui tribunali ecclesiastici regionali, pag. 97-108.

THEOLOGISCHE-PRAKTISCHE QUARTALSCHRIFT, XCIV (1941), fasc. 2 — A. Eberle, *Ueber der Versuchung*, pag. 95-116 — B. van Acken, *Die Fragekunst des Beichtvaters*, pag. 116-125 Joseph Russmann, *Christliche Weltgestaltung aus Ehe und Familie*, pag. 126-139.

DEPOSITO LIBRI DELLA PONTIFICIA UNIVERSITÀ GREGORIA

Opera de Iure canonico et Theologia morali

CAPPELLO Felix M., S. I.

Summa Iuris Canonici in usum scholarum concinnata:

Vol. I. Editio tertia, emendata et aucta, 1938, p. 632, in-12° L. 22 — Relig. L. 2

Vol. II. Editio tertia, emendata et aucta, 1939, p. 712, in-12° L. 22 — Relig. L. 2

Vol. III. Editio secunda. 1940, p. 588, in-12° L. 30 Relig. L. 3

Summa Iuris publici Ecclesiastici. Editio tertia, emendata et aucta, 1936, p. XVI-632, in-12° L. 22 - - Relig. L. 2

Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis iuxta Codicem Iuris Canonici:

Vol. I. **De Sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione et Eucharistia.** Editio tertia emendata et aucta p. XVI-899. Accedit Appendix de Iure Orientalium. 1938, in-12° L. 35 - - Relig. L. 42

Vol. II. Pars Prima: **De Poenitentia.** Ed. tertia emendata et aucta. Accedit Appendix de Iure Orientalium. 1938 p. XII-939 in-12° L. 35 — Relig. L. 42

Vol. II. Pars Secunda: **De Extrema-Unctione.** Accedit Appendix de Iure Orientalium. 1932, p. 312, in-12° L. 15 - - Relig. L. 22

Vol. II. Pars Tertia: **De Sacra Ordinatione.** Accedit Appendix de Iure Orientalium. 1935, p. XII-716, in-12° L. 27 — Relig. L. 34

Vol. III. - Pars I: **De Matrimonio.** Editio IV emendata et aucta. In-12°, 1939, pag. XXVIII-528 L. 25 Relig. L. 34

Vol. III. - Pars II: **De Matrimonio.** Accedunt Appendices: De Iure Orientalium et de Iure Italico post Concordatum vigente. Editio IV emendata et aucta. In-12°, 1939, pag. 544 L. 25 — Relig. L. 34

Tractatus Canonico-moralis de Censuris iuxta Codicem Iuris Canonici. Ed. tertia, 1933, p. XVI-516, in 12° L. 18 — Relig. L. 25

Praxis Processualis ad normam Codicis et peculiarium S. Sedis Instructionum, in-8°, 1940, p. VIII-224, L. 14 — Relig. L. 20

ERMEERSCH, Arth., S. I.

Theologiae Moralis Principia-Responsa-Consilia:

Tomus I. **Theologia fundamentalis.** Editio tertia, aucta et emendata, 1933, p. XX-484, in-8° L. 25 — Relig. L. 30 -

Tomus II. **De virtutibus theologicis - De virtutibus moralibus.** Editio altera, aucta et emendata, 1937, p. 706, in-8° L. 42 - Relig. L. 47 —

Tomus III. **De personis, de Sacramentis, de Ecclesiae praeceptis et Censuris.** Tractatus canonico-liturgicus et moralis. Editio tertia, aucta et emendata, 1935, p. XVI-846, in-8° L. 42 — Relig. L. 47

Tomus IV. **De castitate et vitiis oppositis - De sponsalibus et matrimonio.** Editio tertia, aucta et emendata, 1933, p. VIII-134, in-8° L. 8 — L. 12 -

Epitome Iuris Canonicis,

cum Commentariis ad scholas et ad usum privatum (auctoribus **A. Vermeersch et I. Creusen**):

Tomus I. **Libri I et II Codicis.** Editio sexta, 1937, p. XVI-678 L. 38 — Relig. L. 44 —

Tomus II. **Liber III Codicis.** Ed. sexta 1940, p. XVI-634 L. 38 — Relig. L. 44

Tomus III. **Libri IV et V Codicis.** Ed. quinta, 1936, p. XIV-472 L. 36 — Relig. L. 42 —

IDAL, Petrus S. I.

Ius Canonicum, auctore P. F. X. Wernz:

ad Codicis Normam Exactum:		Legato 1/2 pelle	tutta tela
Tomus I. Normae Generales 1938 p. VI-487 in-8°	L. 37	49	43 —
Tomus II. De Personis, p. X-820, in-8°, ed. altera, emendata et aucta, 1928	L. 42 —	54 —	48 -
Tomus III. De Religiosis, p. XVI-560, in-8°, 1933.	L. 37	49	43
Tomus IV. De Rebus, p. XI-786, in-8°, 1934 (Vol. I)	L. 42	54 -	48 - -
Tolus IV. De Rebus, p. VI-358, in-8°, 1935 (Vol. II)	L. 27	39	33
Tomus V. Ius Matrimoniale, paginae XV-866, in-8°, ed. altera, emendata et aucta, 1928 . . .	L. 48	60 -	54 - -
Tomus VI. De Processibus, Pars Prima, p. XIV-608, in-8°, 1928 . . .	L. 37	64 -	58 - -
Pars Altera, p. 609-784, in-8° 1928 . . .	L. 15		
Tomus VII. Ius Poenale Ecclesiae, p. VIII-613, in-8°, 1937	L. 48 —	60 —	57
Totale	L. 333 —	429 —	384 -

ARREGUI A. M., S. I. **Summarium Theologiae moralis** 1937, pp. XVII-690 - Editio 13ª L.

LO GRASSO, Ioannes, S. I. **Ecclesia et Status.** Fontes selecti. 1939, pag. XX-345, in-8° Relig. L.

RESTREPO RESTREPO, Ioannes M., S. I. **Concordata regnante SSmo. Dno. Pio XI**, latine et gallice reddita et notis illustrata (Editio completa). 1934, p. XX-722, in-8° L. 42 — Relig. L.

Concordats conclus durant le Pontificat de Sa Sainteté le Pape Pie XI, traduits en latin et en française avec des notes. (Edition française). 1934, p. XVI-308, in-8° L. 18 — Relig. L.

TOBIN, Thomas Iosephus. **De Officiali Curiae Dioecesanae**, 1936, in-12° p. XX-254 L. 27 — Relig.

ZEIGER, Ivo G., S. I., **Historia Iuris Canonici:**

Vol. I. **De Historia Fontium et Scientiae Iuris Canonici.** 1940, 132 in-8° L. 18 — Relig.

Vol. II. **De Historia Institutorum Canonicorum.** 1940, p. 133 in-8° L. 18 — Relig. L.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Quo sensu in Sacrificio Missae offerat Ecclesia, offerant fideles.

In huius lucubrationis titulo data opera non rogatur, num Ecclesia et fideles offerant in Sacrificio Eucharistico, sed quo sensu id faciant. Etenim tam ipsam Ecclesiam quam fideles, Ecclesiae membra, in Missa offerre, absolute tenendum est nec sine gravi temeritate negatur.

Ut ab Ecclesia incipiam, eam offerre edocemur clare a Concilio Tridentino [1]. Agens enim de Missae Sacrificio, Synodus Novum Pascha Novae Legis vocat: « Ipsum Dominum ab Ecclesia sub signis visibilibus per sacerdotes immolandum ». Quae verba, si ex forma sua passiva transponuntur in formam activam, aequivalent hisce: « Ecclesia per sacerdotes ipsum Dominum sub signis visibilibus immolat ». Quare omnino ad mentem Ecclesiae loquitur Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacensis, quando Ecclesiam dicit [2] « non absque sacrificio esse, nec illo suo sacrificio aliquid aliud quam corpus et sanguinem sui Redemptoris offerre »; quando in eodem fere loco exponit [3]: « Ecclesia offert Ipsum pro seipsa, qui Se obtulit pro ipsa, et quod Ille fecit semel moriendo, hoc illa facit semper offerendo »; quando alibi declarat [4]: « Hoc est nostrum sacrificium, hoc

---

1 Sess. XXII cap. 1: *Denzinger* 938.
2 *Contra Petrobrusianos*: *ML* 189, 789.
3 *ML* 189, 789.
4 *ML* 189, 798.

legis Evangelicae, hoc Novi Testamenti, hoc novi populi holocaustum: quod tunc semel in Cruce a Dei et hominis Filio Deo oblatum est, et quod semper in Altari ab ipsius populo offerendum ab Eodem praeceptum et institutum est... Quod semel Christus obtulit, hoc semper Ecclesiae suae offerendum reliquit ».

Fideles vero offerre, dilucide nos docet Ecclesia orans in Canone Missae. Audiamus hac de re Ecclesiae doctorem Sanctum Petrum Damianum, qui in libello noto, quod *Dominus Vobiscum* nuncupatur, dicit[5]: « In ipsa celebratione Missarum cui dicitur: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum*, paulo post subditur: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*. In quibus verbis patenter ostenditur, quod a cunctis fidelibus, non solum viris sed etiam mulieribus sacrificium illud laudis offeratur, licet ab uno specialiter offerri sacerdote videatur: quia quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo fidelium intenta mentium devotione commendat. Quod illuc quoque declaratur, ubi dicitur: *Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias*. Quibus verbis luce clarius constat, quia sacrificium, quod a sacerdote sacris altaribus superponitur, a cuncta Dei familia generaliter offeratur ».

Clarum igitur est Sacrificium Missae non solum offerri a Christo et sacerdote ut Christi ministro, sed etiam ab Ecclesia et fidelibus[6]. Iure autem merito S. Robertus Bellarminus postquam in Controversia *de Missa* dixit: « Sacrificium Missae a tribus offertur, a Christo, ab Ecclesia, a Ministro », quattuor verba addit[7] vid.: « sed non eodem modo ». De hac autem modi diversitate nobis erit quaestio.

Quae quidem quaestio periculum est ne odiis liturgicis

---

[5] *Lib. q. d.*: *Dom. Vobiscum* 8: *ML* 145, 257.

[6] Multa alia testimonia vide apud A. Piolanti, *Il Corpo Mistico in S. Alberto Magno*, Romae 1939, p. 181 sq.

[7] *De Missa* II cap. 4 § 1.

turbetur. Ex una parte sunt, qui ita exaggerent partes laicorum in Missae Sacrificio, ut iam obscurentur limites interiacentes inter sacerdotium hierarchicum populumque fidelem; ex altera parte inveniuntur, qui metu cuiusdam mysticismi falsi ita diminuant vim verborum Ecclesiae, Ecclesiam scilicet atque fideles offerre, ut potius sonare debeant, Ecclesiam et fideles non offerre omnino.

Ut autem hac in re aliquid lucis oriatur, bene notandum est vocem *Ecclesiae* relate ad problema nostrum dupliciter intelligi posse, haud aliter ac vocem *offerendi*. Quare breviter de utriusque vocis duplici significatione.

Ecclesia supponi potest primum pro complexu fidelium, ita ut prorsus aequivaleat sententia: *Ecclesia offert* sententiae: *populus fidelis offert*, vel etiam: *omnes fideles offerunt*. Hoc sensu v. g. S. Robertus Bellarminus vocem *Ecclesiae* intellegit, ubi de re nostra tractat in praedictae Controversiae *de Missa* capite quarto. Potest etiam intellegi *Ecclesia* ut organismus iuridico-socialis hierarchicus, in ordinem supernaturalem evectus, non solum ex fine et institutione, sed etiam ob internas gratias, dona, charismata Spiritus Sancti, ex missione Christi Ecclesiam unientis, vegetantis, vivificantis. Hoc sensu saepius Bellarminus Ecclesiam intellegit in Controversia *de Romano Pontifice* et alibi[8]. Utroque sensu autem Ecclesia consideratur ut persona quaedam mystica: primo sensu nuncupatur Sponsa Christi ratione solius amoris; altero sensu vocatur Christi Sponsa-Uxor seu relate ad nos Ecclesia Mater, tum ratione amoris tum maxime ratione prolis spiritualis, vi Christi seminis ex Ecclesia perpetuo nascendae[9].

---

[8] Cf. *De Rom. Pont.* I, 9; *De Clericis* II, 19.

[9] Est etiam tertius modus, quo Ecclesia habeatur ut persona, isque in traditione frequentissimus: consistit in eo, quod Ecclesia Corpus cum Christo Capite suo proponitur ut *Christus totus*. Ista consideratio prae aliis Augustino est propria. In quaestione autem nostra potius videri debet Ecclesia ut a Capite Christo, contradistincta.

Iam de voce *offerendi*. Et ipsa dupliciter accipitur. Et quidem sensu praecisivo *offerre Deo* est porrigere Deo victimam in laudem et placationem; sensu autem complexivo non solum significat porrectionem, sed simul includit consecrationem, sacrificationem victimae porrigendae.

In Sacrificio Missae offertur utroque sensu et quidem in ipso actu consecrationis. Consecratione enim simul res sacra efficītur et simul in altari ponitur tamquam hostia laudis et piationis. Consecratio autem, prout rem sacram efficit, est actio transiens, quae verbis institutionis Eucharistiae ponitur iisque prolatis finem habet. Oblatio autem, consecrationi instrinseca, est actio permanens, quae etiam prolatis verbis institutionis perdurat. Voluntas enim et intentio sacerdotis praesentandi victimam Patri Aeterno in laudem et placationem non esse desinit post verba consecrationis, sed viva manet per totum sacrificium Eucharisticum. Et sicut initialiter non verbis formalibus exprimitur, sed ipso facto quod victima a sacerdote in altari ponitur [10]; sic per Missae decursum per se verbis formalibus non indiget, sed liturgice exprimitur praesentia rituali hostiae coram sacerdote.

Attamen, etiamsi verba formalia necessaria non sint, Ecclesia oblationem praecisive sumptam et usque ad sumptionem Eucharisticam perdurantem, verbis liturgicis exprimere voluit, praecipue, ubi immediate post Consecrationem orat: « Offerimus praeclarae maiestati tuae etc. » et maximopere quando postea sacerdotem dicentem facit: « Per Ipsum et cum Ipso et in Ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum ».

Praemissis hisce distinctionibus iam aggrediamur quaestionem primam: Quo sensu offert Ecclesia?

---

[10] Cf. Bellarmin., *Resp. ad libr.*: *Triplici nodo*, Ed. Col. 1617, p. 674-75. *De Missa* II, 8 et II, 9 oblatio vocatur: *tacita quaedam et efficacissima invocatio; quaedam realis et efficacissima oratio.*

Respondeo: si Ecclesia intelligitur ut mere Sponsa seu ut populus fidelium, responsio dabitur postea, ubi de oblatione fidelium. Si vero intelligitur ut Sponsa-Uxor, seu ut Mater Ecclesia, ei competit tam sacrificatio quam oblatio praecisiva.

Ratio autem haec est. Ubi societas, organice et hierarchice constituta, consideratur per modum personae, ei haud aliter actiones attribuuntur ac attribui solent supposito humano. Personae autem non tantummodo attribuuntur actiones, quae sunt communes omnibus et singulis membris suppositi, sed etiam quae sunt propriae organorum. Non solum possum dicere: « Petrus iacet, movetur, quiescit »; sed etiam: « Petrus videt, audit, clamat ». Minime autem possum omnibus et singulis membris suppositi attribuere ea quae organo determinato sunt propria. Non possum dicere omnia et singula membra Petri videre, vel digitum clamare et audire. Idem loquendi modus, ut iam dixi, valet de persona iuridica sociali. Dicimus v. g. Statum facere leges, bellum indicere, punire, imponere vectigalia, quae autem de omnibus et singulis membris reipublicae praedicari non possunt.

Quod autem valet de societate humana, ex perpetua traditione ecclesiastica valet de Ecclesia Sponsa-Uxore. Ecclesia est, quae nomine Christi docet; Ecclesia est, quae ligat et solvit: Ecclesia quoque est quae per sacerdotem sacrificat et victimam Patri porrigit. Hac de causa pia Mater Ecclesia eodem iure et eadem gloria, quibus dicitur Verbi Magistra et Regina, dici potest et debet Sacerdos. Ipsa enim est quae per ministros suos, tria munera Christi messianica pro gradu suo implentes, opus Christi magisteriale, regale, sacerdotale in terra facit perenne.

Iam de populo fideli. Quo sensu possum dicere: fideles offerunt vel Ecclesia fidelium offert?

Et imprimis: possumne dicere fideles sacrificare vel consecrare? Respondendum est: sensu proprio nullatenus,

sed solummodo sensu valde improprio. Pro sacrificatione hac impropria quantum scio in traditione afferuntur duae rationes. Prima est in eo quod fideles rogando, hortando, stipendia dando sacrificant quodammodo *causaliter* [11]; alia in eo est, quod uniendo preces suas cum precibus sacerdotis, a Deo efflagitant ut panis et vinum corpus et sanguis fiant dilecti Filii Unigeniti, Domini Nostri Iesu Christi. Ad hanc secundam rationem alludunt scriptores antiqui, tam liturgici quam scholastici, cum formula utuntur: fideles *voto* offerre [12].

Omnino aliter autem res sese habet, ubi inquiritur: num fideles singuli et fidelium populus offerre possint sensu praecisivo. Etenim dum consecratio Eucharistica fieri nequit nisi verbis, quae ex Christi institutione vim suam efficacem unice habent in ore sacerdotis ad hoc ordinati, et verbis prolatis terminatur: oblatio praecisive sumpta post verba consecrationis perdurat, quia perdurat intentio sacerdotis praesentandi Corpus Christi Patri aeterno in laudem simul et placationem. Dum vero sacerdos consecrans, qua consecrans, non agit nisi unice personam Christi, idem sacerdos qua offerens non solum gerit personam Christi, sed etiam personam totius populi fidelis et consequenter fidelium. « Licet unus tantum offerat », ita Innocentius Papa III [13]: « tamen dicitur *offerimus*, quia sacerdos non tantum in sua, sed in totius Ecclesiae persona sacrificat ». Intentioni autem sacerdotis oblationem facientis fideles quoque suam identicam intentionem coniungere posse, sive verbis expressis, sive tacite mera sua praesentia, nemo est qui non videat. Eos autem in Sacra Missa hoc facere li-

[11] Bellarmin., *De Missa* II, 4.

[12] Cf. Innocent. Pp. III, *De sacr. alt. myst.* V, 2: *ML* 271, 888: *Quod populus agit voto, sacerdotes agunt mysterio.* Similia Albert. Magn., *De Sacr. Missae* III, 7. Explicationem illius *voto* dat responsio populi ad *Orate Fratres*. Vide etiam Chrysost., *De Pentec.* hom. I, 4: *MG* 50, 458-59 et Bellarmin., *De Missa* II, 4: *voluntate et desiderio offerre.*

[13] *De sacr. alt. myst.*, III, 5: *ML* 217, 844. Vox *sacrificat* in textu intelligenda videtur de *oblatione* praecisive.

liturgice, ipsa docet Ecclesia tum verbo plurali *offerimus* statim post consecrationem, tum maxime, ubi verbis liturgicis, quibus exprimitur oblatio permanens: « Per Ipsum et cum Ipso et in Ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum » populum respondentem facit: « Amen » [14]. Ed quod fideles singuli Sacro adstantes faciunt actuali intentione, omnes fideles totius mundi quoad omnia sacra totius mundi censentur facere intentione habituali [15].

Ex praedictis apparet fideles adstantes et simpliciter totam Ecclesiam fidelium proprie non *sacrificare*, eos autem *offerre* praecisive. Quia autem illa *oblatio* semper nenessario supponit sacerdotem hierarchicum, liturgice offerentem, cui sese fideles intentionaliter coniungant, non agitur nisi de *co-oblatione*, quae totam suam vim habet ex oblatione sacerdotis, qui sicut ex una parte repraesentat Christum, ita ex parte altera repraesentat fidelem populum. Nam, ut bene dicit Bellarminus [16]: dum Christus offert per sacerdotem tamquam per inferiorem, fidelium Ecclesia per sacerdotem offert tamquam per superiorem. Et hoc sensu valde limitato, attamen sensu quodam vero licet analogo [17], Christifideles constituunt populum sacerdotalem. Non solum igitur, quia de sacrificio participant manducando, sed etiam quia de eodem participant impetrando [18], scilicet

---

[14] De usu quodam respondendi *Amen* ad consecrationem cf. BELLARMIN., *De Missa* II, 12: obiect. 4.

[15] Cf. BELLARMIN., *De Missa*, II, 4.

[16] *Loco laudato.*

[17] BELLARMIN., *De Missa*, II, 4 negat a populo poni actum proprie sacerdotalem. Iure, quatenus ipse actu sacerdotali comprehendit actum tum consecrationis tum oblationis. A. POLIANTI *Il Corpo Mistico in S. Alberto M.* p. 181 ad mentem S. Alberti putat dici posse: *La Messa è l'atto sacerdotale del Corpo Mistico.* Qua in phrasi Corpus Mystycum videtur aequivalere populo fidelium unito cum clero. — Dixi oblationem populi dici analogice, quia ritualiter non existere potest nisi cum dependentia in essendo relate ad oblationem sacerdotis.

[18] Cf. BELLARMIN., *Apol. Respons. ad libr.*: *Triplici Nodo* I, ed. Col. 1617 p. 761 A.

cum sacerdote et in sacerdote et per sacerdotem hostiam Patri porrigentes in laudem simul et in placationem.

Conclusio nostra confirmari potest tribus rationibus, una desumpta ex devotione populari, altera ex speculatione theologica, tertia ex Verbo Dei. Etenim quod ad primum spectat in missalibus popularibus et iis libellis devotionalibus, qui conscribuntur ut fideles devotius S. Missae assistere possint, et nonnunquam a liturgistis extremis flocci penduntur, haud raro pro tempore consecrationis indicantur preces huiusmodi: « Aeterne Pater, ego tibi offerro dilectum tuum Filium etc. », additis nonnumquam verbis « per manum sacerdotis ». Ex decem et septem libellis, qui mihi casu prae manibus erant, quatuordecim talia proferebant. Quod ad alterum: ratio theologica desumitur ex communi doctrina, qua character etiam mere baptismalis habetur ut participatio sacerdotii Christi. Iure autem merito rogatur, num participatio sacerdotii Christi consistere possit in potestate mere passiva et receptiva, nec rectius ad eam constituendam requiratur aliquid activi [19]. Illud autem elementum activum in charactere baptismali indicari non potest, nisi admittas signo illo indelebili deputari baptizatos, ut in Sacrificio Missae in sacerdote et cum sacerdote et per sacerdotem hostiam Novi Testamenti Patri porrigere possint in piationem et laudem. Quod ad tertium spectat, quis non videt illud *Regale Sacerdotium* de quo S. Petrus I *ep.* 2, 9 et S. Ioannis in *Apocalypsi* 1, 6 et 5, 10 sic multo melius intellegi?

Et haec de quaestione nostra sufficiant, quae non est spernenda. Agitur enim de principio vere vitali renovationis liturgicae hodiernae; agitur de nobilitate fidelium laicorum in corpore Christi; agitur de augenda vera devotione, quae certe eo magis efflorescet, quo magis fideles sa-

[19] Cf. Bellarmin., *De Sacr. in Gen.* II, 19, ubi (primus gressus!) declarat characterem Confirmationis principalius esse activum.

crificium sacerdotis considerant ut suum quoque sacrificium: « Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem ».

Multa disputari possent de precibus a fidelibus tempore consecrationis dicendis. Re obiective considerata certe convenit actus adorationis quando hostia elevatur, sed ex natura Sacrificii adoratione praevalere debet oblatio. Posset fieri tali modo:

« Aeterne Pater, ego tibi offero Corpus (Sanguinem) pretiosissimum Iesu Christi in remissionem peccatorum meorum, in suffragium animarum sanctarum purgatorii et pro necessitatibus S. Ecclesiae ».

Quae oratio — pro oblatione sanguinis — die 22 sept. 1817 (S. Poenit. Apost. 10 mart. 1933) a Pio Pp. VII annexam accepit indulgentiam 500 dierum; et plenariam, dummodo quotidie per integrum mensem *oblationis* actus elicitus fuerit [20].

SEBASTIANUS TROMP, S. I.

[20] Cf. *Preces et pia opera indulgentiis ditata*, ed. a S. Poenit. Apost. Vatic. 1938, p. 126 n. 188: « Eterno Padre, io vi offro il Sangue preziosissimo di Gesù Cristo in isconto dei miei peccati, in suffragio delle anime sante del purgatorio e per i bisogni di Santa Chiesa». In multis ex libellis devotionalibus supra commemoratis haec oratio populo dicenda proponitur tempore Consecrationis; eheu in forma mutilata, et cum erronea indicatione indulgentiae annexae. Videri etiam possunt in eodem collectaneo S. Poenitentiariae p. 126-128 n. 189 septem *actus oblationis*, omnes incipientes: « Eterno Padre, io vi offro i meriti del Sangue preziosissimo di Gesù » et p. 23 n. 53 *actus oblationis*: « Eterno Padre, vi offro il sacrifizio che di se stesso fece sulla Croce ed ora rinnova su questo altare il vostro diletto Figlio Gesù etc. », cui orationi annexa est « indulgentia trium annorum pro devote adstantibus Missae sacrificio, cuius initio hunc *oblationis actum* elicuerint ».

De metu in iure poenali Ecclesiae.

Anna ex illicito commercio cum aliquo iuvene gravida facta est; ex gravi metu infamiae vero sibi abortum procurari curat. Quaeritur utrum talis metus ab incurrenda censura excusare possit?

I. Procuratio abortus sine dubio est actus intrinsece malus, quare metus imputabilitatem minuit quidem sed non aufert (c. 2205 § 3); sed metus gravis, quamvis actus sit intrinsece malus et graviter culpabilis, excusationem praebere potest pro incurrenda censura si delictum non vergit in contemptum fidei, aut ecclesiasticae auctoritatis, vel in publicum animarum damnum [1]. Perspicuum autem est eiectionem directam foetus immaturi minime esse actionem quae vergit in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis; utrum autem procuratio abortus sit actus vergens in publicum animarum damnum, disputatur inter auctores [2]; actus enim vergunt in animarum damnum, ait cl. Michiels [3], « per quos fideles a fide vel moribus christianis avertuntur et aeternae damnationis periculo exponuntur ». Supponentes itaque saltem *practice* metum gravem eximere posse a censura statuta pro directa abortus procuratione, unice quaerimus utrum ob solum metum ab extrinseco, an ob metum ab *intrinseco* quoque possit pro poenis excusationis ratio afferri.

II. Non pauci hodie auctores affirmant in iure poenali quoque in codice considerari solum metum ab *extrinseco* a persona libera illatum, minime vero metum ab intrin-

[1] C. 2229 § 3, 3; resp. Comm. Cod. 30 dec. 1937 (A. A. S. XXX p. 75).

[2] Affirmat v. g. Sallucci « Il diritto penale » II p. 227; negat v. g. Cipollini « De censuris » n. 79: « Abortus vero non vergit in publicum animarum damnum, quia tale damnum iuris sensu non est illud, quo plures animati foetus sine baptismo decedunt ».

[3] « De delictis et poenis » I p. 211.

seco sive a causa externa necessaria inductum. In volumine primo « de delictis » (p. 198) ait Michiels: « metus *sensu iuridico* intelligitur ille solus, qui fuit ab *extrinseco libero*... incussus », atque in tractatu « de personis » (p. 506) asserit: « in iure neque metus ab intrinseco neque metus a causa extrinseca necessaria attenditur, sed solus metus ab alia persona libera illatus; hoc manifeste elucet ex verbis « metus ab extrinseco *incussus* », in variis canonibus adhiberi solitis »; eodem modo Coronata: [4] « codex agit semper de metu ab extrinseco, idque insinuat verbum *incussus*, quo hoc canone (103 § 2) utitur ». Idem asserit quoque Bergh: [5] « rappelons que la crainte, dont le droit s'occupe, est la crainte ab extrinseco, émanant d'un agent libre. Une crainte donc venant des dispositions personnelles de cette femme (quae abortum procuravit) ne l'excuserait pas de la censure » [6]. Multi vero alii auctores in tractatu de poenis ecclesiasticis loquuntur de metu gravi, qui causa excusans esse possit ab incurrenda censura, nullam distinctionem insinuantes inter metum ab extrinseco et ab intrinseco, v. g. Cocchi « De delictis et poenis » (1938) no. 43; Noldin (« De poenis eccles. » no. 26); Verm.-Creus. « Epitome iuris » (III no. 551); Pruemmer (« Man. iur. can. » Q. 565. 1); « Periodica » (XXVII p. 162 sq.); « Apollinaris » (1932, p. 253); Sallucci (« Il diritto penale » II no. 233); Cipollini (« De censuris » no. 24); Chelodi (« Jus poenale » no. 7); Berutti (« De delictis et poenis » p. 23); Cappello (« De censuris » no. 60, 385); Koeniger (« Kath. Kirchenr. » p. 445); Haring (« Kath. Kirchenr. p. 937); De Meester (« Juris can. comp. » III 1719) immo metum *infamiae*, qui metus ab *intrinseco* est, regulariter a poena excusare affirmat.

Ante inductum ius novi Codicis in iure poenali auctores quoque metum ab extrinseco et ab intrinseco pro ex-

[4] Compend. jur. can. I n. 332, not. 1.
[5] Nouv. Rev. Théol. 1938, p. 465.
[6] Vide quoque Vermeersch « Theol. mor. » II n. 626 et alios.

cusatione a poena distinguere non solebant, v. g. St. Alphonsus (« Theol. mor. » VII no. 46), Pennacchi (« De abortu et embryotomia » p. 26 remittens ad St. Alph. l. c.), Wernz (« Jus decretalium » VI no. 158) in nota allegans Suarez, Schmalzgrueber, et alii; principium tamen can. 103 § 2 tunc temporis quoque vigebat [7]. Heiner (« Die kirchlichen Censuren » p. 246, anno 1884) clare enunciat metum infamiae pro muliere honesta causam esse posse non incurrendi censuram; atque Hollweck (« Die kirchlichen Strafgesetze » § 163, not. 2, anno 1899) dicit rationem primariam, ob quam ante codicem plures putabant pro matre ipsa statutam non fuisse censuram propter abortum, esse quod metus gravis a censura excuset; hic enim metus vulgo matrem ad crimen abortus confugere facit, ast multoties, ne dicam quasi semper, metus ille est ab intrinseco ob periculum scil. infamiae, ob impossibilitatem alendi prolem maxime numerosam, ob timorem ne tristitia afficiantur honesti parentes nata prole illegitima.

III. Liceat nunc mihi proponere lectori aliquot rationes, quae forsan probabilitatem sententiae, saltem in iure poenali metum ab *intrinseco* admittentis tanquam iuridicam causam excusationis a poena, aliquo modo vindicant.

1°. Fatendum utique est *extra ius poenale* in codice, ubi quaestio est de metu, agi de metu ab extrinseco, ut clare patet ex vocibus adiectis; sic v. g. in cc. 103 § 2, 185, 1087, 1307 § 2, 1684 sermo est de metu « iniuste incusso », iniustitia autem est a causa extrinseca libera; in aliis canonibus usus fit verborum quae relationem cum causa extrinseca libera satis denotant, v. g. vox « adactus » in c. 169 § 1, 1°, « coactus » in c. 214 § 1, « inductus » in c. 542, 1, « constrictus » in c. 1095 § 1, 3°, « extortum » in c. 1317 § 2, « invitus cogatur » in c. 1351, « qui metum intulerit » in c. 1685; in solo c. 572 § 1, 4 verba « professio sine... metu gravi... emittatur » non tam clare causam extrinse-

[7] Wernz « Jus decret. » I n. 497; A. S. S. XIII p. 501 sq. (praecipue p. 506); c. 2, 4, X, de his, quae vi I, 40.

cam liberam indicant; attamen iuxta communiorem sententiam [8] hic quoque de metu ab extrinseco sermo est tam ob comparationem cum c. 1307 § 3, ubi de votis privatis agitur, quam ob principium c. 103 § 2, in quo evidenter de metu ab extrinseco codex loquitur, quia in c. 572 § 1, 4° de *valore actus* quoque aliquid statuitur. — Immo *in iure poenali* solummodo ubi nihil proponitur de poena incurrenda, sed regula adducitur v. g. de actu remissionis poenae (c. 2238), in qua de valore actus itaque sermo est, evidenter iterum ex verbis adiectis « metu gravi *extorta* » solus metus ab extrinseco consideratur [9]. — Ubi autem in iure *poenali* rationes afferuntur quae meditandae sunt ut dirimatur utrum causa sufficiens fuerit posita sive pro delicto sive pro poena, voces sunt valde generales, atque nihil additur, quod ad *solam* causam *extrinsecam liberam* metus alludit; « metus quoque gravis » dicitur in c. 2205 § 1, « ob gravem metum delinquens egerit » in c. 2218 § 1, « metus gravis » in c. 2229 § 3, 3. Nota quoque, in codice adiecta ad c. 103 § 2, reducit quidem ad cc. 169 § 1, 185, 572 § 1, no. 4, 1087, 1307 § 2, 1217 § 2 in quibus de valore actus agitur, dum de cc. 2205, 2218, 2229 ex iure poenali ne unus quidem enumeratur.

2.° Aliae rationes ex rei natura, consideratis aliis quoque legibus ecclesiasticis, metum quemlibet gravem etiam ab intrinseco a censura excusare suadere videntur, nisi clare probetur pro poenis quoque iuridice metum ab intrinseco non considerari.

Quae enim excusant a gravi peccato contra legem ecclesiasticam, pariter excusant a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae (c. 2218 § 2). Metus autem quilibet

[8] Fanfani « De jure religiosorum » n. 242 putat sufficere metum ab intrinseco.

[9] Eichmann quoque (« Kirchenrecht » 1934, II p. 351), agens de metu in ordine ad censuras, nullam ingerit distinctionem inter metum ab extrinseco et ab intrinseco; ubi vero metum considerat in ordine ad valorem actus juxta principium c. 103 § 2 (I p. 127), affert praeter plures canones a nobis supra allatos, ex jure poenali unicum c. 2238.

gravis, ab intrinseco quoque, ab ipso praecepto Ecclesiae per se excusat, quia lex debet manere moraliter possibilis. Quare generali modo enuntiat c. 2205 § 2: « metus gravis plerumque delictum... penitus tollit », quia ut ait Berutti [10] « metus quoque vehementissimus imputabilitatem delicti omnino tollit, si inculpabilis est ».

Lex quoque ecclesiastica cum *gravi incommodo* legi extrinseco non obligat, unde iuxta c. 2205 § 2 grave incommodum delictum plerumque penitus tollit. Incommodum vero grave est legem ecclesiasticam observare cum metu gravi [11], etiam ab intrinseco [12], estque hoc incommodum accidentale seu legi extrinsecum. Scio sane in c. 2205 § 2 non agi de actu intrinsece malo, uti est procuratio abortus, cuius imputabilitas ex metu gravi vel ex gravi incommodo diminuitur quidem, non autem aufertur (c. 2205 § 3); sed argumentum hoc nostrum in genere tantum probare conatur metum gravem ab intrinseco quoque a censura excusare posse [13].

Deinde « censura punitur tantummodo delictum... cum *contumacia* coniunctum » (c. 2242 § 1); ille autem, qui legem ecclesiasticam violat ex *metu gravi haberi nequit* pro contumace seu ecclesiasticae auctoritatis contemptore,

[10] « De delictis et poenis », p. 23.

[11] « Metus gravis, ait De Meester (Compend. III n. 1718), regulariter a poena l. s. excusat..., nam leges humanae sub tanto incommodo obligare non solent ». Ponit S. Alphonsus (VII n. 46) quaestionem: « An metus gravis excuset a censura », nullam ingerens distinctionem relate ad « ab extrinseco » vel « ab intrinseco ». Et respondet: « Si res est vetita jure tantum ecclesiastico, certe excusat, quia praecepta humana non obligant cum incommodo gravi ». Eodem modo v. g. Cocchi « De delictis et poenis » no. 43.

[12] Wernz-Vidal (« Ius can. VII no. 87) metum ab intrinseco dicit inducere *necessitatem*; ast necessitas gravis quoque delictum plerumque tollit (c. 2205 § 2), et a censura itaque regulariter excusat.

[13] Ut iam dixi, ex resp. Comm. Cod. 30 Dec. 1937 certum est gravem metum excusare a censura, etiamsi actio sit intrinsece mala. « Actus », ait Noldin l. c. « ex metu positus potest esse peccatum contra legem divinam, at peccatum non est contra legem Ecclesiae, quae cum gravi incommodo non obligat ».

cum naturae potius infirmitate quam obstinatae voluntatis malitia peccet [14]; ratio autem adducta videtur tam pro metu ab extrinseco quam pro metu ab intrinseco valere, cum in utroque casu potius ex infirmitate legis fiat transgressio.

Tandem metus ab *intrinseco* sive gravis sive immo levis imminuit imputabilitatem, unde secundum c. 2229 § 2 excusat a censura si lex habet verba *praesumpserit, scienter* etc. Non autem perspicitur ratio, cur metus gravis in eodem canone 2229 ab extrinseco esse debeat in § 3, dum pro § 2 ab intrinseco quoque valet metus ad effectum excusationis a poenis latae sententiae.

Nonne ad ultimum c. 6, 2° et 4° hic quoque applicandus est? *Conclusio.* Consideratis rationibus supra allatis, atque vigente iuxta cc. 19 et 2219 § 1 principio de stricta et benigniore interpretatione pro legibus, quae poenam statuunt, videtur *saltem practice* metus gravis *ab intrinseco* quoque excusare a poena ecclesiastica; quare Anna directe sibi procurans abortum ex metu gravi intrinseco infamiae censuram excommunicationis statutam in c. 2350 § 1 non videtur incurrere, cum procuratio abortus directa, delictum sane intrinsece malum, certo non vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis, nec in publicum animarum damnum cedere videatur.

H. Beijersbergen S. I.

---

[14] Cappello « De censuris » no. 60, 3; eodem modo ratiocinatur De Meester l. c. no. 1719, Salucci l. c. I p. 145 not. 3, Wernz « Jus decretalium » VI no. 158. Si autem agitur de re prohibita ex lege naturali, ait De Meester : « etsi a culpa non excusatur, tamen poenam ab Ecclesia alias statutam non incurrit, quia sic delinquens nequit pro contumace haberi et ecclesiasticae potestatis contemptore ». S. Alph. sic ait (VII. 46): « et ideo, qui ob gravem metum patraret homicidium vetitum sub censura, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia non peccaret contra ius Ecclesiae, contra cuius potestatem specialis iniusta contumacia ad censuram requiritur ».

De laudibus carolinis.

Laudum carolinarum nomine significamus statam ac liturgicam quandam formam Summo Pontifici, imperatori, Francorum aliorumque populorum regi, huiusque iudicibus atque exercitui adclamandi beneque precandi. Proprium autem istius formae est quod singulis adclamationibus invocationes quaedam Christi redemptoris, Beatae Virginis Mariae aliorumque sanctorum, quales fere in litaniis fieri solent, subiunguntur. Qui adclamationum et invocationum contextus plerumque doxologiis pluribus ornatur, inter quas primarium atque amplissimum locum ob-

---

Documenta.

ALBINUS (Cardinalis et episcopus Albanensis, o. saec. XII ex.), *Gesta pauperis scolaris Albini*, lib. X et XI (e cod. Vaticano, Ottob. lat. 3057), edit. L. DUCHESNE, *Le liber censuum*, t. II, pp. 85-137).

BENEDICTUS (S. Petri canonicus, o. post 1143), *Liber politicus* (scr. annis 1140/1143), edit. L. DUCHESNE, *Le liber censuum*, t. II, p. 139-177; edit. I. MABILLON, *Ordo romanus XI*, PL 78, 1025-1054.

Caeremoniale romanum editum iussu GREGORII X (1271-1276), edit. I. MABILLON, *Ordo romanus XIII*, PL 78, 1105-1112; edit. (prioris partis tantum) M. ANDRIEU, *Le pontifical romain*, t. II, p. 525-541.

IACOBUS CAIETANUS DE STEPHANESCIS (Cardinalis, o. 1343), *Ordinarium Sanctae Romanae Ecclesiae*, edit. I. MABILLON, *Ordo romanus XIV*, PL 78, 1121-1274.

CENCIUS CAMERARIUS (Cardinalis, postea Honorius papa III, 1216-1227), *Liber censuum Romanae ecclesiae a Centio Camerario compositus secundum antiquorum patrum regesta et memoralia diversa anno Incarnationis M°C°XC°II°, Caelestini papae III anno II°*, edit. P. FABRE et L. DUCHESNE, *Le Liber censuum*, t. I, p. 1-600; edit. I. MABILLON, *Ordo romanus XII*, PL 78, 1063-1102.

AUGUSTINUS PATRITIUS PICCOLOMINEUS (Episcopus Piensis,

tinet celebre praeconium: « Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat ». Hoc namque in amplioribus laudibus usque quindecies vel vicies vel etiam crebrius iterandum est. Porro praeter Summum Pontificem, imperatorem, regem, alii quoque homines principes saepenumero istis laudibus, etiam nominatim, salutantur: imperatoris vel regis filii, imperatrix vel regina, cardinalis, loci episcopus.

Easdem laudes vocamus carolinas, quia earum ortus coniungendus videtur cum initiis novae illius ac praecipuae societatis quam inter Sanctam Sedem suaque regna priores reges carolingici et imprimis Carolus Magnus instituerunt.

---

o. 1496), Caeremoniale romanum (regn. Innocentio VIII, 1484-1488, conscr.), Cod. Vaticanus lat. 4738 (saec. XV/XVI). Edit. Christophori Marcelli (Corcyrensis episcopi electi, o. 1527), *Rituum Ecclesiasticorum sive sacrarum cerimoniarum S. S. Romanae Ecclesiae Libri tres non ante impressi* (Venetiis, 1516); edit. recentiores: 1560, 1572, 1573, 1584, 1750-1751.

Editiones.

M. Andrieu, *Le pontifical romain au moyen-âge*, T. I. *Le pontifical romain du XII^e siècle* (Studi e Testi, 86), Città del Vaticano, 1938.

- *Le pontifical romain au moyen-âge*, T. II. *Le pontifical de la Curie romaine au XIII^e siècle* (Studi e Testi, 87), Città del Vaticano, 1940.
- *Les « Ordines romani » du moyen-âge*, T. I. *Les manuscrits* (Spicilegium Sacrum Lovaniense, II), Louvain, 1931. — Ordines in isto opere ab auctore percensiti littera A indicavimus: A. XL, A. XLV, etc.

P. Fabre et L. Duchesne, *Le liber censuum de l'Eglise Romaine*, t. I et II, Paris, 1910. — Quoniam omnia documenta quae ad nostram rem pertinent a L. Duchesne edita sunt, hunc tantum nominavimus.

I. Mabillon, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, tomi I-IV, edit. Antverpiensis, 1763-1764.

I.

LAUDUM CAROLINARUM EXEMPLA PERCENSENTUR

Complura sunt nobis servata laudum carolinarum exempla: alia sine ullo proprio liturgico contextu in variis codicibus exhibentur, alia comprehenduntur ordinibus romanis de ordinatione atque coronatione Summi Pontificis, alia iisdem ordinibus de coronatione imperatoris, alia libris caeremonialibus ecclesiae Romanae, alia diariis magistrorum caeremoniarum memorantur, alia denique reperiuntur in libris liturgicis (pontificalibus, ordinariis, lectionariis, antiphonariis, etc.) ecclesiarum Franciae, Germaniae, Italiae quae ritu romano utebantur.

En indicem aliquem eorum exemplorum quae adhuc in lucem prodierunt vel a nobis hic eduntur.

A. Exempla sine proprio contextu liturgico.

1. In codice quodam Vesontionensi a Petro Fr. Chifflet repertum, a Ioanne Mabillon editum, *Vetera analecta*, t. II, 1676, p. 687-688; PL 138, 887-888.Qui codex ex. saec. VIII exaratus, est nunc Montis Pessulani, Bibl. de l'Ecole de Médecine, 409. Continet praeter alia psalterium latinum cum veteri interpretatione. DACL, XI, 2700. Ipsas laudes praecedunt litaniae quaedam sanctorum, subsequuntur vero aliae, sed hae prioribus multo breviores. De istis litaniis v. A. Algeier, *Die Litaniae Carolinae und der Psalter von Montpellier*, in *Festschrift Eichmann*, p. 245-262.

In laudum ipsarum septem adclamationibus nominantur: Hadrianus papa I, 772-795; Carolus Magnus, rex Francorum, 771, et Longobardorum, 774, patricius Romanorum, 773; huius filius primogenitus, Pipinus, cognomine Gibber, qui

prius patri in gubernando regno sociatus, postea ob factam seditionem, 792, monasterio Sangallensi, deinde Prumiensi clausus est (o. 794); eiusdem filius secundus, Carolus, et ipse patris in gubernio socius, deinde rex Neustriae orientalis, 788/789, o. 811; tertius, antea Carlomannus, deinde Pipinus vocatus, rex Longobardorum, 781, o. 810; quartus, Ludovicus, rex Aquitaniae, 781, patris in regno et in imperio successor, 814 (o. 840); Fastrada, tertia Caroli Magni uxor, 783, o. 794. Exemplum hoc igitur scriptum est annis 783/787 vel 788. Sancti ecclesiarum exterarum: Mauricius, Martinus, Remigius. Litaniae quidem quae laudes praecedunt, usum ecclesiae Suessionensis spectare videntur. I. MABILLON, o. c., p. 689-690; non est tamen inde concludendum etiam laudes ad illam ecclesiam pertinere. Certe earum textus inter omnes qui adhuc reperti sunt, antiquissimus est; quare utile duximus eum hic ob lectoris oculos ponere.

. . . . . .

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. *III.*

Exaudi Christe. Adriano summo pontifice et universale papae vita.
Redemptor mundi. Tu lo iuva.
Sancte Petre. Tu lo iuva.
Vel alius sanctos quales volueris.

Exaudi Christe. Karolo excellentissimo et a deo coronato, magno et pacifico rege Francorum et Langobardorum, ac patricio Romanorum vita et victoria.
Salvator mundi. Tu lo iuva.
Sancte Iohannis. Tu lo iuva.
Vel alius sanctus qualis volueris.

Exaudi Christe. Pipino et Karolo nobilissimis filiis eius vita.
Sancti illius quales volueris.

Tu lo iuva.

Exaudi Christe. Pipino rege Langobardorum vita.

Sancti Mauricii. Tu lo iuva.
Vel alius sanctos quales volueris.

Exaudi Christe. Chlodovio rege Aquitaniorum vita
Sancte Martine. Tu lo iuva.
Vel alius sanctos quales volueris.

Exaudi Christe. Fastraedanae reginae salus et vita.
[Sancta ? Tu la iuva.]
Alias virgines Christi quales volueris.

Exaudi Christe. Omnibus iudicibus vel cuncto exercitui Francorum vita et victoria.
Sancte Remegii. Tu lo iuva.
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

. . . . . .

2. In codice Parisiensi, Bibl. nat., lat. 13159, saec. VIII[1] ex. vel IX[1] in., fol. 163*r*. Continet psalterium. Exemplum hoc editum est a L. DUCHESNE, *Liber pontificalis*, t. II, p. 37-38; DACL, VIII 1902-1903. Nominantur: Leo papa III, 26. XII. 795-816; Carolus Magnus, rex Francorum, 771, et Langobardorum, 774, patricius Romanorum, 773; eius « regalis proles ». Quoniam igitur Carolus in iis nondum imperator nuncupatur, aestimandum est has laudes annis 795/800 scriptas esse. Sancti ecclesiarum exterarum: Genovefa, Columba (mart. Suessione 270/275), Hilarius, Mauricius, Dionysius, Crispinus et Crispinianus (martyres Suessione, 285 vel 286), Gereon (ex legione Thebana, mart. ad Coloniam Agrippinam, 304).

3-5. Praeter laudum textum quem e codice Parisiensi, Biblioth. Nat. lat. 13159, edidit, duo vel tria alia similia et eiusdem aetatis exempla codice adesse, fol. 164*v* et ss., affirmat L. DUCHESNE, *Liber pontificalis*, t. II, p. 37-38. De iisdem tribus textibus agit H. LECLERCQ, v° *Paris* (*Manuscrits liturgiques*), DACL, t. XIII, 2116-2117; v° *Gallicane* (*Liturgie*), DACL, t. VI, 586; cfr. etiam ANGILBERTUS abbas Centulensis, *Statuta quaedam rubrica*, PL 99, 850 C. Verum ab adeundis istis documentis, quae videntur magnum habere in nostra re momentum, iniquitate temporum prohibiti sumus.

6. In codice Mettensi, Bibl. municipale, lat. 351, saec. IX ex., fol. 76*r*. A nobis hic primum editur. Nullum nomen proprium adest. Post papam autem adclamatur imperatori;

praeterea has laudes sequuntur in eodem codice (fol. 77*v*) carmina quaedam in adventu imperatoris vel praesulis recitanda, quae ad tempus Caroli Calvi pertinere videntur, et laudes graecae, quae circa annum 785 scriptae sunt. Vide litt. A, n. 10. Nomina autem sanctorum et sanctarum quae adclamationem episcopi excipiunt et maxima ex parte eadem sunt atque ilia quae in laudibus a M. Goldast editis adclamationem prolis regalis subsequuntur, demonstrant in hoc Mettensi exemplo adclamationem episcopi in locum adclamationis regalis prolis esse suppositam. Omnia haec documenta ad ecclesiam Mettensem spectant. Sancti exterarum ecclesiarum: Eulalia (virg. et mart. Barcinone, 305), Genofeva, Columba, Hilarius, Martinus, Mauricius, Dionysius, Gereon.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. *III.*
Exaudi Christe. *III.* Illi summo pontifici et universali papae vita.
Salvator mundi. Tu illum adiuva.
Sancte Petre. Tu illum.
Sancte Paule. Tu illum.
Sancte Andrea. Tu illum.
Sancte Clemens. Tu illum.
Sancte Syxte. Tu illum.

Exaudi Christe. *III.* Illi imperatori vita et victoria.
Redemptor mundi. Tu illum adiuva.
Sancta Maria. Tu illum.
Sancte Michahel. Tu illum.
Sancte Gabrihel. Tu illum.
Sancte Raphahel. Tu illum.
Sancte Iohannes. Tu illum.

Exaudi Christe. *III.* Illi reginae salus et vita.
Sancta dei genitrix. Tu illam adiuva.
Sancta Perpetua. Tu illam.
Sancta Agatha. Tu illam.
Sancta Eulalia. Tu illam.

Exaudi Christe. *III.* Illi pontifici salus perpetua.
Sancte Stephane. Tu illum adiuva.

Sancte Silvester. Tu illum.
Sancte Laurenti. Tu illum.
Sancte Pancrate. Tu illum.
Sancta Petronilla. Tu illum.
Sancta Agnes. Tu illum.
Sancta Cecilia. Tu illum.
Sancta Anastasia. Tu illum.
Sancta Genofeva. Tu illum.
Sancta Columba. Tu illum.

Exaudi Christe. *III.* Omnibus iudicibus vel cuncto exercitui Francorum vita et victoria.
Sancte Hilari. Tu illos adiuva.
Sancte Martine. Tu illos.
Sancte Maurici. Tu illos.
Sancte Dionisi. Tu illos.
Sancte Gereon. Tu illos.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Lux, via et vita nostra. Christus vincit.
Rex regum. Christus vincit.
Gloria nostra. Christus vincit.
Misericordia nostra. Christus vincit.
Spes nostra. Christus vincit.
Auxilium nostrum. Christus vincit.
Fortitudo et vita nostra. Christus vincit.
Prudentia et temperantia nostra. Christus vincit.
Arma nostra invictissima. Christus vincit.
Liberatio et redemptio nostra. Christus vincit.
Murus noster inexpugnabilis. Christus vincit.
Victoria nostra. Christus vincit.
Defensio et exaltatio nostra. Christus vincit.

Ipsi soli imperium, gloria et potestas per immortalia secula seculorum. Amen.
Ipsi soli honor laus et iubilatio per infinita secula saeculorum. Amen.
Ipsi soli virtus, fortitudo et victoria per omnia secula seculorum. Amen.
Christe audi nos. *III.*
Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Te pastorem. *III.* R. Deus elegit.
Te in sede. *III.* R. Deus conservet.
Annos vitae. *III.* R. Deus multiplicet.

Simul omnes.
Feliciter, feliciter, feliciter.
Tempora bona habeas, tempora bona habeas, tempora bona habeas.
Multos annos. R. Amen.

7. In codice quodam Sangallensi. Editum a M. Goldast ab Haiminsfeld, *Rerum Alemannicarum scriptores aliquot vetusti*, t. II, p. 175; DACL, VIII, 1903-1904. Nominantur: Nicolaus papa I, 858-867; Ludovicus I, Germanicus cognomine, rex Bavariae, 817, rex Germaniae, 843, o. 876; Emma regina, 827, o. 876; « nobilissima proles regalis ». Ergo annis 858/867 conscriptum est exemplum. Sancti exterarum ecclesiarum: Petronilla, Nazarius, Genovefa. Columba, Hilarius, Martinus, Mauricius, Dionysius, Albanus (presb., mart. Moguntiae 406), Crispinus et Crispinianus, Gereon.

8. In alio quodam codice Sangallensi. Huius exempli altera tantum pars servata est, cum formula *Hanc diem.* Edita est ab Henrico Canisio, *Antiquae lectiones*, t. V, p. 735-736; edit. Iac. Basnage, *Thesaurus monumentorum ecclesiasticorum et historicorum*, t. II, iii, 1725, p. 195. Nullum adest nomen proprium. Ab editore ad annum 894 et ad ecclesiam Sancti Galli refertur.

9. In codice Vindobonensi, Nationalbibliothek, lat. 1817, saec. XII med., fol. 183*v*-184*r*. Editum a M. Gerbert, *Monumenta veteris liturgiae alemannicae*, t. II, p. 110; PL 138, 1119-1122. Qui codex, praeter alia, apographum continet antiquioris cuiusdam pontificalis Passaviensis ecclesiae. Nominantur: Silvester papa II, 999-12. V. 1003; Henricus II, rex Germaniae, elect. atque cor. 7. VI. 1002, rex Italiae, cor. 14. V. 1004, imperator, 14. II. 1014. Mentionem autem episcopi (sine nomine proprio) pro mentione reginae substitutam esse videtur; illam enim non sequuntur nisi sanctarum feminarum invocationes. Quare hoc exemplum scriptum esse censemus inter coronationem Henrici, 7. VI. 1002, et coronationem Cunigundae eius uxoris, quae die 10. VIII. 1002 acta est. Sancti ecclesiarum exterarum: Apollinaris, Mauricius, Dionysius, Willibaldus (episc. regionalis et missionarius; patronus Bavariae), Albanus, Martinus.

Qualis autem sit laudum forma in omnibus istis documentis, bene exprimit exemplum latinum quod e codice Mettensi 351 descripsimus.

10. In codice Mettensi, Bibliothèque municipale, lat. 351, saec. IX ex., fol. 78*r*. Exemplum laudum carolinarum graecum. Nominantur: Ioannes papa VIII, 872-882; Ludovicus I, Germanicus cognomine, rex Germaniae, 843, o. 28. VIII. 876; « regales et imperiales »; Walo, Mettensis episcopus, 875/6-882. Scriptum est igitur anno 875 ex. vel 876. Porro mense novembri a. 875 Ludovicus per Mettas transiit. E. DUEMMLER, *Jahrbücher der deutschen Geschichte*, *Geschichte des Ostfränkischen Reiches*, t. II, p. 391.

Harum laudum geminum textum hic proferimus. Prior, litteris latinis scriptus, ille ipse est quem praebet codex, cum omnibus suis lacunis, erratis, ac mendosis glossis. Alter est textus a nobis litteris graecis redditus, ad exemplum vero ceterarum laudum completus atque emendatus, ut lectori pro prioris textus interpretatione sit.

vincit *regnat* *superlaudabilis*
Christo nichi, Christo vasileuge, Christo epenos.

nos servi regis
Emis duliton uasileon.

multi
E R. P. Iohanni apostolicu papa pollata
anni
eti.

serva illum
5 A R. P. Filaxon autu.

Χριστῷ νίκη. Χριστῷ βασιλεύγη, Χριστῷ ἔπαινος.

Ἡμεῖς δούλοι τῶν βασιλέων.

Ἐ[πάκουσον Χριστέ]. R. P. Ἰωάννου ἀποστολικοῦ πάπου πολλὰ τὰ ἔτη.

5 Ἄ[γιε Πέτρε]. R. P. Φύλαξον αὐτόν.

regi
Ei R. P. Pollata eti Ludouuicu. Uasileon *et eius potestati multi anni* keaptu kratoron pollata eti.

magno sa-
Ei R. P. Uualon megalu episcopu so-*lus in saeculum*
thiria eiston eona.

tu illum ad iuva
S R. P. Siauton uo etheson.

serva illum
Panagia. R. P. Filaxon autu.

A R. P. Filaxon autu.

con serva illum
Johann ... apostoli. R. P. Diafilaxon autu.

multiplica tu deus tempora illius
Polietesi otheos tus chronos autu.

augeat plenitudinem temporis vite eius
Epiplion plithini otheos tus orus tis zoisautu.

Laus tibi
Enosi. R. P. Filaxon autu.

Ἐ[πάκουσον Χριστέ]. R. P. Πολλὰ τὰ ἔτη Λυδουυίκου. Βασιλέων καὶ αὐτοκρατόρων πολλὰ τὰ ἔτη.

Ἐ[πάκουσον Χριστέ]. R. P. Ὑυάλον μεγάλῳ ἐπισκόπῳ σωτηρία εἰς τὸν αἰῶνα.

Σ[ῶτερ τοῦ κόσμου]. R. P. Σὺ αὐτὸν βοήθησον.

Παναγία. R. P. Φύλαξον αὐτόν.

Ἅ[γιε Μιχαήλ]. R. P. Φύλαξον αὐτόν.

Ἰωάννα ἀπόστολε. R. P. Διαφύλαξον αὐτόν.

Πολυέτει, σὺ ὁ Θεός, τοὺς χρόνους αὐτοῦ.

Ἐπιπλεῖον πλήθυνε, ὁ Θεός, τοὺς ὅρους τῆς ζωῆς αὐτοῦ.

Αἶνός σοι. R. P. Φύλαξον αὐτόν.

gloria laus superlaudatio
Christo doxa, Christo eno, Christo epenos.

regi regum
Uasileu uasileon. Christo doxa, ut supra.

spes nostra
Elpis imon. Christo doxa, similiter.

gloria nostra
Doxa imon. Christo doxa, similiter.

auxilium nostrum
Hiuo ethia imon. Christo doxa, similiter.

misericordia nostra
Tueleu kelutrosin imon. Christo doxa, similiter.

fortitudo et vita nostra vel virtus
Ischis kae zoi imon. Christo doxa.

omnem patriam et urbem et omnes urbes et villas
Pampatrida chepolin chepasan polin chechora.

Kyrrie sistison.

et nos
Kemas. R. P. Christos diafilaxi.

nunc et in secula seculorum
Nin cheistus eonas ton eonom. Amin.

Χριστῷ δόξα, Χριστῷ αἶνος, Χριστῷ ἔπαινος.

Βασιλεὺς βασιλέων. Χριστῷ δόξα, ut supra.

Ἐλπὶς ἡμῶν. Χριστῷ δόξα, similiter.

Δόξα ἡμῶν. Χριστῷ δόξα, similiter.

Ἡ βοήθεια ἡμῶν. Χριστῷ δόξα, similiter.

Τὸ ἔλεος καὶ λύτρωσις ἡμῶν Χριστῷ δόξα, similiter.

Ἰσχὺς καὶ ζωὴ ἡμῶν. Χριστῷ δόξα.

Παμπατρίδα καὶ πόλιν καὶ πᾶσαν πόλιν καὶ χώραν.

Κύριε σὺ στῆσον.

Καὶ ἡμᾶς. R. P. Χριστὸς διαφυλάξῃ.

Νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

		Deus elegit
Aut	R. P.	Christos exelexon.
		conservet
The	R. P.	Otheos diafilaxe.
		multiplicet
Fti	R. P.	Otheos eplethin.
Polla eti.	R. P.	Amin.
Kaeaptu kratoroe.		

[Σὲ ποιμένα].	R. P.	Ὁ Θεὸς ἐξέλεξε.
[Σὲ ἐν τῇ ἕδρᾳ].	R. P.	Ὁ Θεὸς διαφυλάξῃ.
Ἔτη[τῆς ζωῆς].	R. P.	Ὁ Θεὸς πληθύνῃ.
Πολλὰ ἔτη.	R. P.	Ἀμήν.
[Βασιλέως] καὶ αὐτοκράτορος		

1 Christo ... Christo ... Christo] Christus ... Christus ... Christus, *sed ter e. m. corr.* in Christo βασιλεύγη] *de hoc verbo v.* D. Dimitrakos, Μέγα λέξικον τῆς ἑλληνικῆς γλωσσῆς t. II. v° βασιλεύγω **3** Ἰωάννου, *etc.*] *adclamatio* Πολλὰ τὰ ἔτη *numquam enim usurpatur nisi cum genitivo* **6** et **9** Ἐπάκουσον] *lectio enim* Ei *certa non est; verbum autem integrum scriptum esset* Isacuson **6** eti] ehi, *sed corr.* **7** eti] egti, *sed litt.* g *expunct.* **15** augeat - eius] *in marg. suppl.* **22** kelutrosin] keautrosin, *sed e. m. corr.* **24** patriam] vel familiam *adscr. in marg.* villas] vel regiones *adscr. in marg.*

B. In ordinibus romanis ordinationis et coronationis papae.

Antiquissimus ordo, seu ordo A. XL, *Psallunt secundum consuetudinem* (iam adest in Libro diurno saec. VII, edit von Sickel, 1889, p. 46-47) et ordo *Primicerius cum schola* in pontificali romano saeculi XII et XIII, edit. M. Andrieu, t. I, p. 249-250, t. II, p. 369-370, ordinationem papae dumtaxat spectat; cantus vero laudum cum impositione pallii et coronatione coniungebatur.

Textum laudum continent:

1. Ordo *Mortuo romano pontifice et sepulto*, apud ALBINUM, *Gesta*, lib. XI, 3, edit. L. DUCHESNE, *Le Liber censuum*, t. II, p. 124, et apud CENCIUM, *Liber Censuum*, LVIII, ibid., t. I, p. 312. Ipsum quidem laudum textum hoc loco neuter profert, sed illum eundem fuisse affirmant qui in maioribus anni sollemnitatibus usurpabatur. De quo vide sect. D.

2. Ordo *Quia omnis potentatus* in *Caeremoniali* GREGORII X, edit. M. ANDRIEU, *Le pontifical romain*, t. II, 1940, p. 533-534 (num. 40); edit. I. MABILLON, PL 78, 1109 D - 1110 B (num. 7).

3. Ordo *Romana ecclesia pastore vacante* in *Ordinario romano* CAIETANI, XVI-XVII, PL 78, 1129 D - 1130 B.

4. Ordo *Imprimis ipse qui consecrandus est*, quem continet recensio tertia pontificalis romani saeculi XIII, edit. M. ANDRIEU, o. c., num. 24-26, p. 375, atque *Ordinarium romanum* CAIETANI, XLV, PL 78, 1142 BC (cfr. 1129 D - 1130 B).

5. Ordo *In primis summo mane*, apud eundem CAIETANUM, *Ordinarium romanum*, XXXI, PL 78, 1136 BC (cfr. 1129 D - 1130 B).

6. *Caeremoniale Romanum* PATRITII, cod. Vat. lat. 4738 (saec. XV/XVI); edit. CHRISTOPHORI MARCELLI, 1582, fol. 24*v*-25*r*.

Textus autem laudum in istis documentis hic est:

Exaudi Christe.	Domino nostro N. a Deo decreto summo pontifici et universali papae vita.
Salvator mundi.	Tu illum adiuva.
Sancta Maria.	Tu illum adiuva.
Sancte Michael.	» » »
Sancte Gabriel.	» » »
Sancte Raphael.	» » »
Sancte Iohannes.	» » »
Sancte Petre.	» » »
Sancte Paule.	» » »
Sancte Andrea.	» » »
Sancte Stephane.	» » »
Sancte Laurenti.	» » »
Sancte Vincenti.	» » »

Sancte Silvester. Tu illum adiuva.
Sancte Leo. » » »
Sancte Gregori. » » »

Sancte Benedicte. » » »
Sancte Basili. » » »
Sancte Saba. » » »

Sancta Agnes. » » »
Sancta Cecilia. » » »
Sancta Lucia. » » »

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

In ordine quidem *Caeremonialis* Gregorii X et in cunctis ordinibus recentioribus omissa sunt nomina ss. Laurentii, Vincentii et Silvestri, sed perperam, ut postea ostendemus.

C. In ordinibus coronationis imperatoris.

Horum ordinum quoque antiquissimus, seu ordo A. XLV, *In nomine Christi promitto*, qui etiam ordo *Cencii Ius* vocari solet, et in pontificali romano saeculi XII et XIII servatus est, edit. M. Andrieu, *Le pontifical romain*, t. I, p. 251-252, t. II, p. 382-385, laudum ne mentionem quidem facit. Edit. L. Duchesne, *Le liber censuum*, t. I, p. 420-421; M. Andrieu, *Le pontifical romain*, ll. cc.

Textum autem ordinis A. XLVI, *Dum venerit rex ad ecclesiam*, edit. G. Waitz, *Die Formeln der Deutschen Koenigs- und der Roemischen Kaiser-Kroenung* (Aus dem XVIII. Bande d. Abhandl. d. Koenigl. Gesellschaft d. Wissensch. zu Goettingen), 1872, p. 67-68, inspicere non potuimus.

Sed textum laudum complectuntur:

1. Ordo A. XLVII, seu *Benedictio ad ordinandum imperatorem secundum occidentales* (*Exaudi, Domine, preces*), qui iam in compluribus codicibus saec. XI invenitur. Edit. Edm. Martène, *De antiquis ecclesiae ritibus*, 1763-1764, t. II, p. 207.

2. Ordo qui dicitur *Cencii IIus*, *Die dominico summo mane*, edit. L. Duchesne, *Le Liber censuum*, t. I, p. 5*. De codicibus quibus hic ordo continetur, v. M. Andrieu, *Les « ordines romani »*, t. I, p. 301-310. De illius aetate valde inter historicos disputatur. V. M. Andrieu, *Le pontifical romain*, t. II, p. 291-292;

E. EICHMANN, *Der Kaiserkrönungsordo « Cencius II »*, in *Miscellanea Francesco Ehrle*, t. II, p. 322-337. Codex Chisianus quo usus est E. MARTÈNE in sua editione, *De antiquis ecclesiae ritibus*, t. II, p. 304-305, est codex Chigi G. III. 74, de quo v. notam adiectam in fine articuli Ed. EICHMANN, p. 337.

3. *Ordo ad benedicendum seu coronandum imperatorem* (*Cum rex in imperatorem electus*) in pontificali romano saec. XIII, edit. M. ANDRIEU, t. II, p. 402, et apud CAIETANUM, *Ordinarium romanum*, CV, PL 78, 1243 AB (cfr. 1129-1130 A). Editus est quoque apud L. A. MURATORI, *Liturgia romana vetus*, Venetiis, 1748, t. II, p. 455-464; laudes autem leguntur p. 462-463.

4. *Caeremoniale romanum* PATRITII, cod. Vaticanus lat. 4738 (saec. XV/XVI); edit. CHRISTOPHORI MARCELLI, 1582, fol. 41*v*-42*r*.

Rursus *Ordo qualiter rex Teutonicus Romam ad suscipiendam coronam imperii venire debeat ibique per manum romani pontificis imperatorem coronari*, edit. M. ANDRIEU, *Le pontifical romain*, t. I, p. 254, hoc tantum habet de laudibus: « His peractis, Theutonicis in sua lingua cantantibus laudes, romanus pontifex ascendit ad cathedram suam », etc. De uno codice quo hic ordo continetur, v. M. ANDRIEU, o. c., p. 34-43.

Forma laudum in ordine A. XLVII et in ordine *Cencii II°* similis est formae laudum in documentis quae ad litteram A percensuimus. In ordine A. XLVII praeter s. Petrum unus tantum s. Theodorus invocatur; in ordine *Cencii II°* praeter tres archangelos et tres apostolos invocantur ss. Gregorius (sic, pro voce: Georgius), Mauricius, Mercurius. In ordine vero *Cum rex in imperatorem electus*, forma laudum plane eadem est atque in ordine ordinationis et coronationis papae, excepta ipsa adclamatione, quae haec est: « Domino N., invictissimo Romanorum imperatori et semper augusto salus et victoria ».

D. IN ORDINARIIS SEU CONSUETUDINARIIS ECCLESIAE ROMANAE.

1. In *Libro politico* BENEDICTI, in ipso ordinario, n. 19, edit. L. DUCHESNE, *Le Liber censuum*, t. II, 145-146; edit. I. MABILLON, PL 78, 1033 B; in eodem ordinario num. 22, edit. DUCHESNE, p. 146; PL 78, 1034 AC.

2. In eodem Benedicti opere in Appendice, n. 6, edit L. Duchesne, t. II, p. 171 (cfr. p. 91).

3. Apud Albinum, *Gesta*, lib. XI, 26 (i. e. in ipso ordinario), n. 34, edit. L. Duchesne, *Le liber censuum*, t. II, p. 131-132.

4. Apud eundem, *Gesta*, lib. X, 4, ibid., p. 91 (qui textus excerptus est ex Appendice *Libri politici* Benedicti, cuius mentio fit ad n. 2).

5. Apud eundem, *Gesta*, lib. X, 3, ibid., p. 90-91 (in creatione cardinalis).

6. Apud Cencium, *Liber censuum*, LVII (i. e. in ipso ordinario), edit. L. Duchesne, *Le Liber censuum*, t. I, p. 290-291; edit. I. Mabillon, *Ordo romanus XII*, I, 2, PL 78, 1064 A - 1065 B.

7. In *Ordinario romano* Caietani, LXX, PL 78, 1183 D - 1184 (sicut in *Libro politico* Benedicti, ad n. 19 ipsius ordinarii, quem supra indicavimus).

Caeremoniale romanum vero Patritii, in iis partibus quae ad annuas sollemnitates pertinent, nullam mentionem facit laudum.

Excepto textu quem praebet in appendice *Liber politicus* Benedicti, ceteri omnes laudum textus quos continent ordinaria seu consuetudinaria Romanae ecclesiae ad eam formam pertinent qua utitur ordo ordinationis et coronationis papae.

E. In diariis magistrorum caeremoniarum ecclesiae Romanae.

Ex istis documentis unum dumtaxat hic adducimus, id est diarium Ioannis Burckardi. Hic autem in suo *Libro notarum*, ubi de consecratione et coronatione Innocentii VIII, 12. IX. 1484 agitur, ter integram laudum formam refert. Edit. Henrici Celani, *Iohannis Burckardi Liber notarum ab anno MCCCCLXXXIII usque ad annum MDVI* (in Raccolta degli scrittori Italiani dal cinquecento al millecinquecento, Tom. XXXII, vol. I), 1907, p. 63-64; 66-67; 67.

Textus earum plane similis est illi quem supra ex ordinibus romanis ordinationis et coronationis papae descripsimus, nisi quod omittuntur nomina ss. Laurentii, Vincentii et Silvestri.

F. In libris liturgicis ecclesiarum Gallicarum, Germanicarum, Italicarum.

1. In codice quodam Arelatensi saec. X. Edit. a DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae latinitatis*, 1884, t. IV, p. 48; PL 138, 889-890; DACL, VIII, 1904-1905. Nullum nomen adest. Sancti ecclesiarum exterarum: Ferreolus (presb. et mart. Vesontionis, s. III), Antidius (episc. et mart. Vesontionensis, c. 411), Desiderius (episc. Vesontionensis, s. V in.), Mauricius, Sigismundus (rex Burgundiae et mart., 524), Victor (quis?), Walburga (abbatissa Heidenheimensis, 780), Mercurius.

2. In graduali Bambergensi saec. XII[1], Edit. in *AA. SS.*, mens. iul., t. III, p. 729-730. Omissis nominibus papae et episcopi (quamquam amborum adclamationes adsunt), nominantur: Henricus II, imperator, 14. II. 1014, o. 1024; Cunigunda regina (sic etsi una cum suo marito imperialem coronam accepit), o. 3. II. 1038; « nobilissima regalis proles ». Scriptum est igitur annis 1014/1024. Sancti ecclesiarum exterarum: Radegundis (regina, deinde monacha; nata in Thuringia, ob. ad Pictavium a. 587), Gertrudis (abbatissa Nivellis, o. 652), Mauricius, Landbertus (episcopus Traiecti ad Mosam, o. 708), Gereon, Martinus, Emmerammus (episc. et mart., saec. VII ex.).

3. In codice Bellovacensi. Edit. St. BALUZE, *Miscellanea*, t. II, p. 143 (edit. Lucensis, 1761, t. II, p. 285);PL 143, 865-866; DACL, VIII, 1905, 1907. Nominantur: Ioannes papa XVII, iun.-dec. 1003, vel Ioannes papa XVIII, 1003-1009; Rogerius episcopus Bellovacensis, 998-1022; Robertus II, rex Galliae, 996-1031; Constantia regina, 1003, o. 1032. Ergo scriptum est annis 1003/1009. Sancti ecclesiarum exterarum: Dionysius, Lucianus (patronus eccles. Bellovacensis, mart. 286/305), Iustus (mart. Bellovaci, 287). Praeterea in formula *Hunc diem* ss. Martinus, Remigius, Medardus (episc. Noviomensis et Tornacensis, o. c. 550).

4. In lectionario Vesontionensi (de quo vide DACL, II, 827-828; cod. 97) Edit. PL 80, 411-412. Textus harum laudum plene concordat cum eo quem praebet codex Arelatensis; hic fortasse codicis Vesontionensis exemplum fuit. Cfr. etiam DACL, VIII, 1904, post med.

5. In codice Remensi (?). Edit. in PL 138, 901-902. Sine nominibus. Sancti ecclesiarum exterarum: Nicasius (episc. Remensis, o. 407), Remigius, Rigobertus (archiep. eiusdem Ecclesiae, o. ante a. 743), Martinus, Dionysius.

6. In codice Elnensi (pontificali?). Edit. DU CANGE, *Glossarium*

mediae et infimae latinitatis, 1844, t. IV, p. 48-49. Sine nominibus.

7. In codice Suessionensi seu Parisiensi, Bibl. nat., lat. 8898, fol. 30-32, Edit. E. Martène, t. I, p. 133-134. Omisso nomine papae, nominantur: Philippus II Augustus, rex, 1179-1223; Isabela regina, 1180, o. 1190; Nivelo a Cherisy, episcopus Suessionensis, 1176-1207. Scriptum est igitur annis 1180/1190. Sancti exterarum ecclesiarum: Principius (episc. Suessionensis, saec. V), Ansaricus (episc. Suessionensis, o. c. 652), Gervasius et Protasius (mart. Mediolanenses; de translatione eorum reliquiarum tempore Friderici I imper. 1155-1190, v. Krieg, *Gervasius und Protasius*, in *Wetzer und Welte's Kirchenlexinon*, t. V, 1888, p. 489-491).

8. In codice quodam ad ecclesiam Aquileiensem pertinenti. Edit. a Ioanne Fr. B. M. de Rubeis, *Monumenta ecclesiae Aquileiensis*, Argentinae, 1740, cap. 62, n. II, p. 588-590; inde apud Cl. Fleury, *Disciplina populi Dei*, vers. lat., edit. alt., Venetiis, 1782, Dissertatio XXXVI, t. III, p. 156-157 (sed cum omissione graviore). Nominantur: Eugenius papa III, 1145-1153; Peregrinus, archiep., 1123-1162. Annis igitur 1145-1153 scriptum est. In iis laudibus distincte fiunt adclamationes imperatoris, imperatricis, regis et reginae; quare existimari potest eas esse tunc compositas, cum Berengarius I rex fuit Venetiae et Histriae, imperator vero Guido Spoletanus Italiae, deinde Arnulfus Germaniae, postea Ludovicus III Provinciae rex. Sancti exterarum ecclesiarum: Euphemia, Thecla, Felix, Fortunatus, Hermogenes, Erasma, Dorothea, Marcus, Hermagoras, Hilarius.

9. Alia porro exempla reperiuntur: in cod. Bellovacensi s. XII in., inde descriptum a Voisin in cod. Parisiensi Bibl. Nat., lat. 9497, fol. 182; in eodem codice Bellovacensi, descript. in eodem cod. Parisiensi, fol. 390; in cod. Carnotensi s. XII ex., descript. in eodem codice Parisiensi, fol. 172; in codice Carnotensi (eodem ?), descript. in cod. Parisiensi Bibl. Nat., lat. 9508, fol. 93; in cod. Parisiensi s. XII ex., descript. in cod. Parisiensi Bibl. Nat., lat. 9505, fol. 82; in cod. Carnotensi s. XIV, descript. in cod. Parisiensi Bibl. Nat., lat. 9499, fol. 92. Praeterea in pluribus aliis codicibus antiquis qui percensentur ab E. Martène, *De antiquis ecclesiae ritibus*, t. I, p. 133-134; 218-219; 233.

II.

DE LAUDUM CAROLINARUM STRUCTURA

Laudum carolinarum duo typi facile alter ab altero distinguuntur, longior videlicet a breviore.

Ad priorem typum pertinent laudes omnium illorum documentorum quae ad litteras A et F percensuimus, et praeterea laudes quas complectitur ordo coronationis imperatoris « *secundum occidentales* » (A. XLVII), ordo *Cencii II*[us] de eadem coronatione, Appendix *Libri politici* Benedicti, et Albini *Gestorum* lib. X, 4 (ad litteram D).

Quaenam autem sint notae laudibus huius typi propriae, quaenam sit earum compositio et ordinatio perspicue ostendit exemplum latinum quod e codice Mettensi 351 transcripsimus. Notae videlicet propriae sunt: 1. quod semper simul Summo Pontifici, imperatori vel regi, aliisque proceribus in iis adclamatur; 2. quod adclamationibus istis earumque litaniis semper adiungitur doxologia *Christus vincit*. Structura vero ordinaria earundem laudum haec est.

Inchoantur cantu praeconii *Christus vincit*, quae ter canendum est. Hoc peracto, fit Summi Pontificis adclamatio, quam excipiunt Christi Domini et aliquot sanctorum invocationes, cum responsione « Tu illum adiuva ». Deinde fiunt adclamationes imperatoris vel regis, episcopi, reginae, regalis prolis, singulasque adclamationes subsequuntur invocationes Christi (non semper) et plurium sanctorum. Quo ordine vero istae adclamationes inter se sequantur, non tam facile definitur. Primum locum post adclamationem papae obtinet plerumque adclamatio regis vel imperatoris, etiamsi in iisdem laudibus episcopi quoque adclamatio fit. Hanc namque in antiquioribus exemplis in locum adclamationis prolis regalis substitutam esse censendum

est; unde fit ut, si regina quoque adclamatio agitur, haec adclamationem episcopi antecedat . Vide, v. g., laudes graecas e codice Mettensi 351 (A, 10), laudes ab ecclesia Remensi olim adhibitas (F, 5), laudes latinas ex eodem codice Mettensi (A, 6), laudes e codice Vindobonensi lat. 1817 (A, 9). E quibus documentis deduci quoque potest morem episcopo in carolinis laudibus adclamandi saeculo IX ex. ortum esse. Saepius tamen adclamatio episcopi statim post adclamationem papae et ante adclamationem regis cantatur. Reginae vero adclamatio semper adclamationem imperatoris vel regis excipit, et ipsam subsequitur adclamatio regalis prolis. Novissima loco fit adclamatio iudicum et exercitus.

Absolutis vero adclamationibus et litaniis, cantatur denuo laudatio *Christus vincit,* eo scilicet modo qui in exemplo supra ex codice Mettensi exhibito demonstratur, id est illam pluries repetendo et ante singulas iterationes singula incisa apponendo quibus Christi excellentiae et beneficia memorantur. Completur haec pars triplici doxologia: « Ipsi soli imperium ... Ipsi soli honor ... Ipsi soli virtus ... », quam concludunt invocationes: « Christe audi nos, Kyrie ..., Christe ..., Kyrie eleison ». In antiquissimo tamen laudum exemplo desunt ista incisa et cetera omnia quae ea sequuntur.

Minutas res quibus laudum quaedam exempla ab hac structurae ratione discrepant, hic indicare omittimus. Unum hoc notandum videtur quod in ordine *Cencii II°* de coronatione imperatoris praeconium *Christus vincit* in principio laudum non canitur, invocationes sanctorum autem non inter adclamationes (papae, imperatoris, imperatricis, exercitus) dividuntur, sed omnes coniuncte post novissimam adclamationem pronuntiantur, cum hac responsione: « Tu illos adiuva ». Singulae autem invocationes ter canuntur.

In plerisque prioris typi exemplis, videlicet in iis quae ad literam A, numeros 2, 6, 7, 10, et ad litteram F, nume-

ros 1, 4, 5, nominavimus, ipsis adclamationibus cum suis invocationibus et doxologiis adiungitur brevis quaedam formula fausta omnia aliis exoptandi. Canitur nimirum ab omnibus: « Feliciter, feliciter, feliciter. Tempora bona habeas, tempora bona habeas, tempora bono habeas. Multos annos, (multos annos, multos annos). Amen ». Haec verba igitur praesentem aliquem hominem alloquuntur, cui bona optant, cum ipsae adclamationes Deum soleant appellare, in designandis vero hominibus tertiam personam adhibere.

Praesentem certe episcopum spectare videtur alia quaedam formula, seu formula *Te pastorem*, quae pari modo in pluribus exemplis adclamationum contextui additur atque ante formulam *Feliciter* ponitur; numquam enim sine hac adest. Reperitur autem in exemplis ad litteram A, numeros 6 et 10, et ad litteram F, numeros 1, 4 et 5 positis. Textum eius supra dedimus; hic dumtaxat notandum est pro verbis: « Te in sede », saepius scribi haec: « In ista (vel « hac ») sede ».

Denique in aliquot exemplis, in quibus deest formula *Te pastorem*, tertia quaedam adicitur formula quae inchoatur verbis *Hunc diem* et structuram ipsarum laudum imitatur; sicut hae, plerumque completur formula *Feliciter*. Adest in exemplis ad litteram A, numeros 7 et 8, atque ad litteram F, numeros 3, 6, 8, designatis, et in codice Carnotensi saec. XII (seu in Parisiensi, Bibl. Nat., lat. 9497, fol. 172, et in Parisiensi, Bibl. Nat., lat. 9508, fol. 93; quorum ad litteram F, numerum 9 mentio fit). In exemplo Sangallensi priore (A, 7) formula *Hunc diem* soli regi bona precatur:

Hunc diem.	R. Multos annos.
Dominum Hludovvicum regem.	R. Deus conservet.
Salvator mundi.	R. Tu illum adiuva.
Sancte Petre.	R. Tu illum adiuva.
Sancte Paule.	R. Tu illum adiuva.
Sancte Andrea.	R. Tu illum adiuva.
Feliciter, feliciter, feliciter.	

Tempora bona habeat, tempora bona habeat, tempora bona habeat.
Multos annos. Amen.

In altero codice Sangallensi (8, A) *Hunc diem* congregationem tantum spectat, nec Christi vel sanctorum invocationes complectitur. Formula *Feliciter* quoque aliquantum a consueta differt.

Exempli e codice Bellovacensi a St. Baluze editi (F, 3) longior est formula *Hunc diem*. Haec verbis « Hunc diem laeti ducamus », ter dicendis, inchoatur, deinde papae, episcopo, regi conservationem a Deo poscit, singulisque precationibus quaternas invocationes subiungit; solita vero formula *Feliciter* absolvitur. Exemplum Aquileiense (F, 8) priora tantum verba refert; Elnense (F, 6) ab ordinaria structura non parum discrepans, episcopo, congregationi, populo bona precatur; Carnotense (F, 9) denique exemplo priori Sangallensi simile est, sed, sicut Elnense, episcopi et congregationis salutem a Deo exoptat.

Quod autem ad laudes graecas attinet, etsi complura sibi propria habent, liquet nihilo minus eas ad priorem laudum typum referri debere. Nec deest iis formula *Te pastorem*; immo voces « Polla eti » aliud non videntur esse quam ultima verba formulae *Feliciter*.

Multo simplicior est compositio alterius laudum typi, neque necesse est eam hic describamus. Manifesto enim apparet propria eius ratio ex exemplo quod supra exhibuimus, ad litteram B. Uni scilicet adclamatur papae, imperatori aut cardinali. Semper desunt doxologiae et formulae addititiae. Adclamationi autem eaedem omnino invocationes adiunguntur, ita videlicet ut ex unoquoque sanctorum choro terni nominentur. Praeterea, excepta ipsa adclamatione, structura huius typi plane eadem est, sive ad papam, sive ad imperatorem, sive ad cardinalem honorandum laudes canuntur. A communi ratione aliquantum recedit illud exemplum dumtaxat quod praebet *Liber politi-*

cus BENEDICTI, n. 22 (D, 1). Pro solita namque adclamatione Summi Pontificis haec in isto exemplo forma usurpatur: « Summo et egregio antistiti beatissimo papae N. vita », eique respondetur: « Deus conservet eum ». In fine vero, ante « Kyrie eleison », dicitur: « Omnes sancti adiuvate illum ». Denique, post absolutas has laudes, quae a cardinalibus pronuntiantur, accedunt ad pontificem iudices ab eoque benedictionem accipiunt hoc ritu, quem ipsis BENEDICTI verbis describimus: « Dicit primicerius (iulicum): Iube, domne, benedicere. Pontifex benedicit eum et alta voce dicit [primicerius]: Hanc diem. Respondent iudices: Multos annos, tribus vicibus. [Dicit primicerius]: Tempora bona habeas. Respondent iudices: « Tempora bona habeamus omnes ». Liquet autem istas salutationes formulae *Hunc diem*, quae saepe cum laudibus alterius typi coniungitur, simillimas esse.

Novo autem cardinali in laudibus ab eodem BENEDICTO exhibitis (D, 5) his verbis adclamatur:

Domnum cardinalem N.	R. Deus conservet.
Sancta Maria.	R. Tu illum adiuva.
Sancte Michael.	R. Tu illum adiuva.

De omni choro sanctorum III sanctos.

Quae autem ad ortum ac progressum utriusque laudum typi pertinent, ad extremam nostrae dissertationis partem differenda sunt. Prius enim singillatim nobis inspiciendae sunt diversae partes e quibus carolinae laudes constant: ipsae nimirum adclamationes, sanctorum invocationes, doxologiae et maxime praeconium *Christus vincit*.

(*Continuabitur*).

IOANNES MICHAEL HANSSENS S. I.

MONUMENTA

33 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Allocutio

A Summo Pontifice habita die 3 mensis Octobris a. 1941, adstantibus Praelatis Auditoribus ceterisque officialibus et administris Tribunalis Sacrae Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatis et Procuratoribus.

(*AAS* XXXIII [25 oct. 1941] p. 421 ss.)

Già per la terza volta, diletti figli, grava sulla solenne inaugurazione dell'anno giuridico della S. R. Rota l'irruente e dolorosa atmosfera di guerra, che di mese in mese, di stagione in stagione, di anno in anno, qual bufera che tutto aggira, rapisce e sconvolge, si dilata e cresce in sempre più vasto spazio senza confini, oltre ogni riva, in sempre più immani mutamenti, forme e rovine. Il tragico carattere di questa situazione del mondo, così dal lato umano come dal lato morale e religioso, preme altamente sull'animo Nostro e ne aumenta il travaglio e le pene tanto più affligenti ed estese, quanto più il Nostro amore di Pastore universale dei fedeli è aperto ad abbracciare tutti i popoli. Questi Nostri sentimenti — come abbiamo anche rilevato dalle nobili parole del vostro degno Decano — trovano piena comprensione in voi, che per l'ufficio affidatovi dalla Sede Apostolica siete nel centro spirituale della Cristianità ministri del diritto, eletti rappresentanti di una potestà giudiziaria penetrata da sacro senso di responsabilità, dedicata al bene ordinato con giu-

stizia ed equità nel mondo cattolico. Giacchè non è cosa nuova per voi che l'amministrazione della giustizia nella Chiesa è una funzione della cura delle anime, un'emanazione di questa potestà e sollecitudine pastorale, la cui pienezza e universalità sta radicata e inclusa nella consegna delle chiavi al primo Pietro.

Perciò, in mezzo alle contrastanti e dissolventi tendenze di un mondo agitato e sconvolto, la Chiesa sempre ha proceduto ferma e serena nel suo cammino di giustizia, non pavida dei nemici, non servilmente ligia agli amici. E voi, studiando i fasti della sua storia densa di lotte e di vittorie, la vedete, immota e immobile sull'incrollabile fondamento della costituzione a lei data dal suo divino Fondatore, far sorgere, nel corso dei secoli, sotto il soffio dello Spirito e come espressione della feconda pienezza della sua vita, un diritto che, offrendo a tutti i popoli e le nazioni, a tutte le stirpi e le lingue la medesima giuridica situazione, ha largito all'universale *grex dominicus* tale un ordinamento, in cui unità e vastità, libertà e disciplina vengono mirabilmente a trovarsi congiunte, animate e sostenute. E nell'età presente, quanto più appare scosso in non pochi il rispetto alla maestà del diritto, quanto più al diritto prevalgono considerazioni di utilità e di interesse, di forza e di ricchezza, tanto più conviene che gli organi della Chiesa dediti all'amministrazione della giustizia diano e infondano al popolo cristiano la viva coscienza che la Sposa di Cristo non viene mai meno a se stessa, nè muta cammino per mutare di giornata, ma sempre è e si avanza fedele alla sua sublime missione. A così alto scopo mira in grado eminente il vostro insigne Collegio.

E' ben noto in qual grande estimazione salgano le decisioni del vostro Tribunale presso gli altri Tribunali ecclesiastici, non meno che presso i Moralisti e i Giuristi. Ma, quanto maggiore è l'autorità di cui gode, tanto più la S. R. Rota è tenuta a santamente osservare e fedelmente interpretare le norme del diritto, secondo la mente del

Romano Pontefice, sotto i cui occhi come strumento e organo dela stessa Santa Sede, esercita il proprio ufficio. Il che, se deve dirsi per qualunque materia di cui si occupa, vale in particolare per le sempre frequenti cause matrimoniali, sulle quali ha testè riferito l'illustre vostro Decano, e la cui retta rīsoluzione tende a che nel miglior modo possibile sia provveduto così alla santità e alla fermezza del matrimonio, come al naturale diritto dei fedeli, tenendo nel debito conto il bene comune della umana società e il bene privato dei singoli.

1° E in primo luogo, se si considera *il diritto al matrimonio*, i Nostri gloriosi Predecessori Leone XIII e Pio XI insegnarono già che « niuna legge umana può togliere all'uomo il diritto naturale e primitivo del coniugio ». Tale diritto invero, poichè fu dato all'uomo immediatamente dall'Autore della natura, supremo Legislatore, non può essere ad alcuno negato, se non si provi che egli, o vi abbia liberamente rinunziato o sia incapace di contrarre matrimonio per difetto di mente o di corpo. Ma, perchè nei casi particolari il matrimonio da contrarre venga impedito o già contratto sia dichiarato nullo, è necessario che questa incapacità antecedente e perpetua consti non soltanto in modo dubbio o probabile, ma con morale certezza; e in tale condizione di certezza, nè il matrimonio si può permettere, nè già celebrato può dirsi valido.

Cause concernenti questa incapacità, sia psichica — cioè di mente — sia somatica, per natura loro tanto delicate e spesso intricatissime sono non di rado deferite alla S. R. Rota; e torna a suo decoro e a sua gloria l'averle trattate con criterio di gran diligenza e senza accettazione di persone.

Della incapacità psichica, fondata in qualche difetto patologico, la S. R. Rota si è di recente occupata; e in tale occasione la sentenza giudiziale ebbe ad addurre alcune teorie presentate come nuovissime da moderni psichiatri e psicologi. Cosa certamente lodevole e segno di assidua e

larga indagine; perchè la giurisprudenza ecclesiastica non può nè deve trascurare il genuino progresso delle scienze che toccano la materia morale e giuridica; nè può riputarsi lecito e convenevole il respingerle soltanto perchè sono nuove. Forse che la novità è nemica della scienza? Senza nuovi passi oltre il vero già conquistato, come potrebbe avanzare l'umana conoscenza nell'immenso campo della natura? Occorre però esaminare e ponderare con acume e accuratezza se si tratti di vera scienza, cui bastevoli esperimenti e prove conferiscano certezza, e non già soltanto di vaghe ipotesi e teorie, non sostenute da positivi e solidi argomenti; nel qual caso, non varrebbero a costituire la base per un sicuro giudizio, che escluda cioè ogni dubbio prudente.

Anche della incapacità somatica ha dovuto trattare più volte la S. R. Rota. Nella quale delicata altrettanto che difficile questione due tendenze sono da evitarsi: quella che nell'esaminare gli elementi costitutivi dell'atto della generazione dà peso unicamente al fine primario del matrimonio, come se il fine secondario non esistesse o almeno non fosse *finis operis* stabilito dall'Ordinatore steso della natura; e quella che considera il fine secondario come ugualmente principale, svincolandolo dalla essenziale sua subordinazione al fine primario, il che per logica necessità condurrebbe a funeste conseguenze. Due estremi, in altre parole, se il vero sta nel mezzo, sono da fuggirsi: da una parte, il negare praticamente o il deprimere eccessivamente il fine secondario del matrimonio e dell'atto della generazione; dall'altra, lo sciogliere o il separare oltre misura l'atto coniugale dal fine primario, al quale secondo tutta la sua intrinseca struttura è primieramente e in modo principale ordinato.

2° Quanto alle *dichiarazioni di nullità dei matrimoni*, nessuno ignora essere la Chiesa guardinga e aliena dal favorirle. Se infatti la tranquillità, la stabilità e la sicurezza dell'umano commercio in genere esigono che i contratti

non siano con leggerezza proclamati nulli, ciò vale ancor più per un contratto di tanto momento, qual è il matrimonio, la cui fermezza e stabilità sono richieste dal bene comune della società umana e dal bene privato dei coniugi e della prole, e la cui dignità di Sacramento vieta che ciò che è sacro e sacramentale vada di leggieri esposto al pericolo di profanazione. Chi non sa poi che i cuori umani sono, in non rari casi, pur troppo proclivi, — per questo o quel gravame, o per dissenso e tedio dell'altra parte, o per aprirsi la via ad unirsi con altra persona peccaminosamente amata, - - a studiare di liberarsi dal vincolo coniugale già contratto? Ond'è che il giudice ecclesiastico non deve mostrarsi facile a dichiarare la nullità del matrimonio, ma ha piuttosto da adoperarsi innanzi tutto a far sì che si convalidi ciò che invalidamente è stato contratto, massime allorchè le circostanze del caso particolarmente lo consigliano.

Che se la convalidazione riesce impossibile, perchè osta un impedimento dirimente da cui la Chiesa non può o non suole dispensare o perchè le parti rifiutano di dare o di rinnovare il consenso, allora la sentenza di nullità non può essere negata a chi, secondo le prescrizioni canoniche, giustamente e legittimamente la chiede, purchè consti dall'asserita invalidità, per quel *constare* che nelle cose umane suol dirsi ciò di cui si ha *morale* certezza, che cioè escluda ogni dubbio prudente, ossia fondato su ragioni positive. Non può esigersi la certezza *assoluta* della nullità, la quale cioè escluda non solo ogni positiva probabilità, ma anche la mera possibilità del contrario. La norma del diritto secondo cui « matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur » (canone 1014), non si intende infatti se non della morale certezza del contrario, della quale deve constare. Nessun Tribunale ecclesiastico ha il diritto e il potere di esigere di più. Esigendo di più, facilmente si viene a ledere lo stretto diritto degli attori al matrimonio;

giacchè, non essendo essi in realtà legati da alcun vincolo matrimoniale, godono del naturale diritto di contrarlo.

3° Finalmente, per ciò che concerne lo *scioglimento del vincolo* validamente contratto, in taluni casi anche la S. R. Rota è chiamata a investigare se sia stato compiuto tutto ciò che previamente si richiede per la valida e lecita soluzione del vincolo e, per conseguenza, se possa consigliarsi al Sommo Pontefice la concessione della relativa grazia.

Questi pre-requisiti riguardano innanzi tutto la dissolubilità stessa del matrimonio. E' superfluo avanti a un Collegio giuridico qual è il vostro, ma non disdice al Nostro discorso il ripetere che il matrimonio rato e consumato è per diritto divino indissolubile, in quanto che non può essere sciolto da nessuna potestà umana (can. 1118); mentre gli altri matrimoni, sebbene intrinsecamente siano indissolubili, non hanno però una indissolubilità estrinseca assoluta, ma, dati certi necessari presupposti, possono (si tratta, come è noto, di casi relativamente ben rari) essere sciolti, oltre che in forza del privilegio Paolino, dal Romano Pontefice in virtù della sua potestà ministeriale.

Nel dire che il giudice ecclesiastico è chiamato a investigare se consti della esistenza di tali presupposti, voi subito comprenderete come l'importanza dell'argomento bastevolmente indica che una simile investigazione vuol essere condotta con ogni severità, rigore e diligenza; tanto più che, trattandosi di uso di potestà vicaria in materia di diritto divino, la validità stessa dello scioglimento del vincolo dipende dalla esistenza dei necessari requisiti. In ogni caso poi e in ogni stadio del processo è dovere l'osservare pienamente e strettamente le regole, che la modestia cristiana impone in così delicata materia.

Del resto non è da dubitare che vale anche qui il principio già sopra enunciato: essere cioè sufficiente la certezza morale, che escluda ogni dubbio prudente del contrario. E' ben vero che ai nostri tempi, in cui il disprezzo

o la noncuranza della religione hanno fatto rivivere lo spirito di un nuovo paganesimo gaudente e superbo, si manifesta in non pochi luoghi quasi una manìa per il divorzio, la quale tenderebbe a contrarre e sciogliere i matrimoni con maggior facilità e leggerezza che non si fa per i contratti di locazione e di conduzione. Ma tale manìa, inconsiderante e inconsiderata, non può contarsi per ragione, onde i Tribunali ecclesiastici recedano dalla norma e dalla prassi, che dettano e approvano il sano giudizio e la coscienza timorata. Per la indissolubilità o dissolubilità del matrimonio non può nella Chiesa valere altra norma e prassi se non quella stabilita da Dio, Autore della natura e della grazia.

Al quale riguardo due sono i passi dei Libri Santi, che in certo modo indicano i limiti, entro i quali la soluzione del vincolo deve rimanere, e che escludono sia il lassismo odierno sia il rigorismo contrario alla volontà e al mandato divino. L'uno è: « Quod Deus coniunxit, homo non separet »[1] vale a dire, non l'uomo, ma Dio può separare i coniugi, e quindi è nulla la separazione ove Dio non scioglie il loro vincolo. L'altro è: « Non servituti subiectus est frater aut soror...: in pace autem vocavit nos Deus »;[2] vale a dire, non vi è più servitù nè vincolo ove Dio lo scioglie e permette così al coniuge di passare lecitamente a nuove nozze. In ogni caso, la norma suprema, secondo la quale il Romano Pontefice fa uso della sua potestà vicaria di sciogliere matrimoni, è quella che già in principio abbiamo additata come la regola dell'esercizio del potere giudiziario nella Chiesa, vale a dire la *salus animarum*, per il cui conseguimento così il bene comune della società religiosa, e in generale dell'umano consorzio, come il bene dei singoli trovano la dovuta e proporzionata considerazione.

---

[1] Matth., 19, 6.
[2] I Cor., 7, 15.

Siano queste Nostre parole, che inaugurano il nuovo anno giuridico della S. R. Rota, un augurio anche per voi, diletti figli, che valga, mercè la grazia divina, a rendere innanzi a Dio meritorii del premio degli atleti, contendenti nella palestra della giurisprudenza cristiana, i vostri severi e faticosi passi nella ricerca e nell'affermazione della giustizia e della pace fra i fedeli per qualunque causa ricorrenti al vostro Tribunale. Ma all'inizio di questo nuovo anno la Nostra voce vuole altresì salutare l'ingresso della S. R. Rota nella sua nuova sede da Noi, compiendo l'opera dell'immortale Nostro Antecessore, preparata e disposta nelle maestose sale della Cancelleria Apostolica, dove meditabondi pensieri v'insinueranno lo scavato suolo dell'antica Roma, le pareti istoriate, le scale e i portici, testimoni di una storia e di un'arte famosa. Onde è per Noi di particolare soddisfazione il dare al benemerito Decano e agli altri membri di cotesto inclito Collegio una tale manifesta prova della Nostra stima per il loro sapiente ed esemplare lavoro. E perciò nutriamo fiducia, e Ci pare già di vedere, che in quelle nuove aule e stanze, meglio rispondenti alla posizione centrale, alla importanza della dignità gerarchica di cotesto Tribunale, la giurisprudenza ecclesiastica maturerà nuovi e più splendidi frutti per il decoro della Chiesa e per la salute delle anime.

In tale aspettazione e con tale fiduciosa speranza invochiamo su tutti e su ciascuno dei presenti i lumi e l'assistenza dell'Onnipotente, mentre a tutti di cuore impartiamo la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

Synopsis et Annotationes

A. *Introductio*. Allocutio initium sumit a memorandis circumstantiis huius temporis, quo inter homines et gentes iura et iustitia vilipenduntur et conculcantur. His deplorandis hominum aberrationibus Summus Pontifex op-

ponit Ecclesiae catholicae munus officiumque docendae exercendaeque iustitiae; in quo munere exercendo partem specialem habere dicit S. R. Rotam, cui sub oculis et vigilantia Pontificis ius dicendum incumbat, et ita incumbat, ut aliis Tribunalibus ecclesiasticis exemplum et dux esse valeat. Applicando hanc generalem regulam ad materiam specialem causarum matrimonialium memorat principium fundamentale, secundum quod in his causis tractandis procedendum sit, scl. ita ut meliore quo fieri possit modo provideatur tum sanctitati et firmitati matrimonii, tum fideium iuri naturali, debitam rationem habendo et communis boni socitatis humanae et privati boni singulorum.

B. *Corpus sermonis.* Tria Summus Pontifex memorat quae iudici ecclesiastico, causas matrimoniales tractanti, occurrere possunt et specialem attentationem merentur: 1. naturale hominum ius ad matrimonium; 2. declaratio nullitatis matrimonii; 3. solutio vinculi, valide contracti; cui solutioni iudex ecclesiasticus, inquirendo in essentialiter ad eam praerequisita, haud raro cooperari debet.

1. *Naturale hominum ius ad matrimonium.* Statuitur primo *factum* omni homini immediate a Conditore naturae *ius od matrimonium* esse datum. Inde deducitur: nemini denegari posse matrimonium, nisi aut libere huic iuri renuntiaverit, aut ad contrahendum detectus fuerit incapax ex defectu sive mentis sive corporis. Si incapacitas est tantummodo *dubia,* matrimonium non est impediendum (can. 1068 § 2); si incapacitas est *certa* (et simul antecedens et perpetua), matrimonium non debet permitti, et matrimonium iam initum nequit dici validum. His in genere dictis, adduntur quaedam particularia tum de incapacitate psychica, tum de somatica, in quantum iudex ecclesiasticus de iis agere debet.

Quod attinet ad *incapacitatem psychicam,* provenientem ex defectu pathologico mentis, Summus Pontifex breviter tangit causam particularem, nuperrime in S. Rota tractatam, in qua recentes quaedam theoriae psychologiae

et psychiatriae modernae occurrerunt. Non intrat ipsam causam neque eam accurate designat, sed dubium esse nequit, verba Pontificis intellegenda esse de sententia, in qua exposita habetur theoria de vi *cognitionis aestimativae* et cuius tenor in hoc Folio (xxx (1941) 5 sqq.) publici iuris factus est. Summus Pontifex abstinet quidem ab omni de hac doctrina iudicio ferendo; sed loquendo de huius doctrinae studio, a iudicibus S. Rotae hac occasione adhibito, facit quasdam observationes, quae diligenter perpendendae sunt. « *Res sane laude digna et argumentum assiduae diligentisque inquisitionis factae! Nam iurisprudentia ecclesiastica neque potest neque debet neglegere genuinum progressum scientiarum, quae tangunt materiam moralem et iuridicam; neque licitum neque conveniens putari potest eas reicere unice quia novae sunt. Forte quia novitas est inimica scientiae? Quomodo sine novis passibus ultra limitem veritatis iam cognitae scientia humana in amplo naturae campo progressum facere potest? Necesse est autem distincte et accurate examinare ac ponderare, an agatur de vera scientia, et non de vagis hypothesibus ac theoriis, non firmatis per positiva et solida argumenta; quo in casu non valerent constituere fundamentum iudicii securi, quod omne prudens dubium excluderet* ».

De incapacitate somatica haec sunt Summi Pontificis verba ad Iudices Rotales: « *In hac quaestione delicata simulque difficili duae tendentiae evitari debent: altera quae in examinandis elementis constitutivis actus generativi unice fini primario matrimonii pondus attribuit, perinde ac si finis secundarius non existeret vel saltem non esset finis operis, ab ipso Conditore naturae stabilitus; altera, quae considerat finem secundarium tamquam aeque principalem, solvendo eum ab essentiali sua sub fine primario subordinatione; quod cum logica necessitate ad funesta consequentias duceret. Aliis verbis: duo extrema (cum in medio sit veritas) sunt evitanda: ex una parte negare practice vel nimium deprimere secundarium finem matrimonii nec-*

non actus generativi; ex altera parte solvere vel ultra modum separare actum coniugalem a fine primario, ad quem secundum totam suam structuram intrinsecam primo et modo principali ordinatur ».

Ut momentum horum verborum rite ponderetur, prae oculis habenda est quaestio praesertim ultimo decennio agitata: quid essentialiter ad viri potentiam coeundi requiratur, seu quae ex parte viri sint *elementa constitutiva* actus per se apti ad generationem. Sententia antea longe communior necnon constans diuturnaque S. R. Rotae iurisprudentia tenebat: essentialiter requiri potentiam emittendi *semen testiculare* (sive fertile sive sterile), cum solummodo vir qui ad hoc est capax, capax dici queat ad actum « per se » aptum ad prolis generationem. Hanc necessitatem derivare conati sunt ex essentiali subordinatione omnis usus perfecti facultatis generativae sub fine primario matrimonii. Ultimis decenniis paulatim invaluit sententia alia, docens: ad essentiam copulae perfectae non requiri nisi ut actus generativus *secundum externam speciem naturali modo peragatur*; unde vero semen eiaculatum habeatur, utrum ex testiculis an ex aliis glandulis, omnino neglegendum esse. In probanda hac sententia provocant ad hoc, quod matrimonium habeat etiam fines secundarios, ab ipsa natura statutos, et quod sufficiat: actum copulae, naturaliter peractum, his finibus secundariis, speciatim sedationi concupiscentiae, posse satisfacere. Neminem vero latere potest assecutioni *huius finis* non obstare impotentiam emittendi semen testiculare, undecumque haec causata sit, sive ex absentia vel atrophia testiculorum, sive ex canalium deferentium occlusione, ligatione, translocatione, dissectione. Ideo secundum hanc alteram sententiam ii quoque, qui hac impotentia laborant, etsi est antecedens et perpetua, ad matrimonium admitti possunt et debent.

Allatis verbis Summi Pontificis haec controversia non dirimitur neque in uno neque in altero sensu; tantummodo

iis, quae de finibus matrimonii, de eorum ordine ac dependentia dicuntur, designatur principium quoddam, quod tamquam norma et criterium prae oculis haberi potest ac debet in hac quaestione discutienda.

2. *Declaratio nullitatis.* Regula prima ponitur: « Declarationi nullitatis per se praeferenda est convalidatio ». Iam in genere bonum commune exigit, ne facile contractus declarentur nulli; multo magis hoc valet relate ad contractum tanti momenti, quanti est contractus matrimonialis. « *Unde est quod iudex ecclesiasticus non debeat se monstrare facilem ad nullitatem matrimonii declarandam; e contra omni conatu eniti debet, ut convalidetur quod invalide fuit contractum, maxime quando circumstantiae casus id particulari modo suadent* ». Ideo in processu matrimoniali iudex ecclesiasticus non tantummodo specietenus et « ut aliquid fecisse videatur », convalidationi matrimonii invalidi operam dare tenetur. — Altera regula effert ius, quod partes iuste et legitime matrimonium de nullitate accusantes habeant in nullitatis declarationem, quae si eis denegaretur, laederetur eorundem « ius ad matrimonium ». Quod vero ad praerequisitam nullitatis *probationem* attinet, explicitis gravibusque verbis monet Summus Pontifex: requiri et sufficere *certitudinem moralem*, idest eam, quae omne prudens et positivum dubium removeat; non autem exigendam esse certitudinem absolutam, quae etiam contrariam possibilitatem excludat. Moralem hanc certitudinem sufficere quoque dicit, ut « favor iuris » vincatur de quo in canone 1014. - Concludit Summus Pontifex his verbis: « *Nullum Tribunal ecclesiasticum habet ius potestatemve exigendi plus. Plus exigendo (index) facile venire potest ad hoc, ut laedat actorum strictum « ius ad matrimonium »; enim vero, cum de facto non ligentur ullo vinculo matrimoniali, gaudent naturali iure illud contrahendi* ».

3. *Solutio vinculi.* In oppositione ad declarationem nullitatis ad quam fideles, suppositis supponendis, ius habent

et urgere queunt, solutio vinculi significat *gratiam*, quam fideles exigere non valent, et Ecclesia concedere vel denegare potest, prout magis bono animarum et bono communi correspondere videtur.

Solutio vinculi ipsa non conceditur per Tribunalia ecclesiastica, sed reservatur Summo Pontifici; at S. Rota (non aliter atque alii iudices ecclesiastici) eatenus partem habere potest in vinculo solvendo, quatenus ex mandato Summi Pontificis inquirere debet, num adsint quae ad concedendam gratiam *praerequiruntur*.

Inter haec « *praerequisita* » primum locum tenet ipsa « *solubilitas* » vinculi; nam sermo esse nequit de solutione vinculi, quod constat esse simpliciter et absolute indissolubile. Ideo Summus Pontifex, licet paucissimis verbis, allegat primo quae de indissolubilitate matrimonii teneri debent: « *Matrimonium ratum et consummatum est ex iure ita indissolubile ut per nullam potestatem humanam solvi valeat; alia vero matrimonia, quamvis intrinsecus indissolubilia sint, tamen non habent extrinsecam indissolubilitatem absolutam; sed, datis certis necessariis suppositis, possunt - - (notum est: agi de casibus relative sat raris) solvi, non solum vi Privilegii Paulini, sed etiam per Romanum Pontificem in virtute suae potestatis ministerialis* ».

De *modo quo* iudices inquirere et examinare debent, num necessaria praerequisita exsistant, Summus Pontifex notat: hoc examen fieri debere cum omni severitate, rigore, diligentia, idque eo magis, quod valor solutionis concedendae pendeat ab exsistentia (essentialiter) « *praerequisitorum* »; agi enim de usu potestatis vicariae in iure divino. Insuper urget: in hac materia delicata summopere attendendum esse, ut regulae modestae christianae semper stricte serventur.

Quod attinet ad *certitudinem* de exsistentia praerequisitorum, inculcatur denuo regula, antea iam pronuntiata, scl.: requiri et sufficere certitudinem moralem seu exclusionem omnis dubii prudentis. Neque « maniam divortia-

lem » quae in aliquibus regionibus vigeat, esse rationem, cur Tribunalia ecclesiastica recedant a norma et praxi, quam sanum iudicium et timorata conscientia dictent, et maxime quam ipse Deus statuerit. « *De solubilitate et indissolubilitate matrimonii non potest in Ecclesia valere alia norma et alia praxis, atque ea quae est stabilita a Deo. Auctore naturae et gratiae* ». Non ergo inprimis attendi debet, quid unus vel alius auctor et theologus de matrimonii indissolubilitate senserit, scriptisve signaverit, sed quid Ecclesia, tamquam Dei ordinationem et voluntatem fidelibus admittendam proponat.

De *actuali usu* potestatis solvendi vinculum, seu de actuali solutione vinculi, postquam de praerequisitis certo consisterit, quaeri potest: « Num regulariter eam denegari oporteat? Num eam semper, si fieri potest, concedi expediat? Num saltem conveniat, ut S. Sedes magis inclinet in gratiam denegandam quam in eam concedendam; aut contrarium sit praeferendum? etc. etc. — Cum ipse Summus Pontifex, non vero Tribunalia ecclesiastica, solutionem peragat, hae quaestiones immediate ipsum Pontificem spectant. Nihilominus etiam iudicum subordinatorum, quibus incumbit sententiam ferre, an consulendum sit Sanctissimo pro gratia solutionis, magnopere interest scire, quid ad has quaestiones respondendum sit, vel potius: quaenam sint principia generalia, ex quibus responsio deduci queat et debeat. Ideo in fine huius tertiae partis talia principia generalia breviter designantur: « *Quod ad hoc attinet duo sunt Sacrarum Litterarum textus, qui quodammodo limites indicant, intra quos solutio vinculi manere debeat, et qui excludunt sive laxismum hodiernum sive rigorismum, contrarium divinae voluntati et mandato. Unus est: 'Quod Deus coniunxit, homo non separet'* (*Mtt. XIX, 6*), *id est: non homo, sed Deus separare potest coniuges, et ideo separatio non datur, ubi Deus non solvit vinculum. Alter est: 'Non servituti subiectus est frater aut soror, ... in pace autem vocavit nos Deus'* (*1. Cor. VII, 15*), *idest: ibi non*

est servitus neve vinculum, ubi Deus illud solvit et ita coniugibus permittit, ut ad novas nuptias licite transeant. In omni casu suprema norma, secundum quam Romanus Pontifex utitur sua vicaria potestate solvendi matrimonia, illa est, quam in initio assignavimus tamquam regulam usus potestatis iudiciariae in Ecclesia, scl.: 'salus animarum', ad quam consequendam tam commune bonum societatis religiosae, et generaliter humani consortii, quam bonum singulorum debitam et proportionatam considerationem inveniunt».

C. *Conclusio.* Allocutio finitur brevi mentione «novae sedis», ad quam initio huius 'anni iuridici' S. Rota transfertur, et impertione benedictionis Apostolicae.

34 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

Declaratio 10 maii 1941

(*AAS* XXXIII [23 iun. 1941] p. 294 s.)

DUBIA

DE CAUTIONIBUS IN MIXTIS NUPTIIS PRAESTANDIS

Feria IV, die 7 Maii 1941

In generali consessu Supremae S. Congregationis S. Officii propositis sequentibus dubiis:

I. an validum habendum sit matrimonium celebratum inter partem catholicam et partem acatholicam certe non baptizatam, cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, si sola pars acatholica cautiones ad normam can. 1061 § 1 n. 2 (c. 1071) C. I. C. praescriptas praestiterit;

II. an validum habendum sit matrimonium celebratum inter partem catholicam et partem acatholicam certe non baptizatam, cum eadem dispensatione, ante Codicis

Iuris Canonici promulgationem, si sola pars acatholica cautiones praescriptas praestiterit;

et quatenus negative ad I et II dubium,

III. utrum tractandae sint tales causae nullitatis matrimonii ad normam cann. 1990-1992 C. I. C., an coram tribunali collegiali ad ordinarium tramitem iuris;

E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt:

ad I et II: *Negative*, nisi pars catholica cautiones *saltem implicite* praestiterit;

ad III: *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam, nisi in casu particulari certo constet de requisitis in can. 1990; et ad mentem.

Mens autem est: Etsi Sancta Sedes e praxi immemoriali exegerit, et nunc stricte exigat ut conditionibus adimplendis in quibuslibet matrimoniis mixtis cautum sit per formalem promissionem ab utraque parte *explicite* requisitam et praestitam (cc. 1061, 1071), tamen usus facultatis dispensandi, sive ordinariae sive delegatae, invalidus dici nequit si utraque pars *saltem implicite cautiones praestiterit*, i. e., eos actus posuerit e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit eam cognoscere obligationem adimplendi conditiones et manifestasse firmum propositum illi obligationi satisfaciendi.

Sequenti feria V, die 8 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. Pius, divina Providentia Papa XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 10 Maii 1941.

I. Pepe, *Supr. S. Congr. S. Officii Substitutus Notarius.*

Annotationes

In can. 1060 et 1061, Codex clare distinguit inter ea quae iure divino et quae iure ecclesiastico requiruntur ut matrimonium inter partes mixtae religionis licitum evadat. Ubi autem agitur de matrimonio cum disparitate cultus, eadem potiori iure ad liceitatem requiruntur, validitas autem concessae dispensationis simul ipsius matrimonii validitatis conditio est (can. 1070-1071).

1. Ipse Codex ait: « Si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur » (c. 1060). Clarum est sufficere periculum perversionis *alterutri* existens ut coniugium sit ipsa lege divina prohibitum. Quare licitum non fit nisi saltem seria probabilitate tale periculum absit vel removeatur.

2. Ecclesia autem *positivam* prohibitionem talium coniugiorum statuit, quae communi perversionis periculo et difficultate verae unionis mentium et voluntatum in tali unione nititur. Illam prohibitionem ipsa nullitate actus munivit, ubi sponsi sunt cultus disparis.

3. Ut autem a tali prohibitione dispenset, praeter causam gravem, non sufficit ut moraliter certum sit conditiones impletum iri; a pluribus saeculis exegit ut sponsi *cautionem praestent* de illis adimplendis. Cuius cautionis formam pro variis locis et temporibus magis minusve stricte definivit.

4. Etsi ergo interdum auctores de conditionibus et de cautionibus promiscue loquuntur, ac si idem essent, immo is loquendi modus a documentis ecclesiasticis non plene exsulet, conditiones a cautionibus non parum differunt.

Cautiones sunt modus determinatus certiorandi ministrum Ecclesiae de adimplendis conditionibus. Hae sunt iuris etiam divini, illae iuris tantum ecclesiastici. A conditionibus implendis, ut patet, Ecclesia dispensare nequit, potest autem a cautionibus. Idque in paucis casibus obti-

nere potest, ubi agitur praesertim de validando matrimonio iam contracto.

5. Sanctam Sedem « e praxi immemoriali exegisse... ut conditionibus adimplendis in quibuslibet matrimoniis mixtis cautum sit per formalem promissionem ab utraque parte *explicite* requisitam et praestitam », ut ait responsum, e fontibus canonis 1061 et ex historia dispensationum constat. Immo haud raro formam strictiorem cautionum exegit quam nunc fit. Non desunt tamen documenta in quibus de forma cautionum nihil dicitur; sed interpretationem a stylo S. C. S. Officii accipiebant.

E prima parte saec. XVII iam exemplum afferre licet. In dispensatione quam Urbanus PP. VIII concessit in matrimonio mixto Wolfgangi Gulielmi Neoburgi ducis et Catharinae Charlotte Bipontini Principis filiae, 10 mart. 1633, inter conditiones hae recensentur: « 2° Princeps Volfgangus, sub verbo Principis *spondeat*, se omnem operam adhibiturum, ut Principessa... ad veritatem traducatur... Ipsa vero *promittat* se passuram instrui in religione catholica... 3° Idem Volfgangus *sub eodem verbo promittat* prolem masculinam et foemineam ex hoc matrimonio edendam, piis et exploratae probitatis ac catholicae religionis zelo praestantibus viris tradere, qui eam a catholicis nutricibus ali et in dies catholice educari et in eadem fide catholica instrui omni studio curare... » [1].

Benedictus XIV, Encycl. *Magnae Nobis*, 29 iun. 1748, § 5, dicit exigendas esse cautelas de quarum natura nihil praescribit (*Fontes C. i. c.*, II, n. 387, p. 146). - Pius PP. VI, Rescr. ad Card. Archiep. Mechlinien., 13 iul. 1782, loquens de assistentia parochi in matrimoniis mixtis, conditiones varias ponit inter quas: « Secundo, ut exigat et recipiat a contrahente haeretico *declarationem* in scriptis, *qua* cum iuramento, praesentibus duobus testibus, qui debebunt et ipsi subscribere, *obliget se* ad permittendum

[1] Cfr. Roskovany, *De matrimoniis mixtis*, t. II, p. 11.

comparti usum liberum religionis catholicae et ad educandum in eadem omnes liberos nascituros, sine ulla sexus distinctione;... Tertio, ut et ipse contrahens catholicus declarationem edat a se et duobus testibus subscripta in qua *cum iuramento promittat*, non tantum se numquam apostaturum a religione sua catholica, sed educaturum in ipsa omnem prolem nascituram et procuraturum se efficaciter conversionem alterius acatholici contrahentis ». In secundo Ss.mus remittit ad exemplum decreti Mariae Theresae, 20 febr. 1750, n. 4, pro matrimoniis quae in civitate Tergestina inter Graecos dissidentes et unitos forte contingeret contrahi. Dein n. 5 ait: « Omnes hae regulae, de quibus hactenus scripsimus, desumptae sunt ex instructionibus per Praedecessores nostros in parili casu datis » (*Fontes C. i. c.*, II, n. 471, p. 655).

Haud minus clare loquitur antiquissimum e documentis SS. CC. allegatum in fontibus can. 1061, sc. Instr. S. C. de P. F., 6 sept. 1785: « ... quando in un matrimonio... non è assicurata *con espressi e giurati patti* l'educazione cattolica di tutta la prole... » etc. (*Fontes C. i. c.*, VII, n. 4606, p. 157).

Interrogatum: « Quid accurate et strictissime sumpta significat cautio opportuna », S. Officium d. 30 iun. 1842 respondebat: « Talem promissionem, quae in pactum deducta, praebeat formale fundamentum de veritate exsecutionis, ita ut prudenter eiusmodi exsecutio exspectari possit ». (*Fontes C. i. c.*, IV, p. 167, ad V).

Ubi documenta S. Sedis tantum dicebant: « dummodo cautum sit omnino condicionibus ab Ecclesia praescriptis... » (Formula Facult. S. C. de P. F., 1894) vel « requiritur... ut in tuto omnino positae sint conditiones, quae in iisdem connubiis iure naturali et divino requiruntur... » (Instr. S. O., 3 ian. 1871; *Fontes*, IV, p. 317), commentatores ad responsum S. O. 30 ian. 1842 provocabant ut promissionem formalem exigerent. Et iam tunc habebant conditionem verbo « dummodo » introductam, tamquam ad va-

liditatem pertinentem. Quod authentice patuit in resp. S. O., 12 iun. 1912 ad quaestionem: « Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ab habente a Sancta Sede potestatem, non requisitis vel denegatis cautionibus impertita, valida habenda sit annon? R. Dispensationem, prout exponitur, impertitam, esse nullam ». (*A. A. S.*, IV, 1912, 443).

6. Textus Codicis in hac re est clarissimus, tum e praxi iam vigente, tum e praescripto can. 1061, § 2: « Cautiones regulariter in scriptis exigantur ». Sunt ergo saltem explicite oraliter requirendae. Dicit quaenam cautiones ab una parte, quaenam ab utraque exigendae.

Praeterea cum dicit: « Ecclesia non dispensat nisi... », simul ostendit conditionem esse ad validitatem. Id e collatione can. 39 cum praxi in Ecclesia ante Codicem vigente elucet.

Procedente tempore S. Officium, in interpretatione illius canonis, semper severe processit. Confer v. g. decretum 14 ian. 1932 quo cautiones omnino exigit in regionibus in quibus lex civilis decernit liberos pro suo sexu religionem patris vel matris sequi debere (*A.A.S.*, XXIV, 1932, 25).

Nullus ceteroquin Commentator Codicis dubitat quin praestatio cautionum ad validitatem usus indulti dispensationis requiratur. Immo censemus etiam in periculo mortis dispensationem valide concedi non posse quin praestentur cautiones; id enim nobis exigi videtur severitate decreti modo citati.

7. Quae cum ita sint, satis mira possunt videri dubia sub n. II et praesertim sub n. I posita; supponunt enim non unicum casum dubio locum dedisse. Praxis autem stylo Curiae vel Codici contraria vario modo oriri et explicari potuit. Apud Konings-Putzer, *Commentarium in Facultates Apostolicas*, ed. 5ª, 1898, haec legimus: « Modus promittendi varius observatur pro variis temporum, locorum, personarum adiunctis... In Conc. plen. Balt. II, n. 334 « ... in genere promissio oralis non sufficit... Hinc Ordinarius et

post eum parochus ad minus exigere solet a parte haeretica » (vel infideli) promissionem scriptam... « Promissio a parte catholica facienda sufficit simplex, etiam oralis tantum » (Haec ultima verba e Gasparri depromit, n. 453). Addit: « Demum Conc. cit., n. 335, pro hisce regionibus monet: Pastores, ut in his promissionibus exigendis fortiter quidem in re, in modo tamen suaviter se gerant, ne aemulationem quidem Dei habentes, sed non secundum scientiam (*Rom.*, X, 2) utrumque sponsum exasperent, indeque mala oriantur graviora ». Fieri iam potuit ut quidam parochi, ut « suaviter se gererent », a parte catholica cuius rectam voluntatem perspectam habebant, promissionem explicite non postulaverint. Nonne idem KONINGS-PUTZER, qui in America et missionibus magna auctoritate iure pollebat, paulo infra, sc. n. 220 initio scribit: « Cautiones sufficientes aliquando habentur in moribus non baptizati et in eius modo se gerendi, ita ut promissiones expressae inutiles considerari possint »? Sane videtur hic de solo convalidando matrimonio loqui, sed etiam pro tali casu haec opinio falsa esse potest. Potest enim e tenore vitae alicuius personae certum esse eam conditiones esse adimpleturam, etsi de earum existentia et obligatione explicite non cogitaverit. Quo in casu, ipsa nullam cautionem praestat, etsi quodam sensu dici possit: « cautum est implendis conditionibus », nempe ex indole, fide, constantia in implendis officiis. Nonne potuit modus loquendi auctoris quosdam sacerdotes induxisse ut in similibus casibus cautiones non requirerent, etsi ne implicite quidem essent praestitae?

Ad coniecturas non reducimur. Etenim etiam recentiori tempore factum est ut cautiones a parte catholica non exigerentur. Anno 1932, missionarius ex Extremo Oriente ad P. Vermeersch, b. m., scribebat: « Hic a multis annis non omnes Patres cogitaverunt de obtinendis cautionibus a parte catholica. Unde quaeritur: quid dicendum de validitate illorum matrimoniorum et quid faciendum? Vix huc perveneram cum casui studui. Mihi videntur invalida, cum

exsistit impedimentum disparitatis cultus ». Addit dubium ad S. Officium esse missum. Confirmatur inde necessitas pro missionariis ius canonicum accurate cognoscendi et... observandi!

8. Dubia S. Officio proposita supponunt solam partem catholicam cautiones non praestitisse. Re vera rarissime, ut videtur, accidet ut pars acatholica non explicite interrogata fuerit de sua voluntate adimplendi conditiones.

Ab ea enim per se periculum perversionis coniugis et prolis venit. Immo quo magis suae religioni adhaeret et sincerior in ea perseverat, eo magis timendum est ne prolem in ea educare velit. In exprimenda tamen sua mente, S. Officium de utraque parte loquitur. Et recte quidem. Saltem si agitur de convalidando matrimonio, potest fieri ut ex actibus positivis partis acatholicae constiterit eam firmum propositum concepisse et manifestasse vitandi quidquid compartem a sua fide avertere posset et educandi totam prolem in Ecclesia catholica.

9. Quod in responso 12 iun. 1912 non fecerat, hic S. Officium distinctionem inducit inter casus in quibus implicite saltem cautiones praestitae sint et illos in quibus ne hoc quidem constat. *Explicita* requisitio et praestatio semper praescripta et, e fine legis eiusque natura, sub gravi, ut videtur, manet. Sed eam ad validitatem dispensationis ab illo, qui a Sancta Sede potestatem habet, concessae requiri non demonstratur. *Textus* enim legis illam ad validitatem non exigit; vult tantum ut cautiones praestitae fuerint. Quidquid Legislator intendit et praescribit, sine explicita, i. e. per verba et formalem promissionem data, cautione obtinetur. Id declarat *Mens* Supremae S. C. Promissio implicita est quoque vera promissio, quae pro adiunctis non minorem quam expressa promissio certitudinem gignit.

Bene tamen notetur S. Officium, iuxta mentem, non contentum esse quolibet modo certitudinem de implendis condicionibus comparandi; lex enim illam per « praesta-

tionem cautionis » obtineri iubet. Propius examinantes quid exigatur, videmus tamen S. Officium in *Mente* non loqui de promissione, sed de manifestatione firmi propositi. Iamvero inter propositum et promissionem discrimen intercedit, quod speciatim in materia voti et iustitiae magni momenti est. Neque manifestatio firmi propositi promissioni aequivalet. Non videtur ergo dubium quin in hoc responso S. Officium minus quam in aliis responsis supra citatis exigat. Attamen discrimen practicum non est exaggerandum. Homines qui distinguendis conceptibus minus assueti sunt, ubi agitur de re gravi et quae modo speciali ab ipsis exigitur, saepius, ut putamus, inter obligationem manifestationis firmi propositi et simplicis promissionis e fidelitate vix distinguent. Illud si non servaverint, facile tamquam suo verbo, suae promissioni infideles habebuntur.

Praeterea serio notanda sunt verba quibus S. Officium implicitam praestationem cautionis explicat.

Requirit ut pars « eos actus posuerit e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit eam cognoscere obligationem adimplendi conditiones et manifestasse firmum propositum illi obligationi satisfaciendi ».

Tales actus primo opponuntur « habituali voluntati », i. e. tali modo agendi ut ex illo concludi possit et debeat partem conditiones, etiam sine ulla manifestatione propositi specialis quod non exsistit, revera servaturam esse. Quare sola honestas et vita habitualiter christiana partis non sufficiunt. Actus illi manifestationem cognitionis conditionum et propositi illas implendi ita continere debent ut ex illis ad hanc concludendum sit. Tandem de illis actibus in foro externo, sive e certis documentis sive e testimoniis fide dignis, debet posse constare. Impedimenta enim mixtae religionis et disparitatis cultus sunt natura sua publica; quare, nisi constet de dispensatione valide concessa, matrimonium semper illicitum et in secundo casu invalidum habebitur.

10. Positos esse tales actus de iisque constare ex ad-

iunctis satis variis demonstrari debebit: significatio enim eorundem verborum vel actuum ex adiunctis maxime pendet. Ut uno exemplo rem paululum illustremus, parochus, quin partem catholicam explicite interrogaverit, potuit clare utramque partem de sua obligatione monuisse et de exigentiis Ecclesiae: simul pars catholica debuit forte multum apud compartem insistere ut ab ea obtineret promissionem adimplendi conditiones, immo declaravit se matrimonium secus non inituram, etc. etc. E frequenti difficultate concludendi ad implicitam, sed certam manifestationem illius propositi, intelligitur responsum S. Officii ad III; tamquam regulam statuit examen causae per formalem processum, tamquam exceptionem usum can. 1990-1992 seu processum summarium. Eo maior cura requiritur quo maius esse periculum potest gravis scandali, si nullum declaretur v. g. matrimonium in quo pars acatholica omnia praestitit quae ab ipsa exegit parochus, quia pars catholica asseritur cautiones ne implicite quidem praestitisse.

In casibus difficilioribus, semper poterit Defensor vinculi recursum (a decreto processus summarii) vel appellationem (a sententia iudiciali) ad S. Officium interponere.

J. CREUSEN S. I.

35 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

Declaratio 16 mai 1941

(*AAS* XXXIII [21 iul. 1941] p. 331)

PROSCRIPTIO LIBRORUM

Feria IV, die 7 Maii 1941

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consulto-

rum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros qui inscribuntur:

KOEPGEN GEORGIUS, *Die Gnosis des Christentums;*

LAROS MATTHIAS, *Das christliche Gewissen in der Entscheidung* (liber typis impressus et pro manuscripto vulgatus);

MULERT HERMANUS, *Der Katholizismus der Zukunft.*

Et sequenti Feria V, die 8 eiusdem mensis et anni Ss.mus D. N. Pius divina providentia Papa XII, in solita Audientia Exc. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 Maii 1941.

I. PEPE, Supr. S. Congr. S. Officii Substitutus Notarius.

36 - Sacra Congregatio Consistorialis

Decretum 12 iulii 1941

(*AAS* XXXIII [12 sept. 1941] p. 388 s.)

CSANADIENSIS

ERECTIO CAPITULI CATHEDRALIS

Postulante Exc. P. D. Iulio Glattfelder, Episcopo Csanadiensi, ut, ad divinum cultum in sua cathedrali Ecclesia Beatae Mariae Virginis Magnae Hungarorum Dominae, in civitate *Szeged*, augendum, itemque ad senatum dignorum sacerdotum sibi constituendum, apostolica auctoritate cathedrale Capitulum ibidem erigeretur, Ss.mus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XII, peropportunum hoc fore cernens, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter eadem Sanctitas Sua, apostolicae potestatis plenitudine, suppleto quatenus opus sit quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Capitulum in memorata cathedrali Ecclesia B. Mariae Virginis Magnae Hungarorum Dominae, in civitate *Szeged*, erigen-

dum statuit, constans unica dignitate, Praeposito videlicet, et quinque canonicatibus simplicibus, inter quos officiis theologi et poenitentiarii et parocho Ecclesiae cathedralis, qui curam actualem paroeciae servabit.

Nominatio canonicorum Capituli ad normam iuris communis fiat, ideoque dignitas Praepositi, semper reservata manebit Apostolicae Sedi, salvis insuper ceteris reservationibus Pontificiis, ad normam can. 1435 C. I. C.

Quoniam vero presbyteri in canonicos eligendi aliis ecclesiasticis muniis distenti sunt, Ss.mus Dominus Noster chorale servitium benigne reducit tantummodo ad Matutinum et Laudes diebus Dominicis et Festis de praecepto, firma obligatione, in quantum fieri poterit, applicandi iisdem diebus Missam conventualem cum canonicorum adsistentia.

Praepositus vero atque canonici deferent habitum choralem vigentem in Hungaria, nempe mozetam violacei coloris et rochetum, addito pro solemni occasione signo capitulari e collo pendente.

In ceteris vero omnibus Sanctitas Sua statuit ut iuris communis praescripta adamussim serventur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Ss.mus deputare dignatus est Exc. P. D. Angelum Rotta, Archiepiscopum titularem Thebanum in Graecia, Nuntium Apostolicum in Hungaria, eidem tribuens facultates omnes ad id necessarias et opportunas, cum onere quamprimum mittendi ad hanc S. Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis actus.

Quibus super rebus Sanctitas Sua praesens edi iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expedirentur. Contrariis quibusvis minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 14 Iunii 1941.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

L. ✠ S. V. Santoro, *Adsessor.*

37 - Sacra Congregatio Concilii

Resolutio 15 iun. 1940

(*AAS* XXXIII [21 iul. 1941] p. 333 s.)

CATANEN.

IURIS ELIGENDI CANONICOS ET DIGNITATES

SPECIES FACTI. - Eugenius IV Bulla *Inter cetera* diei 31 Martii 1446 ecclesiam Beatae Mariae de Eleemosyna in civitate Catanensi in Collegiatam erexit, constantem tribus dignitatibus et undeviginti canonicatibus, quos et providit, quin de futuris provisionibus aliquid decerneret.

Duobus fere post annis Nicolaus V Bulla *Apostolicae* diei 15 Iulii 1448 duplici privilegio idipsum Capitulum ditavit, optionis nempe et iuris eligendi canonicos et dignitates, firmo iure Episcopi has electiones confirmandi.

Tandem Episcopus Catanensis anno 1753 quartam dignitatem erexit, cuius electionem Capitulo quoque attribuit. De hac dignitate nulla est quaestio, cum Capitulum ipsum sibi persuasum habeat eandem post Codicem Iuris Canonici esse Sanctae Sedi reservatam, quia in casu non habetur privilegium apostolicum, sed tantum concessio iuris, ab Episcopo Catanensi Capitulo facta, eligendi ad ipsam dignitatem.

Quod vero spectat ius eligendi ceteros canonicos aliasque tres dignitates, Capitulum contendit hoc ius etiam post promulgatum Codicem I. C. sibi competere, sive quia in casu res est de privilegio apostolico, quod vi canonis 4 eiusdem Codicis integrum manet, quippe quod non expresse revocatum, sive quia Bulla Nicolai V *Apostolicae*, edita duobus annis post Bullam *Inter cetera* Eugenii IV, spectari debet uti istius perfectio et complementum, ac proinde privilegia in ea sancita, uti in actu fundationis apposita, censenda sunt.

Contradicente vero Dataria Apostolica, huiusmodi quaes-

tio ab eadem huic Sacrae Congregationi dirimenda remissa est.

Animadversiones. - In primis, quod attinet ad ius eligendi canonicos, res satis clara videtur attento praescripto canonis 403, vi cuius, exceptis dignitatibus, ad Episcopum pertinet omnia et singula beneficia et canonicatus in ecclesiis tum cathedralibus tum collegiatis conferre, revocato etiam quolibet contrario privilegio. Agitur in canone de libera collatione Episcopi, non autem de collatione necessaria, seu de institutione canonica quae ius eligendi et praesentandi praesupponit.

Quapropter iure Codicis in re de qua agitur abrogatum est ius speciale quod nititur consuetudine vel privilegio et ius commune instauratur, quo collatio dignitatum exclusive Sedi Apostolicae reservatur ad normam canonum 396 § 1 et 1435 § 1, collatio autem canonicatuum ad Episcopum pertinet ad normam canonum 403 et 1432. Quod pluries sanxit haec Sacra Congregatio, ita in *Barulen.* die 10 Iunii 1922 (*Acta Apostolicae Sedis*, vol. XIV, pag. 459) in *Utinen.* diei 10 Februarii 1923 (*A. A. S.*, vol XV, pag. 544), in *Nicosien.* diei 9 Iunii 1923 (*A. A. S.*, vol. XVI, pag. 432) et in *Ratisbonen.* diei 4 Martii 1933 (*A. A. S.*, vol. XXVII, pag. 341).

Incongruum enim videtur legislatorem ius eligendi canonicos Capitulis abstulisse, sed integrum eisdem canonicis servasse ius eligendi dignitates, quae sunt maioris momenti atque Sanctae Sedi reservatae, praesertim quia patet mentem legislatoris in subiecta materia fuisse Ecclesiae conferre omnimodam libertatem in collatione beneficiorum, salva tamen lege fundationis.

Immerito autem Capitulum censet haec privilegia ex lege fundationis repetenda esse, cum constet in casu Summos Pontifices non fundasse, sed tantum erexisse vel instituisse canonicatus et dignitates in memorata Collegiata Catanensi. Nec Bulla Nicolai V *Apostolicae* haberi potest

uti perfectio et complementum Bullae *Inter caetera* Eugenii IV, cum hac Bulla Capitulum integre in suo esse fuerit constitutum, et subsequenti Bulla Pontifex Nicolaus V privilegia Capituli tantummodo ampliaverit et extenderit.

Resolutio. - Proposito itaque in plenariis Comitiis diei 15 Iunii 1940 dubio: *An ius Capituli collegialis Beatae Mariae de Eleemosyna eligendi canonicos et dignitates sustineatur in casu,* E.mi Patres huius Sacrae Congregationis responderunt: *Negative.*

Quam resolutionem Ss.mus Dominus noster Pius Pp. XII in Audientia diei 18 eiusdem mensis Iunii, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

38 - Sacra Congregatio Concilii

Resolutio 13 iul. 1940

(*AAS* XXXIII [25 aug. 1941] p. 369 s.)

BOSANEN.

RENUNTIATIONIS IURI PRAESENTANDI

Species facti. - Bulla *Inter multiplices* Clementis XIV diei 21 septembris 1769 paroecia loci vulgo *Santulussurgiu* in dioecesi Bosanensi primae dignitati archipresbyterali Capituli cathedralis pleno iure fuit unita, adeo ut canonicus archipresbyter factus sit parochus habitualis eiusdem paroeciae cum iure praesentandi vicarium curatum.

Hodiernus autem canonicus archipresbyter, ab Episcopo decessore rogatus, die 11 Martii 1929 eidem renuntiationem exhibuit iuri praesentandi vicarium curatum ad normam canonis 1451 § 1 Codicis I. C., ut in textu renuntiationis dicitur. At, cum anno 1937 paroecia loci *Santulussurgiu* vacasset, dubium ortum est utrum conferenda esset ad normam iuris communis, praemisso nempe concursu, an potius ad normam in ipsa Constitutione *Inter multi-*

plices statutam, eo vel magis quod hodiernus canonicus archipresbyter iuri praesentandi vicarium curatum personaliter tantum, non autem et pro suis successoribus renuntiavit.

Hinc et de renuntiatione et de concursu videndum est in casu.

Animadversiones. - Ad primum quod attinet, attentis renuntiationis verbis, prima fronte videretur hanc fuisse perpetuam. Ipsemet enim renuntians provocavit ad canonem 1451 § 1, qui est de iure patronatus, quique patronis loco patronatus vel iuris praesentandi spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve concedit; quapropter beneficium suam naturam immutat, et ipso iure fit liberae collationis. At aliter res se habet, atque certo constat renuntiationem de qua agitur fuisse personalem, neque successores afficere, idque non solum quia canonicus archipresbyter expressis verbis hoc declarat, sed et quia citatus canon 1451 non facit ad rem.

In casu enim res est de paroecia pleno iure unita primae dignitati Capituli Bosanensis ad normam canonis 471 § 1, minime vero de iure patronatus. Exinde patet quid dicendum de renuntiatione, a canonico archipresbytero die 11 Martii 1929 Episcopo exhibita. Nil dubii quod ille iuri praesentandi vicarium curatum sensu improprio renuntiare possit, quatenus Episcopo remittit totum negotium provisionis paroeciae, et praesentationem nempe et institutionem canonicam. At renuntiatio, stricto sensu accepta, nulla et irrita in casu dicenda est. Non agitur enim de iure personali et privato, neque de iure in sui tantum favore constituto, de quo in canone 72 § 2 Codicis I. C., sed de iure vel facultate quae inhaeret ipsi personae morali ecclesiasticae, dignitati nempe, eademque constituta per modum legis, cui iuri personae privatae renuntiare nequeunt, sicut nullimode admittitur renuntiatio privilegio per modum legis dato ad normam citati canonis 72 § 3 et 4.

Renuntiatio proinde in casu personalis tantum et tem-

poranea censenda est, minime perpetua, quatenus nempe speciem induit cessionis proprii iuris praesentandi, vi cuius, immutata manente natura vicariae curatae, hanc libere et absque candidati praesentatione, Episcopus conferre valet.

Cum itaque vicaria de qua agitur, per memoratam renuntiationem, suam naturam non mutasset, lex concursus ad eam extendi nequit, quae vi iuris communis ad normam canonis 459 nonnisi paroeciis proprie dictis conferendis praescribitur.

Resolutiones. - Propositis itaque in Comitiis plenariis diei 13 Iulii 1940 dubiis:

I. *An canonicus archipresbyter Capituli cathedralis Bosanensis iuri praesentandi etiam pro suis successoribus renuntiaverit in casu;*

et quatenus negative:

II. *An paroecia loci vulgo* Santulussurgiu *praemisso concursu conferenda sit in casu;*

E.mi Patres huius Sacrae Congregationis responderunt:

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Provisum in primo, seu negative.*

Has resolutiones Ss.mus D. N. Pius Pp. XII in audientia diei 21 Iulii 1940, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

39 - Sacra Congregatio Concilii

Instructio 14 iulii 1941

(*AAS* xxxiii [12 sept. 1941] p. 389 ss.)

DE FIDELIBUS EXHORTANDIS UT MISSAE SACRIFICIO FREQUENTER AC DEVOTE INTERSINT.

Saepenumero in tot rerum calamitatibus, quibus undique premimur, Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XII popu-

lum christianum ubique terrarum effusa caritate adhortatus est ut publicas privatasque preces effundat pro praesentibus societatis humanae necessitatibus et praesertim ad populorum pacem conciliandam, Divini Magistri promissiones recolens: « Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis » (Matth. VII, 7; Luc. XI, 9).

Hunc quoque in finem idem Ss.mus Dominus Noster, Motu proprio *Norunt profecto* diei 27 Octobris 1940, Eucharistica Sacrificia ubique terrarum offerri iussit, quum nihil magis valeat « ad Numinis maiestatem placandam propitiandamque quam Eucharisticum Sacrificium, quo ipse humani generis Redemptor *in omni loco sacrificatur et offertur... oblatio munda* ». Divinum enim Sacrificium quod in Missa peragitur et in quo, docente Tridentina Synodo: « idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit » (sess. XXII, cap. 2), non solum laudis et gratiarum actionis, sed etiam vere propitiatorium est tam pro vivis quam pro defunctis.

Quapropter populi christiani in saeculorum cursu nunquam destiterunt ut tam pro sui ipsorum necessitatibus quam pro fidelibus in Christo defunctis nondum ad plenum purgatis, a solis ortu usque ad occasum, haec oblatio munda offerretur, eidemque frequenter ac devote interesse consuevissent.

At, fide ac pietatis studio languescentibus, omnes norunt sanctissimum hunc morem in dies intermitti, atque fideles complures, divinarum rerum amore posthabito, Missae Sacrificium nec uti oportet colere, nec sicut antea pro suis necessitatibus ac defunctorum suffragiis ut applicetur ferventer curare, dum ad alia minus salutaria haud raro se convertere non dubitent.

Quapropter haec Sacra Congregatio Concilii, de speciali Ss.mi Domini Nostri Pii Pp. XII mandato, omnes ubique terrarum Ordinarios vehementer hortatur, ut per se-

metipsos ac per curatores animarum aliosque utriusque cleri sacerdotes instanter christifideles edoceant:

1° de Sacrificii Missae natura et excellentia atque de eiusdem finibus ac salutaribus effectibus pro mundi vita, et demum de eiusdem ritibus ac caeremoniis, ut ipsi non passive tantum eidem intersint, sed cum sacerdotibus Sacrum peragentibus unum sint animo et corde, fide et caritate;

2° de gravi, qua tenentur, obligatione Missam audiendi, quotquot rationis usu compotes sunt, diebus dominicis aliisque festis de praecepto (can. 1248 Codicis I. C.), quum agatur de praecipuo actu cultus externi et publici, Deo debiti, quo supremum in nos imperium Dei Creatoris, Redemptoris et Conservatoris agnoscimus;

3° de Sacrificii Missae vi impetratoria et propitiatoria, qua bene perspecta ac cognita, fideles alliciantur ad eidem Sacro frequenter ac etiam quotidie, si fieri potest, adsistendum, ad gratias Deo agendas, ad beneficia obtinenda, ad peccata expianda cum propria tum eorum qui vita sunt functi, memores moniti Sancti Augustini: « Audeo dicere quod Deus, cum esset omnipotens, plus dare non potuit; cum esset sapientissimus, plus dare nescivit; cum esset ditissimus, plus dare non habuit » (tract. 84 in Ioannem);

4° de coelestis convivii saluberrima participatione quoties Sacro intersunt, quo arctius Christo adhaereant, prout est in Decreto huius Sacrae Congregationis diei 20 Decembris 1905 *De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione,* et ad mentem eiusdem Tridentinae Synodi: « Optaret quidem sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret » (sess. XXII, cap. 6), iuxta illud ipsius Iesu Christi: « Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Qui manducat ex hoc

pane vivet in aeternum. Qui manducat me et ipse vivet propter me » (Ioann. VI);

5° de dogmate Sanctorum communionis, cuius vi Sacrificium Missae uberrime applicatur non tantum pro fidelibus defunctis, qui piaculari igne suas expiant humanas labes, sed etiam pro hominibus qui vitam degunt, quippe qui, tot tantisque angustiis et calamitatibus, in praesens potissimum, undique pressi, indigent ut misericordiam apud Deum inveniant et auxilium consequantur.

Quo vero facilius locorum Ordinarii ceterique animarum curatores haec praescripta in rem deducant, saepius fideles revocent ad vitam secundum Christi praecepta vere componendam, ea omnia in sui vivendi ratione devitantes, quae fidem moresque christianos vel minus deceant. Quare improbare ne cessent immodicos sumptus, quos fideles vanitate adlecti, in variis vitae adiunctis aliquando insumunt, illo quandoque praetermisso Sacrificio Missae quod omnium cumulate suffragiorum et gratiarum potissimum adiumentum et divitiarum Dei infinitus est thesaurus.

Denique ad omnia haec assequenda curatores animarum adiutricem requirant operam Confraternitatum seu Sodalitatum Sanctissimi Sacramenti, quae in unaquaque paroecia, ad normam canonis 711 § 2 Codicis I. C., ideo praecipue institutae sunt, ut omnibus fidelibus exemplo auxilioque sint in praestando atque alendo cultu Eucharistico.

Quodsi, Deo favente, populus christianus huiusmodi hortationibus Ordinariorum et curatorum animarum alacri animo obsequutus fuerit, Eucharisticum Sacrificium, quo nihil Deo honorabilius nihil iucundius esse potest, fiet revera pro totius mundi salute fons vitae et sanctitatis.

Datum Romae, die 14 mensis Iulii, anno 1941.

F. Card. Marmaggi, *Praefectus.*

I. Bruno, *Secretarius.*

40 - Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum

Decretum 20 dec. 1940

(*AAS* XXXIII [25 aug. 1941] p. 363 ss.)

DE ORDINANDIS TRIBUNALIBUS ECCLESIASTICIS INSULARUM PHILIPPINARUM PRO CAUSIS NULLITATIS MATRIMONII DECIDENDIS.

Excellentissimi Ordinarii Insularum Philippinarum, prae oculis habitis iis quae Litteris Apostolicis *Qua Cura*, die 8 Decembris 1938 [1] Motu Proprio a Pio Pp. XI datis, pro tribunalibus ecclesiasticis Italiae salubriter provideque statuta sunt, necnon perpensis tum raritate causarum nullitatis matrimonii, quae in ipsorum tribunalibus agitari solent, tum praesertim nimia difficultate quam ipsi passim experiuntur idonea tribunalia constituendi, ob parvum in dictis Insulis clericorum numerum, in generali Conventu mense Februario a. 1939 habito, sequentes postulationes Sanctae Sedi humiliter porrigendas esse statuerunt:

Ut nempe, simili modo ac in Italia actum est per memoratum « Motu Proprio », etiam in Insulis Philippinis constituantur Tribunalia Provincialia pro tractatione causarum nullitatis matrimonii et analogice inter eadem ordinentur tribunalia appellationis.

Quas preces cum Sacra haec Congregatio de disciplina Sacramentorum rite perpendisset, attento etiam voto Exc.mi Delegati Apostolici Insularum Philippinarum, easdem retulit Ss.mo Domino Nostro Pio XII in Audientia die 20 Decembris 1940 infrascripto Praefecto benigne concessa. Sanctitas vero Sua haec omnia, quae sequuntur, statuenda decrevit:

I. In Insulis Philippinis, quoad tractationem causarum de nullitate matrimoniorum in prima instantia haec habeantur tribunalia et circumscriptiones:

1) Tribunal *Manilense* pro sua universa provincia ecclesiastica, excepto territorio Lipensis dioecesis; nempe pro territorio sequentium dioecesium: Manilen.; Lingaven.; Caceren.; Novae Segobiae.; Tuguegaraoan.

2) Tribunal *Cebuanum seu Nominis Iesu* pro sua universa provincia ecclesiastica, nempe pro territorio sequentium dioecesium: Nominis Iesu seu Cebuan.; Bacoloden.; Cagayan.; Calbayogan.; Jaren. seu S. Elisabeth; Palen.; Surigen.; Zambangen.

3)Tribunal *Lipense* pro territorio dioecesis Lipensis.

II. Pro tractatione praedictarum causarum in gradu appellationis, incolumi semper facultate directe provocandi ad S. R. Rotam, iuxta can. 1599 § 1 Codicis I. C., ita procedetur:

Ad tribunal Lipense deferentur causae in prima instantia tractatae apud tribunal Manilense; ad tribunal Cebuanum quae apud tribunal Lipense; ad tribunal Manilense quae apud tribunal Cebuanum.

III. Officiales, iudices, promotores iustitiae, defensores vinculi aliique administri tribunalium provincialium Manilensis et Cebuani deligendi sunt et constituendi, ad definitum tempus, ab Exc.mis Ordinariis dioecesium respectivo tribunali provinciali pertinentium in Coetibus Provincialibus.

IV. Quoad iura et officia tribunalium provincialium Manilensis et Cebuani necnon quoad eorum agendi rationem, S. Congregatio de disciplina Sacramentorum definiet circa tempus exsecutionis eorum, quae supra sunt statuta, necnon circa normas temporarias.

V. Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum vigilem sedulamque, pro munere, dabit operam, ut tum Officiales, tum iudices, tum, praesertim, promotores iustitiae et vinculi defensores muneribus suis rite naviterque perfungantur iuxta normas ab eadem S. C. editas vel edendas.

Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XII haec sctatuit, non

obstantibus quibuslibet in contrarium facientibus, licet speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 20, mense Decembri, anno 1940.

D. Card. Jorio, *Praefectus.*

L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius.*

NORMAE

PRO EXSEQUENDO DECRETO DIEI XX DECEMBRIS MDCCCCXXXX DE ORDINANDIS TRIBUNALIBUS ECCLESIASTICIS INSULARUM PHILIPPINARUM.

Ut ad effectum deducantur quae per Decretum diei 20 Decembris 1940 praescripta sunt, Sacra haec Congregatio quae sequuntur statuit:

Caput I

De tribunalis provincialis moderatore iudicibus et ministris

Art. 1. Tribunal provinciale subest auctoritati Archiepiscopi loci in quo ipsum sedem habet, qui proinde, idem regit et moderatur nomine omnium Provinciae Episcoporum, eidemque omnia iura et officia attribuuntur quae Ordinariis locorum, ad normam sacrorum canonum et *Instructionis* Sacrae huius Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 Augusti 1936,[1] circa proprium tribunal competunt, nisi aliter infra cautum sit vel subiecta materia exigat.

Art. 2. Iudices et ministri tribunalis provincialis constituentur in Coetu Provinciali Exc.morum Ordinariorum Provinciae.

[1] *AAS* XXVIII, 313 ss.

Art. 3. Curandum erit ut electi non modo morum integritate praestent, et laurea vel saltem licentia in iure canonico sint praediti, sin minus scientia et experientia iuridica *vere* polleant, sed tempus quoque sufficiens impendere valeant muneribus sibi collatis rite obeundis.

Art. 4. Nomina eorum qui electi sint ad munera officialis (necnon, si extent, vice-officialis vel vice-officialium), iudicum, promotoris iustitiae, defensoris vinculi (horumque, si adsint, substitutorum) cum Exc.mo Delegato Apostolico Insularum Philippinarum quamprimum ab Exc.mo Praeside Coetus Provincialis communicentur, una cum indicatione aetatis, studiorum, curriculi vitae necnon cum testimonio circa eorum sacerdotales virtutes, hanc etiam ob causam, ut eidem Delegato Apostolico opportunitas praebeatur significandi utrum cuiusquam electorum nominationi aliquid obstet.

Art. 5. Nominationes de quibus supra generatim ad triennium fiant, salva facultate eas confirmandi ad successiva triennia.

Art. 6. Omnes, qui tribunal provinciale constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Archiepiscopo sedis tribunalis provincialis, si agatur de officiali, si vero de aliis coram Ordinario eiusdem sedis vel coram iudice a quo electi sunt vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agi coepta sit si pro peculiari causa sint constituti aut antequam suo munere fungi incipiant, si, causa pendente, suffecti sint ad normam art. 19 *Instructionis*.

Art. 7. Officiales, iudices, promotores iustitiae et vinculi defensores (necnon, si adsint, eorum substituti, nisi per modum actus deputati sint) ab Archiepiscopo sedis tribunalis provincialis removeri non possunt, durante munere, nisi gravi de causa et habitis prius votis totius Provinciae Episcoporum.

Art. 8. Nemo iudicis munere in causa fungi poterit qui

advocati vel procuratoris munus actu exerceat in causis matrimonialibus, sive directe sive per interpositam personam, quamvis id agat apud alia tribunalia etiam Sanctae Sedis: idem valet pro iustitiae promotore et pro vinculi defensore. Iidem omnes districte etiam vetantur in qualibet causas matrimoniales extra munus suum se quomodolibet ingerere.

Art. 9. Archiepiscopus sedis tribunalis provincialis, collatis consiliis cum ceteris Episcopis Provinciae, album procuratorum et advocatorum pro tribunali conficiendum curet iuxta artt. 47-53 memoratae *Instructionis*.

Caput II

De modo procedendi in tractatione causarum matrimonialium

Art. 10. Ut tuto procedatur in causis matrimonialibus apud tribunalia provincialia pertractandis, adamussim servetur *Instructio* supra memorata, his tantum additis aut immutatis quae infra adnotantur.

Art. 11. Quoad competentiam tribunalis provincialis serventur normae artt. 1-12 praefatae *Instructionis*, attento quod tribunal provinciale, relate ad matrimoniales causas, est commune pro dioecesibus Provinciae simulque est proprium singulae cuiusque dioecesis Provinciae.

Art. 12. Causae ita inscribantur: primum ponatur nomen tribunalis provincialis, dein dioecesis celebrati matrimonii vel partis conventae, postremo titulus causae, ex. gr. « *Tribunal Manilense-Caceren. Nullitatis matrimonii (N. N.)* »: quando autem causa ipsa agitatur in gradu appellationis, ita inscribatur: « *Tribunal Appellationis Lipense-Caceren. Nullitatis matrimonii (N. N.)* ».

Art. 13. Ad Episcopum domicilii coniugum spectat iudicium ferre de existentia adiunctorum, de quibus in art. 38 § 2 et 39, b) *Instructionis*; quod tamen iudicium antequam

ferat, opportune cum Archiepiscopo sedis Tribunalis regionalis aget.

Art. 14. Archiepiscopi Sedis tribunalis provincialis erit tutorem aut curatorem admittere vel designare ad normam art. 78 *Instructionis*, collatis consiliis cum Ordinario partis conventae cui tutor vel curator constituendus est.

Art. 15. In casibus exceptis de quibus in cann. 1990-1992, quaelibet petitio remittatur ad Archiepiscopum tribunalis provincialis qui, praehabito voto Episcopi domicilii coniugum, de eadem videat ad normam tit. XV *Instructionis* citatae. Officialis vero de quo in art. 288 *Instructionis* est officialis tribunalis provincialis.

Art. 16. Vinculi defensor facile ne omittat appellationem, de qua in art. 229 *Instructionis*, interponere ad tribunal alterius instantiae, praesertim cum agatur de impedimentis a quibus dispensari solet.

Caput III

De honorariis iudicibus et tribunalium ministris assignandis

Art. 17. Iudicum et ministrorum tribunalis provincialis stipendia seu remunerationes et honoraria Exc.mi Ordinarii determinent in Coetibus Provincialibus, prae oculis habitis adiunctis Provinciae et praesertim causarum agendarum numero: adeo ut iidem congrua mercede, adaequata operi revera tribunali impenso, donentur.

Art. 18. Eadem emolumenta generatim moderata esse debent, attento etiam quod iudices et ministri tribunalis iam aliquo ecclesiastico beneficio provisi plerumque sunt: at simul sufficientia sint ipsa emolumenta, ne iidem impediantur a servitio tribunali assidue praestando ex necessitate aliunde subsidia vitae quaeritandi.

Art. 19. Exc.mi Ordinarii in Coetibus Provincialibus statuent (si id sibi videatur necessarium) contributionem singularum dioecesium Provinciae pro expensis tribunalis pro-

vincialis, proportionatam numero causarum singularum dioecesium.

Caput IV

De taxis et expensis iudicialibus necnon de retributione procuratorum ed advocatorum

Art. 20. Exc.mi Ordinarii in Coetibus Provincialibus, probe consideratis locorum et temporum adiunctis, approbent notulam taxarum et expensarum iudicialium necnon emolumentorum ad procuratores et advocatos spectantium pro causis in tribunali provinciali pertractandis; quae emolumenta, uti par est, distabunt a procuratorum et advocatorum proventibus in tribunali S. R. Rotae vigentibus (*A. A. S.*, vol. XXXI, pp. 662-625).

Art. 21. Notula expensarum et emolumentorum, de qua in praecedenti articulo, notificetur omnibus litigantibus; Exc.mi Ordinarii autem et tribunalia prae oculis sedulo habeant prascripta art. 54 *Instructionis.*

Normae temporariae seu transitoriae

Quae praecedunt exsecutioni mandentur die ab Exc.mo Delegato Apostolico Insularum Philippinarum statuendo.

Quoad causas, quae dicta die pendentes in prima instantia invenientur in tribunalibus dioecesanis, ita procedatur:

1) Si libellus iam oblatus est, nec adhuc ad litis contestationem seu dubiorum concordantiam (c. 1727 Cod. I. C., art. 88 *Instructionis*) deventum sit, libellus ipse transmittatur ad competens tribunal provinciale, neque de causa ulterius agat tribunal dioecesanum.

2) Si instructio processus sit tantum initiata et partes, necnon vinculi defensor et, si causae intersit, promotor iustitiae non obstent, processus deferri potest ad tribunal provinciale.

3) Causa iam conclusa (art. 177 *Instructionis*), tribunal dioecesanum sententiam definitivam edat necesse est.

4) Idem fiat, mutatis mutandis, in causis quae agitantur in gradu appellationis.

5) A sententia tribunalis dioecesani, si quidem fuit primi gradus, appellatio interponatur apud tribunal appellationis, quod esset competens, si eadem sententia lata fuisset a tribunali provinciali primae instantiae.

Si fuerit secundi gradus, applicentur praescripta communia de quibus in artt. 212-222 *Instructionis*.

Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia E.mo huius Sacrae Congregationis Praefecto die 28 Aprilis 1941 concessa, praesentes Normas benigne confirmare et ratas habere dignatus est.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 28 Aprilis, anno 1941.

D. Card. Jorio, *Praefectus*.

L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius*.

41 - Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum

Instructio 29 iun. 1941

(*AAS* XXXIII [3 iul. 1941] p. 297 ss.)

DE NORMIS A PAROCHO SERVANDIS IN PERAGENDIS CANONICIS INVESTIGATIONIBUS ANTEQUAM NUPTURIENTES AD MATRIMONIUM INEUNDUM ADMITTAT (CAN. 1020).

1. Sacrosanctum matrimonii institutum, divinitus inde ab hominum exordio conditum, Nova Lege a Christo Domino ad sacramenti dignitatem evectum, quovis tempore Ecclesia sedulo studuit ne ullius irreverentiae vel nullitatis periculo

exponeretur, aptis praestitutis cautionibus eius sanctimoniae accommodatis. Quanta autem et sanctitate et dignitate christianae nuptiae praefulgeant, etiam in memoriam reduxerunt litterae Encyclicae Pii f. r. Papae XI *Casti connubii* die 31 decembris anno 1930 editae,[1] quae coniugalis consortionis germanam naturam, nobilissimas praerogativas, praeclaros fines egregie recolere sategerunt.

2. Neminem latet gravem in sacramentum iniuriam committere, ideoque nec levi commaculari crimine, nupturientes qui ad matrimonium accedant haud servatis praeceptis ab Ecclesia naviter statutis ut christianae nuptiae licite, et praesertim valide, ineantur aptaeque praeterea evadant ad uberes sacramenti fructus comparandos. Et quidem iniuriam hanc atque culpam participant etiam administri Ecclesiae, qui nupturientes, etsi inconsiderate tantum, ad celebranda vetita connubia admittunt, graviter neglecto officio sibi commisso accurate explorandi ne contra SS. Canonum statuta eadem nectantur.

Ad rem Ecclesia onus commisit animarum Praesulibus impertiendi parochis sibi subiectis idoneas normas pro investigationibus sedulo et opportuno tempore peragendis, ne matrimonio ineundo aliquid obstet; itemque ut, si reapse impedimenta adsint, actuose studeant ea auferre aut secus nupturientes infecto coniugio dimittant. Tale praeceptum continetur et in can. 1020 Codicis I. C., cuius verba praestat referre:

« § 1. *Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet.*

§ 2. *Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim mulier, praestent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat.*

[1] *Acta A. Sedis*, vol. XXII, p. 539 sq.

§ 3. *Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare* ».

3. Porro nemo ignorat causas, unde initarum nuptiarum invalida aut illicita celebratio dimanat, ad tria capita reduci, nempe:

a) *impedimentum matrimoniale proprie sumptum;*

b) *vitium consensus;*

c) *defectum formae canonicae.*

Gravia igitur incommoda contra sanctitatem christiani connubii praecavere studens, haec Sacra Congregatio, cui, ex statuto can. 249, *proposita est universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum*, quaeque iam vulgavit Instructionem *super probatione status liberi ac denuntiatione initi matrimonii*, die 4 iulii 1921,[2] apprime opportunum censuit alteram conficere Instructionem, qua adiutricem praebendo manum Rev.mis Ordinariis, quibus hoc onus ex § 3 relati can. 1020 incumbit, eis suppeditaret idoneas normas ad nupturientium examen rite diligenterque explendum.

Quaestiones, nupturientibus seorsum proponendae, confectae reperiuntur in Appendice (*Alleg. I*) huius Instructionis, salva Ordinario variandi facultate, articulos demendo vel addendo pro matrimoniurum nullitatis aut illiceitatis usitatioribus rationibus, quas in sua dioecesi contingere compererit, spectatis personarum ac temporum adiunctis.

4. At quaedam sunt prae primis adnotanda circa elementa inquisitionis a rel. can. 1020 praeceptae.

a) Quod *ad parochum* attinet: qui habet ius et onus inquirendi, is est cui competit assistentia matrimonio, et hic, nisi iusta causa excuset, *est parochus sponsae* (can. 1097 § 2). Verumtamen, etiam parochus sponsi, vel proprio marte vel instante sponso ipso vel sponsae parocho, examen peragat ad libertatem sponsi in tuto ponendam, et

[2] *Acta Ap. Sedis*, vol. XIII, p. 348-349.

peractae huius inquisitionis documentum ad sponsae parochum quam primum mittat, una cum ceteris documentis necessariis (testimonio baptismi, etc.) in suo paroeciali archivo forte exstantibus.

Ast, cum parochi sunt diversae dioecesis, documentorum istorum paroecialium transmissio fiat semper per tramitem cancellariae Curiae Episcopalis dioecesis sponsi — cuius insuper erit litteras testimoniales dare de libertate status sponsi — ad sponsae parochum, quoties hic, prout de more, matrimonio assistit: versa vice per cancellariam Curiae Episcopalis dioecesis sponsae id fiat, si quandoque accidat ut matrimonio assistat parochus sponsi.

Haec S. Congregatio autem valde exoptat ut, antequam parochus ad matrimonii assistentiam procedat, licentiam suae Curiae, quam *nihil obstat* nuncupant, consequatur: id vero praecipit cum nupturientium parochi sunt diversae dioecesis.

Quo accuratius in re tam gravi procedatur, Curia Episcopalis prorsus exigat ut parochus, cui licentia (*nihil obstat*) danda est, ad Curiam ipsam mittat opportuno antea tempore documenta omnia praematrimonialia una cum *exemplari*, cuius specimen in Appendice (*Alleg. V*) invenitur, omnibus notitiis ibi requisitis praedito. Hoc autem exemplari, prout in eodem cautum est, utatur sive Curia in concedendo *nihil obstat*, sive parochus in concedenda sacerdoti, legitima ceterum facultate praedito, licentiam asistendi matrimonio extra paroeciam forte contrahendo: illudque dein caute asservetur in archivo paroeciali loci, ubi nuptiae initae sunt.

Munus vero inquirendi parocho *sub gravi* incumbere patet ex gravitate rei; neque a tali onere ipse eximitur, licet moraliter certus sit nihil obstare validae et licitae matrimonii celebrationi. Examen peragatur *personaliter a parocho*, nisi iusta causa excusetur.

b) Quoad *tempus* inquisitionis: haec peragenda praecipitur « *opportuno tempore ante matrimonii celebratio-*

nem » seu, prout res ipsa postulat, ante proclamationes matrimoniales, vel dum hae peraguntur.

c) Quoad *obiectum* autem huius inquisitionis: per ipsam ea omnia exploranda sunt, quae matrimonio ineundo quomodocumque obstare possint. Proinde, praeter quam de iis, quae speciatim enunciantur in § 2 rel. can. 1020, de quibus infra uberius, inquirendum est prae primis:

α) de susceptis baptismo et confirmatione, legitimis eorundem documentis comparatis. *Fides vero baptismi recens esse debet nec ante semestre exarata quam matrimonium ineatur;* et inibi adnotata reperiantur ea omnia quae conscribenda sunt ex statuto can. 470 § 2 et art. 225 Instructionis huius S. Congregationis, quae inscribitur *Instructio servanda a tribunalibus dioecesanis etc., diei 15 aug. 1936* (*Acta Ap. Sedis*, vol. XXVIII, pag. 313 seq.)[3]. Affirmationi etiam iuratae nupturientium se baptizatos non esse, facile ne credat parochus nisi aliunde id ipsi certo constet, sed, ad fraudes in re praecavendas, a parocho loci originis requirat utrum e libro baptizatorum constet

[3] Can. 470 § 2. « *In libro baptizatorum adnotetur quoque si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit, salvo praescripto can. 1107, aut sacrum subdiaconatus ordinem susceperit, vel professionem sollemnem emiserit, eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur* ».

Art. 225 § 1. « *Ordinarius loci ... obligatione adstringitur iniungendi quantocius rectori paroeciae, ubi matrimonii celebratio est paroecialibus regestis consignata, ut de sententia nullitatis ac de vetitis forsan statutis, ex. gr. in causis impotentiae, in iis faciat mentionem necnon in baptizatorum regesto, si in ea paroecia uterque vel alteruter coniux fuerit baptizatus.*

§ 2. *Rector autem paroeciae tenetur sententiam nullitatis ac vetita forte statuta statim adnotare in praedictis regestis et, si uterque vel alteruter coniux alibi baptizatus fuit, parochum vel parochos loci baptismi collati monere de prolata nullitatis sententia, ac de vetitis forte statutis, ut haec in renatorum libro ipsi adnotent, necnon de iis a se peractis certiorem quam primum reddere proprium Ordinarium* ».

hoc sacramentum eis esse collatum; quo in casu et ipsius fidem petat;

β) de paroecia vel paroeciis, quibus celebratum matrimonium debet notificari;

γ) nupturientesne sint aetate maiores an minores;

δ) utrum ambo catholici eorumne alteruter vel uterque acatholicus, ad canonicam tamen formam adstrictus vi can. 1099;

ε) si casus ferat, inquiratur, demum, de obitu praecedentis coniugis; de sententia nullitatis matrimonii et quidem exsecutiva ad normam iuris (*cfr. art. 220, 221 § 3 memoratae Instructionis*),[4] etiam in casibus exceptis (*cfr. ibid., art. 226 seq.*); de dispensatione super matrimonio rato et non consummato: comparatis ad rem singulis legitimis documentis;

ζ) quod autem refert ad evincendam libertatem status nupturientium vide infra n. 6.

d) Quoad postremo *modum* explendi examinis: in rel. can. 1020 § 2 praecipitur ut parochus sponsos *seorsum* et *caute* interroget, nempe, ut aiunt Doctores, distincte, separatim et caste, debita prudentia et circumspectione, praesertim cum inquirit de impedimentis aliisque adiunctis, quae infamiam ruboremve ingerere possint[5].

---

[4] Art. 220. « *Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denunciatione elapsis, novas nuptias contrahendi* (can. 1987) ».

Art. 221 § 3. « *In casu autem desertionis* (ex parte defensoris vinculi interpositae appellationis ad tertiam instantiam post alteram sententiam pro nullitate matrimonii), *partibus ius est ad novas nuptias convolare, habita notificatione decreti quo collegium statuerit appellationem desertam* (cfr. can. 1886), *vel peremptam* (cfr. cann. 1736, 1737) *habendam esse* ».

[5] Ad rem poterit Episcopus alias praestituere cautelas moribus regionis accommodatas: verbi gratia, prudentis personae praesentiam, quae tamen nupturientium ne sit pater vel mater.

5. Nupturientium examen, ad normam § 2 rel. can. 1020, tria potissimum respiciat oportet:

a) *absentiam impedimentorum;*

b) *libertatem consensus;*

c) *sufficientem scientiam doctrinae christianae.*

Quoad *primum*: parochus a sponsis percontetur num aliquo detineantur impedimento tum impediente (cc. 1058-1066),[6] tum praesertim dirimente (cc. 1067-1080), sive publico (ligaminis, consanguinitatis, affinitatis etc.), sive occulto, immo hoc potissimum, quod rarius innotescere solet (voti, criminis etc.) (*Alleg. I*).

α) Praecipui connubiorum casus, ad hanc Sacram Congregationem delati pro simplici convalidatione aut pro sanatione in radice, matrimonia respiciunt celebrata cum impedimento in *secundo consanguinitatis* vel *affinitatis lin. coll. gradu*, aut saepius *consanguinitatis in tertio simplici vel tertio secundum tangente eiusdem lineae gradu*, neglecta canonica dispensatione. Id plerumque accidit ob ignoratum, ideoque non denunciatum a nupturientibus, impedimentum, quod saepe est tribuendum ignorantiae ex diverso statuto legis canonicae et legis civilis, quae altera lex plerumque ignorat recensita impedimenta canonica.

Ad rem, igitur, diligenter inquirat parochus perpendendo, praeter cetera, contrahentium et eorum parentum cognomina, unde saepe consanguinitas colligitur, testimoniaque suscepti baptismi; partibus recolat consanguinitatis et affinitatis gradus iure canonico matrimonio obstantes, et, si earum reticentiam suspicetur, ad tramitem can. 1031 § 1 n. 1°, testes fide dignos et iuratos adhibeat pro huiusmodi accuratiore exploratione (*Alleg. II*).

β) Ad impediendos vero errores, qui quandoque pro dispensatione impetranda a Sede Apostolica irrepunt in

[6] Impedimentum *mixtae religionis*, ex responso Pontif. Comm. ad Codicis canones auth. interpr. diei 30 iul. 1934, ad I, eos quoque afficit qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt (*Acta Ap. Sedis*, vol. XXVI, pag. 494).

computationem gradus impedimentorum consanguinitatis et affinitatis, in precibus addatur *arbor genealogica.*

γ) Vitetur ideo in eisdem precibus aequivoca impedimentorum descriptio, prout haberetur si sponsi, detenti duplici impedimento v. g., consanguinitatis in secundo (maiore) et in tertio (minore) lin. coll. gradu, denunciarentur tamquam ligati impedimento consanguinitatis « secundi-tertii » aut « secundi et tertii » absque addita explicatione: formula enim ista significare potest impedimentum « secundi gradus mixti cum tertio » unicum nempe et minoris gradus: ac proinde dispensatio forte ita impetrata nullitate laboraret.

δ) Praeterea, prout liquet, ad *valorem* dispensationis ab impedimentis maioris gradus requiritur *causa canonica seu iusta, gravitati impedimenti proportionata, reapse in casu exsistens*: ad rem proinde prae oculis habeantur praesertim duae Instructiones, altera diei 9 maii 1877 S. C. de Propaganda Fide, altera diei 1 augusti 1931 huius S. C. probatique auctores consulantur. Haec ideo causa est exprimenda in precibus pro dispensatione imploranda sive ab Apostolica Sede sive ab Ordinario tali facultate praedito, et dein, dispensatione impetrata, de eiusdem causae exsistentia (quod probe notandum) *certo* constare debet *ante rescripti exsecutionem*, sub periculo irritae dispensationis (can. 38 et 41).

ε) Notatu dignum insuper est, ad *aetatem superadultam*, quae haud semel adduci solet pro muliere, *quae vidua non sit*, requiri *vicesimum quartum annum completum.*

Ceterum semper exprimatur in litteris testimonialibus *aetas* nupturientium a fide baptismi desumenda.

ζ) Demum haec S. Congregatio pro suo munere parochos hortatur ut aptis temporibus in catechesi populo tradenda (can. 1018) fideles rite ipsi edoceant de impedimentis matrimonialibus sive impedientibus sive, praeser-

---

[7] *Acta Ap. Sedis*, vol. XXIII, pag. 413 sep.

tim, dirimentibus. Eosdemque avertere conentur, praecipue si arctioribus impedimentis consanguinitatis vel affinitatis detineantur, a nuptiis inter se conciliandis, aut saltem enixe, parentes potissimum, inducant ad impedimenta ipsa auctoritati Ecclesiae denuntianda pro dispensatione, quando peculiaria adiuncta matrimonium nihilominus suadeant: iisdemque explicent haud nimias urgeri taxas, quae titulo ammendae seu poenae imponuntur nupturientium viribus oeconomicis congruentes, easque exiguas prorsus esse pro pauperibus.

6. Ob rei momentum, specialia sunt animadvertenda *de impedimento ligaminis*. Pervigilent parochi ne contra ius. bona vel mala fide, nova coniugalia foedera ineant qui praecedentis matrimonii vinculo vinciantur, etsi de huius valore haud temere ambigatur, immo nullitas ipsa sit in aperto.

α) Praescriptum can. 1069 § 2 optime norint, matrimonii nempe nullitatem *canonica dumtaxat probatione esse evincendam*, id est ordine iudiciali servato usque ad alteram sententiam conformem contra matrimonii valorem a qua appellatum non fuerit a vinculi defensore; vel, in casibus exceptis (can. 1990-1992) expletis regulis traditis in supra memorata Instructione huius S. C. diei 15 augusti 1936 art. 226 seq.

β) Proclamationes peragantur matrimoniales etiam in locis ubi nupturientes per semestre saltem post adeptam pubertatem morati sunt, si id prudenter censeat Ordinarius (can. 1023 § 2), neque ab iisdem dispensetur nisi legitima causa comprobata (can. 1028), neque facile ceteris neglectis probationis argumentis (*Alleg. II* et *III*), procedatur ad iusiurandum suppletorium (*Alleg. IV*) partibus deferendum (cc. 1829-1830). Iuxta vero praescriptum n. 3 praefatae Instructionis diei 4 iulii 1921, difficultas, quae aliquando occurrit, colligendi nempe congruo tempore necessaria documenta pro statu libero comprobando, plerumque resolvitur documenta ipsa requirendo per dioecesanas nuptu-

rientium (uti sub n. 4) cancellarias, quae minuere non omittent etiam taxas solvendas, ad normam can. 1507 § 1 statutas, si exinde et alia difficultas oriatur[8].

γ) Cautius est procedendum quoad probationem status liberi *vagorum*, eorum nempe qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium habent (can. 91), et *eorum, qui e loco originis in longinquas regiones demigrarunt* post adeptam pubertatem, et ibi matrimonium contrahere cupiunt. Ad rem servetur adamussim memorata Instructio huius S. Congregationis diei 4 iulii 1921.

7. Quoad *libertatem consensus*: a sponsis postulet parochus utrum matrimonium libere et sponte inire cogitent, an potius vi aut metu aut importunis precibus vel suasionibus alicuius ad idem compellantur. Id praecipue inquirat a sponsa quippe quae, uti constat, metui sit magis obnoxia. Nec redditis ab iisdem forte negativis responsionibus acquiescat, sed et alias peragat investigationes ad libertatem consensus uberius et securius evincendam. Hoc est magis accurate explorandum, quando nupturientes ad nuptias ineundas inducuntur ut cuidam oborto discrimini medeantur, praesertim ad poenas vitandas exinde civili lege secus obeundas. Probe perpendant parochi unum e praecipuis capitibus nullitatis matrimoniorum, quae ad ecclesiastica tribunalia deferuntur, in vi metuve incusso consistere (*All. I, n. 10, 11*).

8. Ulterius exploret parochus, nisi personarum qualitas hanc explorationem inutilem reddat, utrum nupturientes *christianam doctrinam* satis calleant, et, prae ceteris, utrum probe noscant sanctitatem et indissolubilitatem christiani connubii obligationesque status matrimonialis. At, si christianae doctrinae eos ignaros repererit, prima saltem elementa sedulo ipsos edoceat; quod si renuant, non est

[8] Ad nupturientium paroeciam et dioecesim originis dignoscendam hodie praesto sunt libri sic nuncupati *annales ecclesiastici* pro singulis nationibus editi de licentia competentis ecclesiasticae auctoritatis.

tamen locus eosdem respuendi a matrimonio ad normam can. 1066 [9].

9. Sponsorum examen id insuper contendat ut grave flagitium illud praecaveatur, quod hodie potissimum ob hominum improbitatem canonicis nuptiis quibusdam in locis incumbit.

Non desunt enim alicubi, praesertim in magnis urbibus, qui, spreta canonica lege, nuptias inire praesumant adiecta aliqua conditione aut intentione, connubii sive suspensiva sive irritativa, quae effugium suppeditare queat ad iugum postea excutiendum, novas nuptias conciliandi causa.

Itaque in locis ubi iudicio Episcopi id expedire videatur, in examine nupturientium parochus data opera immoretur et idoneas peragat investigationes, ad rem adhibitis quaestionibus in *Alleg. I n. 15, 16* exaratis, aliisque aptioribus, quas locorum adiuncta et personarum conditiones postulent.

Nupturientes autem omni studio conetur parochus, si casus intersit, avertere ab expositis intentionibus et conditionibus matrimonio adiiciendis eosque inducere ad retractandas forte iam adiectas.

Quoad vero licitae cuiusdam *conditionis* de futuro, de praesenti aut de praeterito *legitimam* appositionem, parochus Ordinarium consulat eiusque pareat mandatis (*All. I n. 17*).

10. Quod demum attinet ad connubiorum nullitatem *ob non servatam canonicam formam*, praecipui casus ad hanc Sacram Congregationem delati reducuntur ad defectum vel *testium* vel *legitimae delegationis* in sacerdote assistente: quorum si primum plerumque inadvertentiae, alterum est et imperitiae, utique culpabili, tribuendum. Probe igitur addiscant oportet sacerdotes, antequam matrimoniis asistant, statuta canonum 1094-1103, quod refert ad validam

[9] Cfr. resp. Pontif. Comm. ad Codicis canones auth. interpr. diei 2-3 iunii 1918, IV, de matr. ad 3 *Acta Ap. Sedis*, vol X, pag. 345).

et licitam eorundem assistentiam, necnon responsiones Pont. Comm. ad Codicis canones auth. interpr. die 14 iulii 1922, 20 maii 1923 et 28 decembris 1927 [10].

11. Conclusionis instar, quae infra recensentur, speciali modo commendat insuper Rev.mis Ordinariis haec S. Congregatio:

a) In locis ubi id iure concordatario cautum sit, uti v. g. in Italia et in Republica Lusitana, curent ut a parochis documentum de initis connubiis statuto tempore ad officium *status civilis* pro eorundem transcriptione in illius regestis mittatur. In genere autem adamussim ea omnia servari praecipiant, quae concordatario iure in re matrimoniali servanda sint [11].

b) Quoties matrimonium initur a nupturientibus, quorum alteruter vel uterque ad aliam paroeciam pertineat, parochus qui matrimonio adstitit, praeter adscriptionem eiusdem in suo libro matrimoniorum, et, si ibi coniux fuerit baptizatus, etam in calce actus baptismi, *quam primum* de eodem celebrato commonefaciat parochos vel parochum loci baptismi amborum coniugum vel alterutrius. Hi autem receptas notitias transcribant ad normam can. 470 § 2 in suis renatorum regestis (can. 1103 § 2) et nuntium scriptum de peracta transcriptione mittant ad parochum, qui matrimonio adstitit. Is vero non acquiescat donec hunc nuncium receperit; recepfum autem alliget fasciculo documentorum celebrati matrimonii.

c) Omni studio contendant ut sententia exsecutiva nullitatis matrimonii vel apostolica dispensatio a matrimonio rato et non consummato, quantocius denuntientur, cum vetitis transeundi ad alias nuptias ibidem forte statutis, rectori paroeciae, ubi matrimonii celebratio est paroecialibus regestis consignata, ut ab ipso de eadem sententia vel dispensatione necnon de vetitis forsan adnexis

---

[10] *Acta Ap. Sedis*, vol. XIV, pag. 527, V; vol. XVI, pag. 114-115, V et VI; vol. XX, pag. 61-62, IV.

scripta mentio fiat tum in matrimoniorum cum in baptizatorum libro, si in ea paroecia alteruter aut uterque coniux fuerit baptizatus; si alter vel ambo sint alibi baptizati, idem rector paroeciae parochum vel parochos loci collati baptismi monere adstringitur de prolata nullitatis exsecutiva sententia vel concessa dispensatione cum vetitis forte statutis, ut isti haec in renatorum libro scripto adnotent. Ipse vero rector de iis a se peractis certiorem quam primum faciat suum Ordinarium.

d) Pervigilent vero ut baptismus fortassis extra paroeciam originis collatus, praeter quam in renatorum regesto paroeciae vel ecclesiae, baptismali fonte iure etiam cumulativo ad normam can. 774 § 1 praeditae, ubi quis reapse eum suscepit, scripto item consignetur libris paroeciae originis. Ad rem quam primum per parochum vel rectorem ecclesiae collati baptismi tradendus est ad rectorem paroeciae originis nuncius scriptus, qui fideliter omnia et singula elementa complectatur quae ad baptismi actum rite conficiendum iure (can. 777) requiruntur.

e) Demum parochis praecipiant ut libros matrimoniorum et baptizatorum diligentissime conficiant atque conscribant: nempe in priore *illico* redigant actum canonicum singulorum matrimoniorum in propria paroecia celebratorum; in posteriore vero, nempe in renatorum libro, ea omnia scripto adnotent, quae can. 470 § 2 iubentur, et in neglegentes animadvertant etiam poenis ad normam can. 2383.

f) Attente inspiciant Ordinarii per crebras visitationes *intra singula semestria*, si fieri potest, et *saltem non ultra annum*, faciendas, uti exoptatur, *personaliter*, vel per idoneas ecclesiasticas personas, utrum paroeciarum rectores regesta paroecialia *matrimoniorum et baptizatorum praesertim*, ad normam iuris, prouti sub littera *e*), conficiant confectaque in archivo rite asservent; *singulos* vero *actus* expendant celebratorum matrimoniorum et collatorum baptismatum eosdemque singulos *quodam apposito*

speciali signo communiant, unde de peracta recognitione constet. Quoties vero matrimonio adstiterit sacerdos, qui indiguerit delegatione a iure canonico requisita (can. 1094), Ordinarii ipsi diligenter inquirant utrum necesaria haec in singulis casibus intercesserit delegatio, eaque ad normam iuris impertita.

12. Haec Sacra Congregatio, gravissima incommoda quae ex illicitis atque irritis nuptiis eveniunt prae oculis habens, locorum Ordinarios deprecatur ut, pro sua pastorali sollicitudine, cum parochis traditas cautelas communicent omnique cura advigilent ut exsecutioni mandentur, canonicasque poenas infligere ne omittant in neglegentes ad normam can. 2222 § 1, haud exclusa suspensione a divinis, praesertim in recidivos, quo tutius nuptiarum rectae celebrationi prospiciatur, cuiusvis offensionis periculo remoto, prout sacramenti matrimonii dignitatem et sanctitatem decet.

De diligenti observantia canonicae matrimoniorum disciplinae hac Instructione digestae et praecipue de peractis visitationibus [uti supra n. 11 *f*)] iidem locorum Ordinarii certiorem *quotannis faciant* hanc Sacram Congregationem per specialem Relationem adnectendam relationi «*de tractatione causarum matrimonialium*» ad eandem transmittendae vi litterarum diei 1 iulii 1932 [12].

Ordinarii autem Italiae, qui relationem de tractatione causarum matrimonialium non amplius transmittere tenentur ob noviter instituta tribunalia matrimonialia Litteris Apostolicis Motu Proprio datis a Pio f. r. Papa XI die 8 decembris 1938, [13] de observantia huius Instructionis et de peractis visitationibus referant ad hanc Sacram Congregationem *sub initio cuiuslibet anni.*

Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo Secretario H. S. C. die 14 iunii 1941

[12] *Acta Ap. Sedis*, vol. XXIV, pag. 272 seq.
[13] *Acta Ap. Sedis*, vol XXX, pag. 410 seq.

concessa, praefatam Instructionem, ab EE. PP. in Plenariis Conventibus maturo ac diligenti examini iam subiectam benigne approbare dignatus est.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 29 mensis iunii, in festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, anno 1941.

D. Card. Jorio, *Praefectus.*

L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius.*

Appendix

ALLEGATUM I
(cfr. n. 3, 5, 7, 9 Instructionis)

NUPTURIENTIUM EXAMEN OPPORTUNO TEMPORE ANTE MATRIMONII CELEBRATIONEM PERAGENDUM A PAROCHO.

Revocata in mentem sponsi (sponsae) sanctitate iurisiurandi atque gravitate poenarum, quibus periuri sunt obnoxii, necnon sollemnitate actus explendi, parochus sponsum (sponsam) alloquatur:

Velis invocare Nomen divinum in testem veritatis, tangendo sancta Evangelia, sequenti formula:

« Ego ... iuro me totam ac solam veritatem dicturum (-am) super universa re, de qua rogandus (*vel* rogando) ero ».

Dein eis deferat quaestiones seorsum, sponso nempe absente sponsa, et vicissim sponsae, absente sponso »[1]:

1. Requirantur eius nomen et cognomen, necnon patris et matris, nativitatis locus, aetas, religio et quidem tum sui ipsius tum alterius nupturientis, professio aut civilis conditio. Ut de personae identitate constet, nisi eadem pa-

[1] Hisce quaestionibus addantur quae particulari iure, v. g. Concordatorum, sunt praescriptae.

rocho nota sit, requiratur documentum ad hoc rite confectum imaginem ipsius arte photographica expressam referens. Si nondum documenta recepti baptismi et confirmationis prae manibus habeat, parochus interroget utrum haec sacramenta receperit [2].

2. Utrum matrimonium in facie Ecclesiae cum alia persona inierit et, quatenus affirmative, quomodo fuerit solutum (can. 1069) [3]. Si autem suspicetur parochus de praecedentis vinculi existentia, in proclamationibus instet et testes fide dignos ac iuratos inducat (*Alleg. II* et *III*) et dumtaxat recurrat ad iusiurandum suppletorium cum ceterae desierint probationes [*cfr. n. 6* β) *Instr.*]: cautius vero procedat cum *vagis* atque *opificibus* in regiones dissitas a loco originis *demigratis* (*cfr. n. 6, Instr.*).

3. In quanam paroecia habeat domicilium vel quasi-domicilium aut menstruam commorationem, viam et numerum domus quam incolit, et a quo tempore ibi moretur.

4. Quibusnam in dioecesibus saltem per semestre moratus sit post adeptam pubertatem [sponsus *post completum decimum quartum annum*, sponsa *post duodecimum completum*]; quamnam ob causam, quamdiu et quanam in paroecia [4].

---

[2] Redditae responsioni se baptismum non suscepisse facile ne credat parochus, nisi aliunde id ipsi certo constet, sed a parocho loci originis requirat utrum e libro renatorum constet de collatione baptismi: quo in casu huius fidem petat [*cfr. n. 4 c) a) Instructionis*].

[3] Requiratur authenticum documentum de obitu prioris coniugis, vel sententiae exsecutivae nullitatis matrimonii [*cfr. n. 4 c) e) et* ζ) *et n. 6 Instructionis*], vel dispensationis super matrimonio rato et non consummato una cum mentione vetiti forte statuti [*cfr. n. 11 c) Instructionis*].

Quodsi agatur *de privilegio fidei*, serventur statuta cc. 1069 § 1 et 1120-1127 necnon praescripta S. C. S. Officii.

[4] In casu affirmatae commorationis parochus probationes colligat de statu libero (can. 1023 § 2: *cfr. n. 6 Instr.*). In casu autem de quo in § 3 eiusdem canonis, consulat Ordinarium.

5. An valida sponsalia contraxerit cum alia persona, quomodo et quando sint resoluta [5].

6. Utrum civile quod vocant matrimonium sponsi iam inter se inierint aut cum alia persona, resolutumve sit hoc alterum an non [6].

7. Utrum inter se adstringantur aliquo et quonam vinculo, consanguinitatis (can. 1076), affinitatis (can. 1077), cognationis spiritualis ex baptismo (can. 768, 1079), cognationis legalis ex adoptione civili (can. 1059, 1080).

Quod ad consanguinitatem et affinitatem vero attinet, parochus recolat gradus lege canonica matrimonio obstantes, et relate ad nupturientes rudiores impedimenta per practica exempla explicet: quod si suspicetur reticentiam impedimentorum, aptis modis reticentiam eripere conetur, praesertim inquirendo in parentum cognomina et testimonia suscepti baptismi necnon ad testes provocando (*Alleg. II; cfr. n. 5 Instr.*).

8. Nisi res aliunde parocho innotescat, prudenter inquirat utrum notorie catholicam fidem abiecerit, etsi ad sectam acatholicam non transierit, an societatibus ab Ecclesia damnatis adscriptus sit (can. 1065); an sectae atheisticae adhaereat vel adhaeserit (*cfr. n. 5 not. 6 Instr.*). Ab alio fonte exquirat an publicus peccator sit et an censura notorie innodatus (can. 1066). Eadem parochus percontetur a sponso de sponsa et vicissim a sponsa de sponso [7].

9. Diligenter inquiratur utrum sponsi detineantur aliquo

[5] Licet nupturiens sponsalia valide cum alia persona contraxerit, nec ulla iusta causa ab iisdem implendis excusetur, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem, sed dumtaxat ad reparationem damnorum, si qua debeatur (can. 1017 § 3).

[6] Si civile quod vocant matrimonium cum alia persona etiam alteruter tantum attentaverit et resolutum definitive fuerit, resolutionis definitivae huiusmodi requiratur documentum authenticum; si adhuc vero vigeat, consulatur Ordinarius. (*Pro Italia cfr. Instr. H. S. C. 2 aprilis 1909*).

[7] Hisce in casibus, si affirmative respondeatur, parochus se gerat ad normam can. 1065 et can. 1066.

alio impedimento impediente vel dirimente: mixtae religionis (can. 1060), disparitatis cultus (can. 1070 [8], aetatis (can. 1067), ordinis sacri (can. 1072), voti et professionis religiosae (can. 1058, 1073), raptus (can. 1074), criminis (can. 1075) [9], publicae honestatis (can. 1078).

10. Utrum omnino libere et sponte matrimonio consentiant, praesertim mulier, an contra, ad idem compellantur directe vel indirecte ab aliqua persona. *Ad rem sponsum (sponsam) moneat parochus quam maxime circumspectam et discretam rationem habitum iri revelatae notitiae ita ut nullam molestiam pars inde habitura sit, cuius libertati alio modo succurri forte poterit* [10].

11. Utrum sponsus (sponsa) noverit an sponsa (sponsus) omnimoda cum libertate matrimonium contrahere consentiat necne: et, hoc altero casu, edicat unde metus vel coactio procedat.

12. (*Si nupturiens vicesimum primum annum nondum expleverit*). An parentes (tutores) matrimonium ineundum norint eique consentiant, secus quasnam ob causas insciis vel invitis parentibus celebrare velit [11].

13. Percontetur parochus an nupturientes sufficienter instructi sint in doctrina christiana et praesertim in prae-

[8] Quoad matrimonia mixta, standum est praescriptis Codicis I. C. et decretis S. Officii.

[9] De exsistentia impedimenti *criminis* accuratius, licet prudenter, inquiratur quando constet prolem adulterinam nupturientes suscepisse; aut eosdem detineri impedimento affinitatis; aut alia suspicandi ratio intersit.

[10] Etiam responsioni redditae de absentia cuiusvis coactionis ne acquiescat parochus, sed aliunde percontetur utrum reapse ita res se habeat, et si intersint specialia adiuncta, de quibus sub n. 7 huius Instructionis, accuratissime investiget, etiam per testes, si opus sit (*Alleg. II* et *III*).

[11] Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario (can. 1034) (*Alleg. III*).

cipuis matrimonii finibus, iuribus et obligationibus atque, si casus ferat, nefasta placita contra catholicam doctrinam refutet, genuinam Ecclesiae catechesim de hoc sacramento recolendo (*cfr. n. 8 Instr.*).

14. An aliquid et quid actui civili ineundo obstet [12].

15. Ad fraudes et causas nullitatis matrimonii praecavendas, parochus in locis ubi, Episcopi iudicio, id expedire videatur, utrique nupturienti innuat se pro certo habere ambos matrimonium contrahere velle ad tramitem doctrinae catholicae, prout universim usu fit a fidelibus, nempe unum, indissolubile, ad prolem procreandam ordinatum sine ulla contraria intentione vel conditione; et ad rem responsionem percontetur a sponso tum quod ad ipsum attinet tum quod ad sponsam, et vicissim.

(*Si nupturiens* affirmative *responderit, poterit parochus omittere quaestiones 16-17 et ad ulteriora procedere. Si quod dubium contra aut suspicio ex responsione nupturientis vel aliunde exoriatur eum contrariam intentionem aut conditionem matrimonio adiicere velle, ulterius, prout infra, prosequatur parochus*).

16. Nupturienti recolat doctrinam Ecclesiae: nempe sponsos, qui ineundo coniugio intentiones [13] et conditiones [14] forte apponant, quae eius valori quomodocumque adversentur, in sacramentum sacrilege delinquere, pecatorum illaqueari propemodum infinita congerie, sed neque posse matrimonium ita contractum nullitatis accusare: demum

[12] Id valet pro locis ubi actus civilis auctoritate publica praecipitur: quo casu parochus, inconsulto Ordinario, nuptiis ne assistat, si quid actui civili ineundo obsit, vel alias de eiusdem civilis actus omissione suspicio subsit.

[13] Nempe si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem (can. 1086 § 2).

[14] Hae sunt praesertim conditiones de futuro contra matrimonii substantiam, nempe contra tria bona coniugii *fidei, prolis, sacramenti* (can. 1092).

parochum non posse hisce nuptiis assistere. Dicat insuper apertis verbis reticentiam in hac re nihil prodesse sponsis. Ad rem responsionem requirat.

(*Si nupturiens declaraverit intentiones aut conditiones huiusmodi se adiecisse aut velle adiicere nuptiis ineundis, ad has retrahendas omni studio eum inducat parochus; quod si ille renuat, eum ab ineundo coniugio dimittat. Si contra recedat, mutatae voluntatis declarationem parochus signet in actis. Tum postulet utrum noverit de conditione aut intentione aliqua id genus et quanam forte apposita aut apponenda ab altera parte, et, casu affirmativo, eadem servet cum hac altera parte*).

17. Si uterque vel alteruter nupturiens aliquam conditionem licitam et honestam de praesenti, de praeterito aut de futuro, ineundo coniugio declaraverit se apposuisse aut apponere velle ex qua pendeat matrimonii valor, exquirat parochus prudenterque interroget quomodo de adimpleta conditione ista se certiorem facere intendat: et, si id consequi se velle fateatur ratione, quae inhonesta sit, ab eadem adiicienda eum absterreat vel ad adiectam revocandam inducat; secus a matrimonio celebrando eum prohibeat. Si vero de conditionis implemento certiorem se facere intendat ratione morum honestati consentanea et parochus ipsius conditionis aequitatem agnoverit, ipse Ordinarium consulat eiusque pareat mandatis.

18. An aliud habeat declarandum circa suum matrimonium.

19. In quorum fidem velit igitur sponsus (sponsa) redditas responsiones subscribere:

Loco ... die ... mense ... anno ...

Subsignatio sponsi [15] *in uno exemplari.*
Subsignatio parochi.
Subsignatio sponsae [15] *in altero exemplari.*
L. ✠ S. Subsignatio parochi.

[15] Si nupturiens scribere nesciat aut nequeat, crucis signum apponat et id adnotetur in actis.

Adnotatio. - Hae iuratae depositiones alligentur actibus peracti matrimonii et transmittantur tribunali ecclesiastico competenti, quoties de valore matrimonii actio instituta fuerit quolibet ex capite.

ALLEGATUM II

(cfr. n. 5 et 6 Instructionis)

EXAMEN TESTIUM AD COMPROBANDAM LIBERTATEM STATUS NUPTURIENTIUM.

(*Interrogandi sunt duo testes, a parocho cogniti, pro unoquoque nupturiente: iidem vero testes pro utroque inservire possunt, dummodo seorsum de unoquoque testificentur*).

Revocata testi sanctitate iurisiurandi atque gravitate poenarum, quibus periuri sunt obnoxii, necnon sollemnitate actus quem est expleturus, parochus testem alloquatur:

Velis invocare Nomen divinum in testem veritatis tangendo sancta Evangelia, sequenti formula:

« Ego ... iuro me totam ac solam veritatem dicturum super universa re, de qua rogandus ero ».

Dein ei deferat quaestiones:

1. Requirantur eius nomen et cognomen, nomen patris, dies, mensis, annus et locus nativitatis, religio, professio, domicilium.

2. Num habuerit notitias, consilia, instigationes circa ea, quae testificari debet.

3. Quonam ante tempore et quomodo cognoverit sponsum (sponsam). Cognoveritne etiam sponsam (sponsum). Quonam ante tempore et quomodo.

4. Quaenam sint nomina et cognomina nupturientium. Ubi nunc habitent, et a quonam tempore. Quamnam professionem obeant.

5. Quibusnam in paroeciis morati sint saltem per sex menses post completum decimum quartum annum (pro

sponso) et duodecimum (pro sponsa) et quamnam ob causam.

6. Agnoscatne an nupturiens contraxerit matrimonium religiosum vel civilem celebraverit actum cum alia persona. Quacum. Subsistatne matrimoniale vinculum vel civilis unio.

7. Compertumne habeat utrum nupturientes aliquo impedimento detineantur, publico vel occulto, procedente a consanguinitate, affinitate etc.

8. Sciatne utrum sponsi matrimonialem consensum libere, praesertim mulier, praestent, an ab aliquo compulsi et quare; et utrum ambo verum matrimonium christianum inire velint; unum nempe, indissolubile, proli procreandae ordinatum, absque contraria intentione vel conditione; aut utrum aliquid huiusmodi ab utroque vel alterutro audierit [3].

9. [*Si ambo vel alteruter contrahens aetate minor sit, nempe infra vicesimum primum aetatis annum (can. 88 § 1)*]. Cognoscatne utrum parentes huic matrimonio consentiant; an et quasnam ob rationes dissentiant. Censeatne utrum parentes sint rationabiliter inviti.

10. Nihilne aliud habeat declarandum circa hoc matrimonium.

Loco... die... mense... anno...

Subsignatio testis ...

Subsignatio parochi ...

L. ✠ S.

---

[3] Scite animadvertatur hanc quaestionem permagni esse faciendam ut nullitas matrimonii praesertim ex capite vis et metus praecaveatur. Redditae responsionis rationem habeat parochus in examine partium: quod si iam peregerit, iterum ad idem easdem vocet.

ALLEGATUM III

(cfr. n. 6 Instructionis)

QUAESTIONES SEORSUM PROPONENDAE PARENTIBUS (TUTORIBUS) NUPTURIENTIS AETATE MINORIS (CAN. 1034), QUANDO PAROCHO CERTO NON CONSTET DE ABSENTIA CUIUSVIS OBSTACULI EX PARTE IPSORUM.

Revocata testi sanctitate iurisiurandi atque gravitate poenarum, quibus periuri sunt obnoxii, necnon sollemnitate actus quem est expleturus, parochus testem alloquatur:

Velis invocare Nomen divinum in testem veritatis tangendo sancta Evangelia, sequenti formula:

« Ego... iuro me totam ac solam veritatem dicturum super universa re, de qua rogandus ero ».

1. Requirantur eius nomen et cognomen, nomen patris, dies, mensis, annus et locus nativitatis, religio, professio, domicilium.

2. Pespectumne habeat consilium filii (filiae) sui (suae) matrimonii contrahendi cum ...

3. Probetne hoc matrimonium, secus quibus de causis ei adversetur.

4. Noscatne utrum aliquo impedimento consanguinitatis, affinitatis, etc., publico vel occulto, detineantur nupturientes. Utrum filius (filia) suus (sua) aliud matrimonium religiosum celebraverit vel civilem inierit actum et quacum (quocum); subsistatne adhuc matrimoniale vinculum, vel civilis unio.

5. Noscatne utrum filius (filia) libere praestet consensum matrimonialem, an ab aliquo compellatur et quam ob causam.

6. An putat filium (filiam) iis pollere physicis conditionibus ut par sit matrimonio ineundo et de matrimonii finibus edoctum (-am) esse.

7. Nihilne habeat addendum quoad hoc matrimonium.
Loco... die... mense... anno...
Subsignatio patris (tutoris) *in uno exemplari.*
Subsignatio parochi ...
Subsignatio matris *in altero exemplari.*
Subsignatio parochi ...

L. ✠ S.

ALLEGATUM IV
(cfr. n. 6 Instructionis)

PRO IUREIURANDO SUPPLETORIO RECIPIENDO (QUANDO NECESSARIUM SIT AD NORMAM CC. 1829-1830).

Anno Domini ... hac die ... mensis ... personaliter coram me adfuit domin ...fili .. annorum ... nat ... ac baptizat ... loco ... dioecesis ... ad effectum comprobandi suum statum liberum ineundi matrimonii causa, iuxta ritum S. R. Ecclesiae, cum ... fil ... nat ... in paroecia ... dioecesis ..

Cum supra memorat... e solo natali abfuerit ab anno... ad annum ... (*continuo vel interiecto tempore*) et cum commorari ipsi contingerit in loco (locis) ... quin tamen ibi stabilem fixerit mansionem et cum nequeat testes producere habiles ad comprobandam libertatem status, quam servavit in memoratis locis, nec valeat ad rem exhibere testimoniales litteras illarum Curiarum Ecclesiasticarum, ad easdem supplendas iureiurando admissus est. De sanctitate iurisiurandi necnon de poenis a periuris (can. 2323) et bigamis (can. 2356) incurrendis est monitus ac praeterea certior factus, si ipse periuret, et impedimenta matrimonialia reticeat, non solum nullum atque irritum esse coniugium, verum etiam causam exsistere innumerabilium peccatorum. Coram igitur me subsignato ipse genuflexus ante imaginem D. N. I. C. Crucifixi clara et intelligibili voce emisit hanc sacramenti

Formulam

Ego... fil... (patris)... (matris..., officium meum probe perspectum habens dicendi veritatem atque rei, de qua agitur, momentum, haec sancta Evangelia tangens, profiteor et iuro me toto anteacto tempore, quo extra natale solum moratus sum, omnino liberum ac solutum permansisse a quopiam impedimento aut vinculo matrimonii.

Subsignatio nupturientis ...

Subsignatio Ordinarii vel eius delegati.

L. ✠ S.

ALLEGATUM V

[(cfr. n. 4 *a*) Instructionis)]

Status *documentorum Curiae Episcopali exhibitorum pro matrimonio ineundo inter*:

sponsum ... [1]	sponsam ... [1]
filium ... (*nomen patris*)	filiam ... (*nomen patris*).
commorantis in loco...	commorantis in loco...
et ... (*nomen et cognomen matris*).	et ... (*nomen et cognomen matris*).
commorantis in loco...	commorantis in loco...
professionis (*sponsi*) ...	professionis (*sponsae*) ...
natum loco ...	natam loco ...
dioecesis ...	dioecesis ...
die ...	die ...
baptizatum in paroecia ...	baptizatam in paroecia ...
die ...	die ...
confirmatum die ... [2]	confirmatam die ... [2]
viduum e ...	viduam e ...

[1] In Italia si nominum intercedat disparitas inter actum baptismi et actum civilem, ambo nomina referantur (*cfr. Istruzione della S. C. della Disciplina dei Sacramenti, 1 luglio 1929, alleg. III, mod. I, nota 1*).

[2] Prout desumitur ab adnotatione in actu baptismi, aut a documento aut a iureiurando.

domicilium aut commorationem habentem (*sponsum*) in paroecia ...

domicilium aut commorationem habentem (*sponsam*) in paroecia ...

Status libertatis [3] ...

Publicationes canonicae peractae sunt die ... [4]

Publicationes civiles (*ubi hae iure concordatario praecipiuntur*) peractae sunt die ... [4]

Dispensatio ab impedimento ...

Loco ... die ... mense ... anno ...

L. ✠ S. Parochus

. . . . . .

Visis documentis huic Curiae exhibitis ibique asservatis (Prot. n. ...) . . . . . *nihil obstat* quominus matrimonium, de quo supra, contrahatur, servatis de iure adhuc servandis

Loco ... die ... mense ... anno ...

L. ✠ S.

Cancellarius Curiae Ordinarius

. . . . . .

Nihil obstat ex parte parochi infrascripti quominus extra suam paroeciam matrimonio, de quo supra, assistat sacerdos legitima facultate praeditus, servatis de iure servandis [5]

Loco ... die ... mense ... anno ...

L. ✠ S. Parochus

. . . . . .

[3] Heic adnotetur unde libertas sponsorum comprobetur, utrum nempe ab examine testium, a iureiurando suppletorio, a documentis viduitatis, sententiae nullitatis, dispensationis super rato, aut a pluribus argumentis simul sumptis, quo in casu haec singillatim enumerentur.

[4] Aut dispensatae.

[5] Uti patet, licentia haec, prout cavetur in can. 1097 § 1 n. 3, conceditur ad *liceitatem tantum* a parocho cui ius esset assistendi matrimonio.

Matrimonium, de quo supra, celebratum est die ... mense ... anno ... in ecclesia ... loci ... dioecesis ... coram me infrascripto.

L. ✠ S.

Parochus aut sacerdos delegatus

. . . . . .

Advertatur. - Hic documentorum *status*, notitiis omnibus ibidem requisitis et signis authenticitatis rite munitus, tradatur parocho alienae paroeciae, ubi matrimonium forte celebrandum sit, saltem triduo ante eius celebrationem.

Brevis explanatio

Neminem latet summopere S. Matrem Ecclesiam desiderare ut fideles sacramentum matrimonii rite suscipiant. Huic autem scopo directe adversatur quidquid sive validae sive licitae matrimonii celebrationi obstat. Hinc est quod S. Congregatio de disciplina sacramentorum, cui universa legislatio circa disciplinam septem sacramentorum competit, nihil intentatum relinquat ut sanctitati coniugii christiani, quantum fieri possit, diligentissime consulatur. Post novi codicis promulgationem haud semel peculiares editae sunt Instructiones, quo efficacius impediretur vel attentatio novi matrimonii, exstante adhuc priore vinculo, vel dolosa obtentio declarationis nullitatis quoad matrimonia semel valide contracta [1]. His enim criminibus et gravis iniuria sanctitati christiani connubii infertur semper, et facile ansa praebetur interdum acatholicis ut Ecclesiam exhibeant veluti viam sternentem tristissimae divortiorum calamitati. Quo quid funestius?

Haec falsa accusatio iam exinde foveri potest quod, adaucto numero matrimoniorum de facto irritorum ob ne-

[1] Cfr. *AAS* XVIII, 348 s.; XXVIII, 313 ss.

gligentias in praevia exploratione vel in ipso contractu matrimoniali commissas, auctoritas ecclesiastica competens non raro nullitatem matrimonii declarare teneatur. Hae autem declarationes, si frequentiores occurrant, non nisi larvatae divortii sententiae pro christianae fidei hostibus erunt, cum difficile persuadeantur tot matrimonia invalida de facto existere posse.

Instructio, d. 15 augusti 1936 data, accuratis sapientibusque normis traditis eo tendebat ut iam pro matrimoniis de facto validis efficaciter declaratio nullitatis impediretur. Sed id sufficere non videtur; ulterior gressus est demum faciendus in ordine ad minuendum, quantum id possibile sit, numerum matrimoniorum invalide celebratorum. Itaque praesens Instructio ipsam calamitatis radicem per concretas normas ordinis practici destruere intendit. Hae autem normae plenam efficientiam praescriptis in canone 1020 contentis conferre volunt. Sane vi paragraphi tertiae huius canonis Ordinarii loci est peculiares normas pro investigatione conficienda tradere, quod quidem sapienter statuitur, cum in universali Ecclesia pro varietate locorum diversae quoque normae ordinis practici facile convenire possint. Nihilominus negari nequit quasdam normas idoneas, quae suam efficaciam servent ubique, etiam hac in re dari posse. Haec est ratio cur S. Congregatio suam adiutricem manum Rev.mis Ordinariis praebere non dubitet, quin tamen minuere intendat facultatem in paragrapho tertia c. 1220 contentam ad opportunas modificationes introducendas, sive per suppressionem, sive per additionem eorum quae personarum ac temporum adiuncta suadere videantur. Liceat nunc normas per hanc Instructionem traditas summatim colligere easque paucis explanare.

PRAENOTANDA

Parochus, cui primo et per se competit ius assistendi matrimonio, est secundum praescriptum c. 1097 § 2 parochus sponsae; huius igitur erit investigationes praematrimoniales, de quibus sermo est in c. 1020 § 1, diligenter peragere. Sed non ideo parochus sponsi, si diversus sit, a quolibet onere inquisitionis eximitur; ipse enim ex sua parte omnia necessaria peragere tenetur ut libertas sponsi in ordine ad matrimonium contrahendum manifesta fiat. Atque huiusmodi obligatio urget etiam in casu in quo forte nulla petitio nec ab sponso nec a parocho sponsae facta fuerit. Quod autem hic dictum est de parocho sponsi applicandum erit eodem modo parocho sponsae, cum iusta intercedente causa prior de facto assistat matrimonio (n. 4, a).

Haud raro continget ut nupturientes ad diversam dioecesim pertineant; tunc transmissio horum documentorum ad parochum, qui assistet matrimonio, fieri debet per cancellariam Curiae Episcopalis illius dioecesis, in qua matrimonium locum non habebit. Huius Curiae Episcopalis erit pariter testimonium dare de statu libero illius nupturientis, cuius documenta transmittit. Nec satis, nam in hoc casu parocho non licebit iam assistere matrimonio, quin obtineat prius a sua Curia licentiam, quae « nihil obstat » nuncupatur, quae ut patet, non concedetur nisi post exhibita documenta praematrimonialia omnia, una cum exemplari in Appendice Instructionis proposito, ut ibidem apponatur attestatio licentiae impertitae (Ibid.).

Obtentio huiusmodi licentiae, quae praecipitur pro casu in quo nupturientes ad diversas dioeceses pertineant, enixe commendatur ab eadem S. Congregatione pro omnibus matrimoniis in genere, nec dubitari potest quin Ordinarius loci hanc obligationem iniungere valeat parochis, quos vel negligentes vel minus sollertes in praematrimonialibus investigationibus peragendis compererit. Ex-

presse asseritur *personaliter* debere parochum investigationes praescriptas peragere; solum igitur iusta intercedente causa ab iis per se ipsum exsequendis excusabitur (Ibid.).

Nec sufficit certitudo moralis, quam de absentia impedimentorum fortasse aliunde habeat parochus, ut obligatio imposita per canonem 1020 § 1 cesset; voluntas enim S. Congregationis est ut requisita certitudo moralis hauriatur praecise ex ipsis investigationis documentis, ex quorum lectione Ordinarius vel eius delegatus certiores item de absentia impedimentorum reddi debebunt, antequam signum speciale recognitionis singulis actis matrimonialibus apponant. Demum investigationes erunt faciendae, prout ex natura rei patet, saltem dum proclamationes matrimoniales locum habent; prudentia autem suadebit non raro ut hoc extremum tempus non exspectetur, ne forte dein molesta dilatio matrimonii necessaria evadat. Exigantur vero ante omnia documenta de susceptis sacramentis baptismi et confirmationis; documentum vero suscepti baptismi recens esse debet, ita ut admitti nequeat si iam integri sex menses elapsi fuerint ex quo illud exaratum fuit (n. 4, a, b, α).

Quid vero agendum si nupturientes asserant se non esse baptizatos? Parochus nequit sola eorum assertione, etiam iurata, tranquillus manere; sed in hoc casu, ut cuilibet fraudi aditus praecludatur, adeundus erit parochus loci originis penes quem ad normam can. 778 debet inveniri testimonium baptismi collati filiis eorum, qui intra suam paroeciam domicilium habeant. Videndum erit etiam praevie ad quas paroecias sit forte transmittenda notificatio celebrati matrimonii et quaenam sint conditiones personales nupturientium, sive quoad aetatem sive quoad religionem quam profitentur; pro minorennibus enim aliqua speciatim erunt servanda, et a religione utriusque nupturientis pendet forma qua matrimonium debeat contrahi (n. 4, α, β, γ, δ).

Si demum alterutra pars iam antea matrimonium contraxerit, inquirendum erit diligenter utrum vinculum inde

exortum, vel morte compartis vel per dispensationem super matrimonio rato et non consummato, iam cessaverit, nisi forte declaratio nullitatis supervenerit; haec autem omnia per legitima documenta pateant necesse est (n. 4, ε).

MATERIA EXAMINIS

Assecutio certitudinis circa absentiam impedimentorum est primus scopus quem intendit examen nupturientium. Nam in re matrimoniali non solum sunt devitandae querelae nullitatis, in quibus vinculi inexistentis declaratio intenditur, sed etiam supprimenda est, quantum fieri possit, ipsa necessitas convalidationis vel sanationis in radice: haec enim remedia praesupponunt vulnus sanctitati matrimonii, saltem materialiter inflictum. Sancta sancte sunt tractanda ideoque pastor animarum, cuius est impedire quidquid officiat, etiam materialiter, licitae celebrationi matrimonii, examen praescriptum omni diligentia executioni mandare non dubitabit. Immo, si rationabiliter suspicetur parochus a nupturientibus reticeri impedimenta, testes fide dignos adhibere non praetermittat, qui sub sacrata fide iurisiurandi declarent quidquid de hac re noverint (n. 5, α).

Examen nupturientium a prolatione iurisiurandi initium sumet; edoceantur igitur praevie de sanctitate huius actus, quo sollemniter promittunt Deo se sincere responsuros esse quaestionibus proponendis. Deinde debent nupturientes breviter instrui circa gradus vel consanguinitatis vel affinitatis quos impedimentum canonicum complectitur, ne ex diverso modo gradus propinquitatis computandi, forte in foro civili adhibito, confusio oriatur, qua impedimentum re vera existens non manifestetur. Id haud infrequenter locum habere patet ex eo quod praecipui connubiorum casus pro convalidatione simplici aut pro sanatione in radice ad S. Congregationem delati respiciant matrimonia celebrata sine debita dispensatione, cum impedimento

in secundo consanguinitatis vel affinitatis lin. coll. gradu, aut saepius consanguinitatis in tertio simplici vel tertio secundum tangente eiusdem lineae gradu (*Alleg. I* initio, n. 5 Instruct. α).

Ceterum haec, quae inter ipsum examen peragendum exponuntur, non nisi complere debent doctrinam circa impedimenta matrimonialia a parochis aptis temporibus coram fidelibus proponendam. Huius instructionis utilitas omnibus patet; si enim fideles in universum hanc doctrinam rite calleant, facilius fieri poterit ut, cum publicationes locum habeant, impedimenta re vera existentia et forte a nupturientibus celata ab aliis de facto denuntientur, Atque in hac re praecipuo auxilio possunt et debent esse parentes catholici, quos vincula propinquitatis latere nequeunt; ii proinde sunt adhortandi ut impedimenta forte exsistentia quam primum auctoritati ecclesiasticae denuntient. Ne vero fideles timore taxarum perterriti a manifestandis impedimentis abstineant, recte informentur de exigua quantitate pecuniae a pauperibus solvenda, quibus non raro taxa praestituta saltem ex parte condonatur [2]. Atque nomine pauperum veniunt ii omnes qui bona stabilia, ex quibus reditus fixos percipiant, non possidentes labore *manuum suarum* necessaria ad vitam cotidianam procurare tenentur. Immo, nec stabilis possessio modicae cuiusdam summae pecuniae, cuius quantitas in hodiernis adiunctis difficillime determinaretur, obstat quominus nupturientes veluti pauperes habeantur [3].

Quasi-pauperes, seu qui ter vel quater maiorem massam bonorum stabilium possident quam priores, ultra

---

[2] Taxatio pauperibus, sive cives privati sint, sive instituti piaevae causae, si petita gratia moraliter necessaria sit, non lucrosa oratori, ita ut hic nullum possit ex ea quaestum facere, ex dimidia parte minuetur, aut etiam si visum fuerit, omnino condonabitur, integris tamen oratori manentibus impensis pro tabellariis, pro exscriptione aliisque id genus necessariis (*Ordo servandus in Romana Curia. — Normae communes.* — *AAS* I, 55).

[3] Cfr. Cappello, *De Matrimonio*, p. 346 ss.

taxam pro singulis impedimentis praefixam non nisi modicam summam, titulo ammendae, erogare tenebuntur. Ceterum pastor animarum in suis instructionibus fideles edocere non praetermittat Ecclesiam prae primis desiderare ut desistant a matrimoniis quibus obstet impedimentum e propinquitate ortum, etiamsi agatur de iis in quibus dispensatio *potest* et *solet dari*, v. g. de tertio gradu consanguinitatis in linea collaterali; omissio ergo matrimonii in hoc casu conformior est menti Ecclesiae quam petitio dispensationis. Nec enim Ecclesia ad statuenda impedimenta mere ecclesiastica, in quibus semper dispensat v. g. in impedimentis gradus minoris — desiderio lucrum faciendi vel humanam libertatem coarctandi ducitur; hac in re unice bonum sociale et individuale intendit, ideoque vult ut parochi conentur avertere fideles a matrimoniis quibus impedimenta, praesertim arctiora, consanguinitatis vel affinitatis obstent (n. 5, c-ç).

Normae vero generales, iusta intercedente causa, suas patiuntur exceptiones; ideo etiam hac in re concedi solent dispensationes, quae tamen licite obtineri nequeunt, si nulla prorsus adsit ratio. In impedimentis vero maioris gradus omnino requiritur ad *validitatem* dispensationis, ut causa canonica seu iusta reapse exsistat, saltem ante rescripti exsecutionem (cfr. can. 40, 41, 42 § 2).

Citantur in praesenti documento duae Instructiones, quarum prima data fuit a S. C. de P. F. d. 9 maii 1877 et altera a S. C. de Sacramentis d. 1 augusti 1931 [4]. In prima illa Instructione describit S. C. de P. F. causas praecipuas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas, iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt simulque indicat quae sint exprimenda in ipsa dispensationis petitione. In altera vero Instructione graviter admonet S. C. de Sacramentis Ex.mos Ordinarios ne faciles se praebeant in excipiendis et commendandis precibus nupturientium, qui sint

[4] Cfr. Fontes C. i. c. VII, p. 459 ss.; *AAS* XXIII, 413 ss.

consanguinei in secundo gradu lineae collateralis tangente primum, v. g. cum agatur de avunculo et nepti vel de nepote et amita. Nam pro hoc impedimento dispensando minime sufficiunt causae quae pro ceteris impedimentis gradus maioris admitti solent, sed aliae rationes requiruntur omnino graviores, ut remotio notabilis scandali, compositio gravium quaestionum in successione bonorum aut resolutio implexarum vel valde miserarum conditionum familiarum. Hae causae si exsistant, curabunt Rev.mi Ordinarii locorum supplices libellos pro memorato impedimento dispensando *litteris ad rem suis manibus confectis commendare;* quodsi id fieri non possit, huiusmodi preces saltem *propria manu subscribere et speciali modo commendare debebunt semper.*

In comperto est pro dispensatione imploranda circa impedimenta gradus maioris debere exprimi semper causam canonicam, quae ad huiusmodi dispensationem petendam inducat. Nec id sufficit; cum enim dispensationes matrimoniales soleant concedi in forma commissoria, necesse est vi canonis 41 ut pro impedimentis gradus maioris dispensandis preces veritate nitantur *tempore executionis.* Qua de re exsecutor, antequam suo munere fungatur, praeviam informationem de exsistentia causae canonicae allegatae instituere debebit, nisi aliunde eam iam probe cognitam habeat; haud enim licet ei rescriptum acceptum tuta conscientia executioni mandare quin certus sit de veritate actuali precum ad S. Sedem missarum.

Sunt denique considerandae etiam diligenter animadversiones, quas facit praesens Instructio, ut errores involuntarii in gradibus propinquitatis exprimendis, vel modi loquendi ambigui in precibus exarandis devitentur. Ut primus scopus obtineatur, addenda erit iam in ipsis precibus arbor genealogica, qua S. Congregatio poterit corrigere errores forte commissos. Ut alter finis habeatur, diligenter erunt devitandae locutiones illae quae possent intelligi de uno tantum impedimento, cum re vera detur casus de exsistentia multiplicis impedimenti. Si quando igitur inter nupturien-

tes occurrat multiplex impedimentum propinquitatis, illae formulae adhibeantur quibus nemo rationabiliter possit induci ad asserendum agi de uno tantum impedimento; hanc autem confusionem devitare facile negotium esse cuilibet patet. Notatur interdum aliqua diversitas in gradibus propinquitatis computandis, cum tractus lineae collateralis sunt inaequales. In praxi formula clarissima esset illa in qua nominaretur primo loco longioris tractus gradus, cui mentio gradus brevioris tractus sic annectatur ut indubitanter appareat agi de uno tantum impedimento; si v. g. nupturientes dicantur consanguinei in secundo gradu lin. coll. tangente primum, nullum dubium rationabile possibile est circa verum sensum huius locutionis (n. (n. 5 β, γ).

Demum rursus declaratur in hac Instructione vicesimum quartum aetatis annum completum requiri ad hoc ut mulier innupta possit dici superadulta; haec autem norma mulieribus, quae iam sint viduae, minime applicari debet (n. 5, ε).

Vinculum coniugale iam contractum et adhuc subsistens dicerem esse impedimentum quod magis directe opponitur celebrationi novi matrimonii; ipse enim contractus novus omni sensu caret. Caute igitur hac in re erit procedendum, praesertim si de vagis agatur vel etiam de iis qui post adeptam pubertatem in longinquas regiones demigrarunt; his enim in adiunctis haud difficulter potest quis induci ad attentandam novi matrimonii celebrationem. Proinde publicationes matrimoniales erunt peragendae et ab eis non est dispensandum sine legitima causa; iusiurandum autem suppletorium non potest partibus deferri nisi cum omnia alia probationis genera desint (n. 6, β, γ).

Vi canonis 1032 parochus matrimonio vagorum assistere nequit, excepto casu necessitatis, quin antea rem deferat ad Ordinarium loci vel ad sacerdotem ad hoc delegatum et licentiam ab alterutro obtinuerit. Eadem norma fuit iam praescripta a S. C. de Sacramentis pro matrimoniis eo-

[5] Cfr. *AAS*, XIII, 349.

rum qui e loco originis in longinquas regiones demigrarunt post adeptam pubertatem et ibidem matrimonium contrahere cupiunt [5]. Et huius praescriptionis ratio in eo stat quod difficulter in his adiunctis absit prudens dubium de exsistentia impedimenti, et sic vi canonis 1031 § 1, 3° consulendus sit necessario Ordinarius loci ut matrimonium celebrari possit. In eadem autem Instructione docemur casum necessitatis, pro quo exceptio quoad supradictam normam statuitur, esse *potissimum periculum mortis;* ac re vera non apparet quae alia causa possit consultationis praeviae omissionem facere necessariam.

Interdum vero quaestio esse potest de aliqua persona quae certo invalide matrimonium contraxerit, ita ut parochus ex propria investigatione hanc certitudinem facile haurire possit. Nihilominus id minime sufficit ut quis iam ad novas nuptias admitti queat; certitudo enim moralis de nullitate prioris matrimonii debet constare *praecise* vel ex duplici sententia competentis auctoritatis, contra quam appellatum non fuerit a defensore vinculi, vel ex authentica declaratione S. Sedis aut Ordinarii ad normam can. 1990-1992.

Id a fortiori exigetur si tantum prudens dubium circa exsistentiam vinculi matrimonialis exsurgat (n. 6, α).

Alium fontem, et quidem uberrimum, causarum matrimonialium ad tribunalia ecclesiastica delatarum constituit coactio moralis habita in consensu matrimoniali praestando. Sponsa est per se huic coactioni magis obnoxia et ideo eius plena libertas erit prae primis in tuto ponenda. Atque in hac re nōn tam labor quam sollertia parochi efficaciam habebit. Negativa responsio utriusque partis non sufficeret ad securum reddendum animum parochi, nisi probationes aliunde depromptae eam confirmare videantur. Quaerere autem has probationes tunc erit potissimum necessarium, cum nuptiae de facto parentur ad effugiendas poenas, quae secus alterutri nupturienti imminerent ex parte legis civilis ob aliquod factum criminosum; huius ergo

nupturientis libertas erit diligenter inquirenda. In his aliisve similibus adiunctis oportebit non raro ut testes iurati de absentia coactionis testimonium proferant (n. 7).

Consensus matrimonialis potest vitiari non solum defectu libertatis, qui solet frequentissime adduci in causis nullitatis matrimonii, ut fatetur S. Congregatio, sed etiam appositione malitiosa alicuius conditionis vel suspensivae vel irritativae. Intenditur nempe his effugiis ut aditus ad perfringendam indissolubilitatem matrimonii semper pateat. Sicubi haec pestis, ruina exitialis familiarum christianarum, irrepere inceperit, nihil intentatum relinquere debebunt pastores animarum ut tanto flagitio et tempestive ocurratur et efficaciter. Ante omnia vero malum ipsum, generatim accurate celatum, debebit sapienter detegi, ut dein nupturientes possint efficaciter deterreri a tanto crimine committendo, quod illuc unice ducere poterit, sc. ut vinculis damnationis iam inde ab initio vitae communis illaqueentur. Ex alia vero parte non proderit eis quidquam nefandus hic dolus, cum vi canonis 1971 § 1, 1° coniuges, qui fuerint causa impedimenti, inhabiles prorsus evadant ad proprium matrimonium ex illo capite accusandum; ex hoc sequitur nullum aliud remedium eos posthac prae manibus habituros esse ad consulendum propriis conscientiis quam renovationem sinceram consensus, quem antea turpiter deformarunt, vel denuntiationem nullitatis matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae factam [6].

Validitas demum consensus posset quandoque impugnari ex imperfecta cognitione essentiae ipsius contractus matrimonialis; curandum erit igitur ut nupturientes probe noscant et obiectum, in quod eorum consensus cadere debet, et proprietates essentiales, praesertim indissolubilitatem, quae ex iure divino inhaerent coniugali vinculo. Iuvabit praeterea ponere ob oculos eorum characterem sacramen-

[6] Cfr. can. 1971 § 2 et resp. Pont. Commiss. 17 febr. 1930, *AAS* XXII, 196.

talem consensus matrimonialis, vi elevationis supernaturalis a Christo Domino peractae; quo enim melius haec omnia nupturientes calleant eo perfectior sanctiorque evadet consensus matrimonialis seu signum sacramentale.

Possunt interdum occurrere adiuncta in quibus licita evadat appositio alicuius conditionis, sive de futuro - et tunc suspenditur efficacia consensus matrimonialis donec purificetur conditio annexa - vel etiam de praesenti aut praeterito; in hoc postremo casu matrimonium erit validum vel invalidum a primo momento, prout adsit vel desit conditio consensui apposita. In quolibet vero casu, ut liceitas totius actionis salva maneat, necesse est ut nupturientes possint et velint reddi certiores de purificata conditione apposita *praecise per aliquod medium honestum;* usus igitur matrimonii, antequam constet de exsistentia conditionis annexae, penitus interdictus manebit et consequenter actus coniugalis *nunquam* erit medium honestum ad detegendam eam. Ubi primum compererit parochus adiuncta supra descripta concurrere in aliquo casu determinato, consulat tempestive Ordinarium, cuius licentia certo requiritur ut huiusmodi matrimoniis conditionatis assistere possit (n. 9, All. I, n. 17).

Demum potest reddi invalidum aliquod matrimonium defectu formae canonicae. Adeo simplex est iam forma canonica substantialis tamque perspicue describitur ea in canonibus 1094-1099, ut iam dubitare fas sit posse adhuc ob defectum essentialem formae canonicae esse invalida matrimonia, nisi per modum rarissimae exceptionis. Hos vero casus non infrequentes esse colligitur ex iis quae de hac re profert Instructio; suspicari autem licet defectum delegationis debito modo impertitae esse causam quae saepius vitiat formam canonicam; iniungitur enim Ordinario onus examinandi hoc punctum concretum in matrimoniis quibus astiterit sacerdos delegatus. Attentum et serium iuris matrimonialis studium in curriculo theologico peractum et deinde habitualiter nunquam intermissum, simul

cum diligenti attentione praestita in ipso actu celebrationis matrimonii, sive quoad propriam auctoritatem sive quoad praesentiam utriusque testis et responsa nupturientium, impediet efficaciter quominus etiam in posterum haec querela moveatur. Sacerdos, cui cordi sit sanctitas matrimonii, veluti rem sacram considerare debet quam diligentissime curare ut saltem ex hoc capite nequeant impugnari rationabiliter matrimonia quibus ipse astiterit (nn. 10, 11 f).

CONCLUSIO

Ad detegenda impedimenta matrimonialia, praesertim dirimentia, fundamentum praebent solidissimum libri paroeciales; inter hos vero locum obtinet principem liber baptizatorum. Hic ergo efficax auxilium praebere debet parocho non modo ad facilius dignoscendos gradus propinquitatis, si qui adsint, sed etiam ad secure determinandum statum singulorum. In libro enim baptizatorum debet annotari vi canonis 470 § 2, si quis matrimonium contraxerit aut sacrum subdiaconatus ordinem susceperit vel sollemnem professionem emiserit; insuper ex praescripto articuli 225 § 2 Instructionis, datae a S. Congregatione de Sacramentis d. 15 augusti 1936, in libro baptizatorum annotari debet quoque, si casus occurrat, sententia nullitatis matrimonii una cum vetitis forsan statutis, quod locum habere potest praecipue in casibus impotentiae. Haec autem omnia accurate debent referri, dum detur casus, in documento accepti baptismatis.

Harum rerum in libro baptizatorum annotatio tantum habet momenti ut parochi, qui matrimonio astiterint, si debeant commonefacere parochos vel parochum loci baptismi amborum coniugum vel unius de matrimonio celebrato, nequeant tuta conscientia acquiescere dum nuncium de peracta transcriptione non receperint. Hinc est etiam quod ex sua parte Ordinarii locorum certiorem facere debeant de sententia exsecutiva nullitatis ma-

trimonii vel de apostolica dispensatione a matrimonio rato et non consummato, cum casus occurrat, rectorem paroeciae in cuius libris officialibus celebratio matrimonii fuerit consignata, ut in regestis tam matrimoniorum quam baptizatorum decisio auctoritatis ecclesiasticae, una cum vetitis forte additis, fideliter referatur. Eandem normam servandam esse arbitror, cum agatur de declaratione nullitatis matrimonii ab Ordinario secundum praescripta can. 1990-1992 prolata.

Si vero contingat ut parochus loci baptismi sit diversus ab eo in cuius libris paroecialibus constat de celebratione matrimonii, hic tenebitur transmittere illi notificationem acceptam ab Ordinario, ut tandem fiat in libro baptizatorum annotatio praescripta; nec satis, insuper enim Ordinarium certiorem reddere debet de iis quae peregerit. Quid vero agendum si quis baptizatus fuerit extra propriam paroeciam? Videtur in hoc casu notificationem factam parocho loci baptismi sufficere; hoc enim modo obtinetur plene finis quem persequitur praesens dispositio, cum documentum accepti baptismatis, requisitum ad matrimonium, debeat dari a parocho loci baptismi; sufficit ergo ut ipse annotet in libro baptizatorum quidquid spectet ad statum singulorum (n. 11 b, c).

Si omnia haec praescripta rite exsecutioni mandentur, nullum dubium est quin documentum accepti baptismatis plurimum lucis afferat ad detegenda impedimenta matrimonialia, si quae fuerint; mirandum non est ergo quod iterum summa diligentia commendetur in libris matrimoniorum et baptizatorum conscribendis. Hinc etiam intelligitur cur exigatur pro matrimonio documentum recens accepti baptismatis; quo enim recentius sit illud, eo brevius erit spatium temporis in quo potuisset disparere libertas status, quin de hac re mentio fiat in documento accepti baptismatis. Ideo etiam adeundus erit parochus originis, penes quem vi canonis 778 debet esse annotatus cuiuslibes fidelis baptismus, si nupturientes negent se esse baptizatos; id

enim asserere possent timentes fortasse ne ex documentis baptismi detegatur statum libertatis non amplius exsistere pro alterutra vel utraque parte.

Quantum sit cordi S. Congregationi diligens adimpletio praescriptorum huius Instructionis patet in primis ex seria vigilantia quae pro tota hac re statuitur. *Exoptatur* enim ut Ordinarii bis in anno et quidem personaliter inspiciant regesta paroecialia matrimoniorum et baptizatorum; *praecipitur* vero ut id fiat saltem semel in anno per idoneos delegatos. Atque in his visitationibus singuli actus erunt perpendendi et speciali signo communiendi, quod de peracta recognitione fidem faciat. Ex sua parte Ordinarii locorum quotannis, cum relationem mittant de tractatione causarum matrimonialium, debent pariter S. Congregationem certiorem reddere de peractis visitationibus nunc praescriptis; Ordinarii vero Italiae, qui ad illam Relationem mittendam non tenentur, sub initio cuiuslibet anni id praestabunt (n. 11 f; n. 12).

Graviter monentur demum Ordinarii ut, si necessitas postulet, facultate utantur, eis per can. 2222 § 1 concessa, puniendi negligentes hac in re, praesertim recidivos, etsi lex in c. 1020 contenta nullam sanctionem habeat appositam. Quae poena sit iusta ad puniendam hanc negligentiam ex diversitate adiunctorum singulorum casuum melius iudicabit Ordinarius; certe generatim poena inferior quam suspensio a divinis erit applicanda, cum ex modo loquendi in Instructione adhibito haec poena videatur esse maxima quae in hac re possit vel debeat adhiberi (n. 12).

Ceterum patet S. Congregationem praesupponere negligentiam hac in re commissam posse consectaria secum trahere, quae scandalum pariant; hinc est quod haec transgressio *speciali gravitate*, de qua sermo est in can. 2222 §1, generatim non carebit, et sic iure meritoque ad medium extraordinarium, in citato canone praevisum, recursus fiet.

Optandum sane est ut haec praescripta ab omnibus pastoribus animarum et reverenter accipiantur et accurate

exsecutioni mandentur, cum non tam onera nova secum ferant quam normas praebeant securas, quibus satis gravissimae obligationi fiat iam per canonem 1020 parochis impositae.

PHILIPPUS AGUIRRE S. I.

42 - Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

(Prot. N. 855/41/7)

Lettera

AGLI ECC.MI COMMISSARI PER GLI STUDI DEI PONTIFICI SEMINARI REGIONALI D'ITALIA CIRCA L'ISTITUZIONE DI UN CORSO SPECIALE PER LA SPIEGAZIONE DEI SALMI.

Eccellenza Rev.ma.

La Santità di Nostro Signore Pio Pp. XII, felicemente regnante, nella Sua vigile sollecitudine per tutto ciò che concerne la vita interiore e la pietà del Clero, desidera che si dedichi cura particolare all'intelligenza dei Salmi, perchè la recita del Divino Ufficio, la quale costituisce per il Sacerdote la preghiera di tutta la vita e di tutte le ore, sia compiuta con maggiore attenzione e devozione.

In ossequio all'augusto desiderio del Santo Padre, questa Sacra Congregazione è venuta nella determinazione che, a partire dal prossimo anno scolastico 1941-42, nel programma degli studi Teologici dei Pontifici Seminari Regionali venga introdotto un corso pratico sul Salterio secondo le seguenti norme:

1) Il Corso è biennale per gli alunni riuniti del 3° e 4° anno di Teologia, con una lezione settimanale.

L'ora necessaria allo scopo viene presa dal corso affine di Luturgia, che è quindi limitato al primo biennio, rima-

nendo però integro l'insegnamento delle SS. Cerimonie da impartirsi setimanalmente da un superiore a tutti gli alunni di Teologia in orario extra scolastico.

2) Il Corso è affidato al Professore di Sacra Scrittura, il quale d'ora innanzi dovrà tenere complessivamente dieci lezioni per settimana come gli altri insegnanti di Teologia.

3) Il Corso ha scopo eminentemente pratico e deve comprendere la spiegazione di tutto il Salterio.

4) Perchè sia possibile dare ai Chierici, con una cinquantina di lezioni, — quante se ne possono tenere nel biennio — una comprensione abastanza esatta dei 150 Salmi, è bene:

a) premettere la introduzione al Salterio, con tutte le questioni inerenti (sensi biblici, poesia ebraica ossia parallelismo e ritmo, ecc.) nel primo anno di Teologia;

b) raggruppare i Salmi in serie secondo l'argomento: così è anche più facile evitare inutili ripetizioni e raggiungere maggior chiarezza nell'esposizione;

c) svolgere i Salmi messianici e qualche altro dei più importanti nella scuola ordinaria di esegesi, con l'ampiezza che meritano;

d) il Professore si preoccupi che gli alunni comprendano bene il senso del testo Volgato, che è quello del Breviario: per maggiore speditezza può usare la lingua italiana.

Egli, premessa per ogni Salmo una brevissima introduzione (circostanze storiche che vi hanno dato origine, argomento, divisione, caratteristiche principali letterarie e dottrinali) legga il testo latino, lo traduca e dove il senso presenti qualche difficoltà, ne dia brevemente la spiegazione, ricorrendo al testo ebraico soltanto quando la Volgata non sia chiara, omettendo però sempre ogni discussione.

5) All'inizio del Corso si legga e si commenti brevemente la bolla di Pio X di s. m. « Divino afflatu » (1 nov. 1911), e si insista sull'alto valore e l'uso liturgico dei Salmi.

6) Al termine del terzo e del quarto anno di Teologia

gli alunni devono sostenere un esame sui Salmi letti e spiegati.

7) Sarebbe bene che il Professore prescrivesse un testo unico e lo seguisse. Se non esiste ancora un libro di testo che possa dirsi sotto ogni riguardo completo e soddisfacente, non mancano certo esposizioni e volgarizzazioni del Salterio. Mons. Vincenzo Tarozzi di s. m. nel suo aureo opuscoletto « *Psalliter sapienter* » a chi non abbia modo e tempo di attingere a copiose esposizioni suggerisce, tra i moderni « *Il nuovo Salterio del Breviario Romano* » dell'egregio Sulpiziano L. Cl. Fillion, testo, traduzione e commento disposto secondo le riforme di Papa Pio X. Ma nessuno è più competente del Professore anche nella scelta della traduzione e del commento che meglio rispondano alle giuste esigenze dei suoi alunni, i quali potrebbero giovarsi molto del Salterio contenuto nella ormai celebre « *Biblia Sacra Vulgatae Editionis* » pubblicata da P. Michele Hetzenauer [1].

---

[1] Ricordiamo qui, a modo di esempio, alcuni autori dei più recenti:

M. Sales — « La Sacra Bibbia », vol. V: « Il libro dei Salmi », Torino, L. I. C. E., 1934.

Ireneo da S. Giovanni Ev. — « Salterio Romano, secondo la riforma di S. S. Pio X », Roma, Pustet, 1922.

C. Willi — « Breviario spiegato, con la traduzione del Salterio Romano ». Torino, Libreria del S. Cuore, Sismondi, II edizione 1939.

G. Mezzacasa — « Il Salterio e i Cantici, testo latino e italiano, annotato e disposto secondo la recitazione dell'Ufficio Divino ». Torino, S. E. I., 1939.

G. Bottazzo — « Salterio del Breviario Romano, con l'Ordinario del Divino Uffizio nel testo latino e italiano ». Roma-Alba, Pia Soc. S. Paolo, 1935.

S. Dogliotti — « Psalterium cum glossis iuxta ordinem Breviarii Romani dispositum ». Subiaco, Monastero di S. Scolastica, 1935.

C. Zorell — « Psalterium ex Hebraeo Latinum », con appendice: « Cantica Breviarii Romani ». Roma, Pont. Inst. Bibl., II Edizione, 1939.

Il Rev.mo Prefetto degli Studi di ciascun Seminario Regionale alla fine del prossimo anno scolastico farà ampia relazione circa i risultati del Corso all'Ecc.mo Presule Commisario per gli Studi, il quale ne informerà questo Sacro Dicastero, e questi ne approfitterà per migliorare, eventualmente, il Corso stesso.

Non dubitiamo che la suddetta iniziativa, particolarmente benedetta dal Vicario di Gesù Cristo, produrrà i frutti desiderati.

Invocando a tale scopo le più elette Benedizioni Celesti su quanti prestano la loro encomiabile opera perchè gli alunni del Santuario diventino veri uomini di Dio, animati dallo spirito di preghiera, con sensi di particolare ossequio e con i più cordiali auguri nel Signore mi profeso

dell'Eccellenza Vostra Rev.ma

dev.mo in G. C.

F.to: G. Card. PIZZARDO

Prefetto

ERNESTO RUFFINI, *Segr.*

Annotationes

1. Documentum Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, quod brevi commentario illustrare intendimus, agit de cursu speciali instituendo in omnibus Pontificiis Seminaris Regionalibus Italiae « *de Psalmorum explicatione* »; documentum autem continet brevem

A. VACCARI - « I Salmi, tradotti dall'ebraico, con la Volgata di fronte ». Torino, S. E. I., 1937.

Per l'uso ascetico e pastorale del Salterio, possono consigliarsi:

G. DE STEFANI - « Il Breviario e il ministero pastorale ». Torino, L. I. C. E., 1938.

A. MILLER - « I Salmi, introduzione alla loro storia, spirito ed uso liturgico ». Torino, S. E. I., 1939.

introductionem, normas 7 pro cursu instituendo, atque epistulae colophonem.

DE INTRODUCTIONE

2. In introductione desiderium exprimitur Summi Pontificis feliciter regnantis; qui, « sollicitus de omnibus quae ad cleri interiorem vitam pietatemque pertinent, exoptat ut specialis cura et diligentia Psalmis intellegendis tribuatur, eo praecise scopo ut Divini Officii recitatio, quae pro singulis sacerdotibus totius vitae horarumque omnium orationem constituit, maiori attentione ac devotione peragatur ». Quod Summi Pontificis sanctum desiderium illis plurium doctorum ac piorum sanctorumque virorum desideriis plene respondet, qui saepe saepius, de Psalmorum in Breviario usu loquentes vel scribentes, eorundem Psalmorum debitam cognitionem plurimis clericis et sacerdotibus deesse testati ac lamentati sunt. Sufficiant verba, quae ante annos 330 S. Robertus Bellarminus scripserat, ideo Psalterium explanandum aggrediens, quia ipsum invenit librum esse

« quem omnes clerici cotidie *legunt*,
pauci admodum *intellegunt* . . . » [1]

3. Plurima exstant, et quidem praeclara opera, huic malo remedium allatura conscripta; sed omne remedium insufficiens apparet, nisi clericis omnibus ante Sacrorum Ordinum susceptionem media offerantur apta, quibus dignam Psalmorum cognitionem et eisdem debitum affectum atque aestimationem acquirere valeant. Id praestare intendit hicce Cursus « *De Psalmorum explicatione ad dignam eorundem in Divino Officio recitationem* »; cursus nunc a Sacra Congregatione de Seminariis oportunissime institutus, atque normis quidem non minus opportunis, quae novi

[1] *Explanatio in Psalmos* vol. I pag. XXXIX (Romae 1931).

cursus *extensionem*, *naturam*, *momentum* egregie declarant atque determinant.

DE CURSUS EXTENSIONE.

4. Extendendus est enim cursus per III et IV Theologiae annum, una hebdomadaria lectione, ita ut biennio toto lectiones 50 circiter habeantur (normae 1. 2. 4).

DE NATURA CURSUS.

5. Quoad cursus naturam, *scopum practicum* intendat necesse est: Psalmorum videlicet intellegentiam ad dignam, attentam, devotam eorundem in Breviario recitationem; ideoque ut totum et integrum Psalterium, omnes et singuli 150 Psalmi in hoc cursu explicentur requiritur (normae 3. 4).

Quod ut fiat, Professori (qui Sacrae Scripturae Professor sit necesse est) assignantur pro suo officio quaedam quidem cursui praemittenda, quaedam vero in eodem cursu curanda atque praestanda. Quare, iam in ipso I Theologiae anno specialis in Psalterium introductio praemittenda est, in qua (de sensibus Sacrae Scripturae, de poësi hebraica, id est, de parallelismo et rhythmo, etc.) agatur (norma 4 a).

6. In novo autem Psalmorum cursu practico diligenter a Professore curandum est, ut alumni in omnibus Psalmis sensum quem in textu Vulgatae et in Breviario habent Psalmi, bene teneant atque calleant: ad quod et Psalmi omnes ex eorundem argumento dividendi et colligendi sunt, et singuli brevissima introductione (historica, litteraria, doctrinali) donandi sunt; item brevi explicatione exponendi, immo in vernaculam linguam vertendi (norma 4 b, d); Psalmi autem messianici et aliqui alii, quibus maius insit momentum, in ordinaria exegeos schola amplitudine quam merentur evolvantur (norma 4 c).

DE MOMENTO CURSUS.

7. Cursus momentum extollitur in documento, duplici dispositione, alia initio cursus, alia in fine observanda. Initio etenim cursus Bullam Pii X s. m. « *Divino afflatu* » Breviario Romano praefixam, brevi commentario ornare tenetur Professor (norma 5); atque in fine cursus [tum anno III, tum anno IV Theologiae], tenentur item alumni omnes, ut de Psalmis explicatis examen subeant (norma 6).

Praeterea, unicum librum textus commendans, eiusdemque determinationem Professi concedens, atque commendans maxime Psalterii textum, prout in *Bibliis Sacris* a R. P. Michaële Hetzenauer editis habetur; selectam pro novo cursu bibliographiam in nota normae 7 proponit.

8. Tandem in epistulae conclusione, Studiorum Praefecto imponitur ut in fine proximi cursus scholaris amplam de novo Psalmorum cursu relationem Excellentissimo Studiorum Commissario faciat.

9. Talis cursus, ex speciali Summi Pontificis desiderio ortus, sapientibus Sacrae Congregationis de Seminariis normis determinatus, atque diligenti cura et studio tum Professorum tum alumnorum peractus, fructus sine dubio amplissimos uberrimosque obtinere poterit; atque illum maxime quod « alumni Sanctuarii, veri homines Dei efficiantur, orationis [ac devotionis] spiritu animati ».

ROMUALDUS GALDOS S. I.

43 - Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

Responsa ad proposita dubia

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coe-

tu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - DE IURE FUNERANDI

D. An sub verbis canonis 1233 § 1: *clerici ... ipsi ecclesiae addicti,* veniant etiam ecclesiae cathedralis vel collegialis capitulares, qua tales.

R. Negative.

II - DE SEPARATIONE CONIUGUM

D. An causae separationis coniugum recensendae sint inter causas nunquam transeuntes in rem iudicatam, de quibus in canonibus 1903 et 1989.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 8 Aprilis, anno 1941.

M. Card. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

I. - De Iure funerandi

In dubio proposito agitur de iure associandi cadaver in ipsius deductione ad ecclesiam funeris et ad sepulturam, et in assistentia funeri. Associatio est deductio cadaveris cum religiosa pompa ad ecclesiam funeris et ad sepulturam, convocatis clericis et piis sodalitiis. Praeter ius et onus legitimi ministri funeris et tumulationis associandi cadavera, ius est penes familiam vel heredes defuncti invitandi clericos saeculares, religiosos et pia sodalitia ad comitandum defuncti cadaver sive ad ecclesiam sive ad tumulum et ad assistendum funeri. Prae aliis autem omnibus invitari debent a familia clerici ecclesiae funeranti vel tumulanti *ad-*

dicti. Dubium versatur circa extensionem huius formulae: clerici... *ipsi ecclesiae addicti*, et quidem in casu concreto quo ecclesia funeris sit ecclesia cathedralis vel collegialis quae habent quaeque capitula. Ecclesia cathedralis vel collegialis est ecclesia funeris imprimis si est simul paroecialis (can. 415). Tunc iusta funebria in eadem peraguntur ex iure ordinario iuxta can. 1216-1218. Praeterea ipsaemet ius funerandi habere possunt ex consuetudine vel praescriptione; tandem ex iure sepulturae electivae idem illis ecclesiis contingere potest.

Itaque, in omnibus hisce casibus quaeritur an capitulares, *qua tales*, prae omnibus aliis invitandi sint.

Praemittendum est: *a*) capitulares esse solos canonicos qui de iure capitulum faciunt; (can. 393 § 2); ceteri autem non sunt de capitulo, vr. gr. canonici honorarii, mansionarii, beneficiarii, cappellani, vicarii aliique similes; *b*) capitulares, qua tales, in dubio ponuntur, quia clerus proprius ecclesiae cathedralis vel collegialis sunt canonici capitulares seu collegium clericorum institutum ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat (can. 391). Capitulares ergo qua tales nominantur seu quatenus eisdem commissum est munus proprium canonicorum prout in iure declaratur. In hodierna responsione Commissionis Codicis officium canonici sive in ecclesia cathedrali, sive in collegiali non dat eis ius ut invitari debeant prae omnibus aliis in associatione cadaveris.

Ratio huius restrictae interpretationis esse potest, quod ius sepulturae ecclesiasticae pertinet ad officium pastorale. Capitulares autem ecclesiae cathedralis vel collegialis, qua tales, non participant in officio pastorali seu in cura animarum. Clerici ergo ipsi ecclesiae addicti intelliguntur, ad sensum canonis 1233 § 1, illi qui in ecclesia funerante addicti sunt curae animarum. Item, cum clerus in ecclesiis cathedralibus aut collegialibus numeretur non ratione curae animarum sed ex proprio officio in iure descripto, officium invitandi capitulares prae omnibus aliis ad funera nimis

gravosum esse posset familiis heredibusque, quibus unice ius est libere invitandi ad associationem defuncti. Cum igitur in ecclesia cathedrali vel collegiata, quae sit simul paroecialis, praeter capitulum, sit alius clerus qui addicitur paroeciae, cui praeest parochus, (can. 415 §§ 1, 2) vel vicarius (can. 471) cumque in iure tota cura actualis animarum iisdem committatur (cfr. can. 415, §§ 2, 4, 5), capitulares qua tales nullum titulum habere dicendi sunt ut ad funera prae aliis invitentur, quippe qui in cura animarum non intenti. Si autem capitulares ad mentem et normam can. 415 § 5 adiutores essent parochi in exercenda paroeciali cura, tunc qua adiutores non vero qua capitulares invitari eos oporteret.

II. - De Separatione coniugum.

Hoc responsum descendit simpliciter ex natura ipsa causae separationis coniugum, quae est vera et propria causa matrimonialis definiens statum personarum, nempe, in casu coniugatorum. Status coniugatorum est status immobilis subiectionis ex lege naturali matrimonii et iure canonico et civili ad onera matrimonii (Passerini, de hominum statibus et officiis, I, q. 183, art. 2). Iam vero, per sententiam quae statuit separationem coniugum canonicam modificantur officia quae statum matrimonialem consequuntur, id est, communionem vitae coniugalis; unde sequuntur quoque modificationes in effectibus civilibus coniugii. Respiciunt ergo statum personarum, ac proinde iuxta canones 1903 et 1989 non debent in rem iudicatam transire.

Raymundus Bidagor S. J.

ACTA SUMMATIM RELATA

44 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae apostolicae *Cum religionis decus,* 6 iau. 1941, quibus ecclesia Maratheae, intra fines Policastrensis dioecesis, in honorem s. Blasii episcopi et martyris Deo dicata, basilicae minoris titulo honoribusque augetur (*AAS* XXXIII [21 iul. 1941] p. 325-326).

B — Litterae apostolicae *Comensi in civitate,* 11 febr. 1941, quibus archipresbyterale templum, civitatis ac dioecesis Comensis intra fines, in honorem s. Georgii martyris Deo dicatum, titulo basilicae minoris condecoratur (*AAS* XXXIIII [21 iul. 1941] p. 326-328).

C — Epistula *It is with heartfelt affection,* 24 febr. 1941, ad Praesidem, doctores et alumnos Studiorum universitatis « Fordham », in civitate Neo-Eboracensi, primo saeculo ab eius ortu exeunte (*AAS* XXXIII [21 iul. 1941] p. 328-330).

D — Litterae apostolicae *Quae christifidelium,* 25 martii 1941, quibus Sancti Didaci dioecesis B. Maria Virgo titulo « Nostra Domina de Refugio » patrona confirmatur, simulque s. Didacus confessor patronus aeque principalis declaratur (*AAS* XXXIII [12 sept. 1941] p. 385-386).

E — Constitutio apostolica *Si evangelii praeconum,* 3 apr. 1941, qua praefectura apostolica de Rajaburi in Siamensi seu Thailandesi regno ad vicariatus apostolici gradum evehitur, iisdem servatis nomine ac limitibus (*AAS* XXXIII [12 sept. 1941] p. 383-384.

F — Constitutio apostolica *Apostolicum munus,* 10 maii 1941, qua ex archidioecesis S. Salvatoris in Brasilia territorio pars seiungitur, quae in novam erigitur dioecesim « Armagosensem » nuncupandam, eidem metropolitanae Ecclesiae S. Salvatoris in Brasilia suffraganeam (*AAS* XXXIII [25 oct. 1941] p. 407-410).

G — Allocutio quam Summus Pontifex ad puellas in Actione catholica Romae adlaborantes, die 22 mensis maii anni 1941, in festo Ascensionis D. N. Iesu Christi, habuit (*AAS* XXXIII [23 iunii 1941] p. 184-191).

H — Allocutio diei 2 iunii 1941, quam Summus Pontifex ad Em.mos PP. DD. Cardinales in festo s. Eugenii pp. I fausta ominantes habuit (*AAS* XXXIII [23 iunii 1941] p. 191-194).

I — Epistula *Libentissime excepimus*, 8 iun. 1941, ad Em.mum P. D. DIONYSIUM tit. SS. Nerei et Achillei S. R. E. Presb. Cardinalem DOUGHERTY, archiepiscopum Philadelphiensem, quem legatum mittit ad IX conventum eucharisticum nationalem Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum in urbe Sancti Pauli de Minnesota celebrandum (*AAS* XXXIII [25 aug. 1941] p. 355-356).

K — Nuntius radiophonicus ad christifideles Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum die 26 mensis iunii anni 1941 in urbe Sancti Pauli de Minnesota ob. IX conventum eucharisticum nationalem coadunatos (*AAS* XXXIII [25 aug. 1941] p. 351-354).

L — Nuntius radiophonicus a Summo Pontifice die 29 mensis iunii, in festo ss. Apostolorum Petri et Pauli, universo orbi datus de Divinae Providentiae ductu in humanae societatis eventis (*AAS* XXXIII [21 iul. 1941] p. 319-325).

M — Constitutio apostolica *Universi dominici gregis*, 3 iul. 1941, qua dioeceses Antioquiensis et Iericoensis invicem canonice unitae separantur, ac praefectura apostolica de Urabà supprimitur, eiusque territorium dioecesi Antioquiensi adnectitur una cum parva territorii dioecesis Iericoensis parte, quae propterea ab eadem dioecesi separatur (*AAS* XXXIII [25 oct. 1941] p. 410-411).

N — Constitutio apostolica *Ad dioecesis gradum*, 8 iul. 1941, qua vicariatus apostolicus Cookpolitanus in dioecesim Cairnensem nomine provehitur et erigitur (*AAS* XXXII [25 oct. 1941] p. 412-414.

O — Epistula *Nuper agnovimus Helveticam Confoederationem*, 12 iul. 1941, ad Ill.mos Viros Praesidem ceterosque e supremo consilio foederali Helvetico, 650 anno exeunte ab Helvetica Confereratione condita (*AAS* XXXIII [12 sept. 1941] p. 386-387).

P — Constitutio apostolica *Quo christifidelibus*, 13 iul. 1941, qua ex archidioecesi Cuiabensi ex dioecesi Corumbensi et ex praelatura Registrensi territorii pars dismembratur, et nova exinde praelatura « nullius » « Chapadensis » erigitur, metropolitanae Ecclesiae Cuiabensi suffraganea (*AAS* XXXIII [25 oct. 1941] p. 414-417).

Q — Allocutio diei 17 mensis iulii anni 1941, qua Summus Pontifex respondit humanissimis verbis quibus Exc.mus

Vir Diomedes Arias Schreiber, qua Peruviae Orator extra ordinem liberis cum mandatis, Litteras publicas porrexit (*AAS* xxxiii [25 aug. 1941] p. 356-358).

R — Epistola *Exeunte anno quinquagesimo*, 23 iul. 1941, ad Exc.mum P. D. Bartholomaeum Cattaneo, archiepiscopum tit. Palmirensem, Thesaurarium generalem Camerae apostolicae, dena lustra sacerdotii et quina episcopatus feliciter explentem (*AAS* xxxiii [25 oct. 1941] p. 417-418).

S — Epistula *Peramantes litterae*, 25 iul.1941, ad Exc.mos DD. Victorem Bieler, episcopum Sedunensem, ceterosque Helvetiae episcopos, qua Summus Pontifex eorum litteris respondet ex communi conventu apud sanctuarium Dominae nostrae Einsiedlensis ad se datis (*AAS* xxxiii [25 oct. 1941] p. 418-419).

T — Allocutio diei 1 mensis augusti anni 1941, qua Summus Pontifex respondit humanissimis verbis quibus Exc.mus Vir Daniel Papp, qua Rumeniae Legatus extra ordinem liberis cum mandatis, litteras publicas porrexit (*AAS* xxxiii [25 aug. 1941] p. 359-360).

U — Epistula *Altera Mediolanensis archidioecesis*, 8 sept. 1941, ad Em.mum P. D. Alaphridum I tit. S. Martini in Montibus S. R. E. Presb. Cardinalem Schuster, archiepiscopum Mediolanensem, dioecesanam synodum indicentem (*AAS* xxxiii [25 oct. 1941] p. 419-420).

45 - Sacra Congregatio Consistorialis

Decretum 26 april. 1941, quo statuitur ut territorium Canton Price, archidioecsis Quebecensis, ab ipsa archidioesi seiungatur atque dioecesi Sherbrookensi perpetuo aggregetur, mutatis hac ratione finibus earundem dioecesium (*AAS* xxxiii [25 aug. 1941] p. 361).

46 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Savonen.* Decretum 5 febr. 1941, Super dubio: an signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis S. Mariae Iosephae Rossello, Virginis, e Tertio ordine S. Francisci, fundatricis Instituti Filiarum Nostrae Dominae a Misericordia (*AAS* xxxiii [21 iul. 1941] p. 335-336).

2 - *Leodien.* Decretum 9 febr. 1941, Super dubio: an constet de virtutibus thelogalibus fide, spe, caritate cum in Deum, tum in proximum nec non de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis venerabilis Servae Dei Mariae Teresiae Haze, fundatricis Congregationis Filiarum a Cruce (*AAS* xxxiii [21 iul. 1941] p. 336-339).

3 - *Constantien. et Abrincen.* Decretum 9 febr. 1941, Super dubio: an constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis venerabilis Servae Dei Placidae Viel, secundae superiorissae generalis Instituti Scholarum christianarum a Misericordia (*AAS* xxxiii [12 sept. 1941] p. 393-396).

4 - *Vicen.* Decretum 19 febr. 1941, Super dubio: an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servi Dei Francisci Coll, sacerdotis professi Ordinis Praedicatorum, fundatoris Congregationis Sororum Tertii ordinis S. Dominici ab Annuntiatione (*AAS* xxxiii [25 aug. 1941] p. 372-374).

5 - *Albiganen.* Decretum 23 martii 1941, Super dubio: an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servi Dei Augusti Czartoryski, sacerdotis professi Societatis S. Francisci Salesii (*AAS* xxxiii [25 aug. 1941] p. 374-376).

6 - *Taurinen.* Decretum 23 martii 1941, Super dubio: an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servi Dei Marci Antonii Durando, sacerdotis Congregationis Missionis, fundatoris Instituti Sororum a Iesu Nazareno (*AAS* xxxiii [12 sept. 1941] p. 396-398).

7 - *Ulyssiponen.* Decretum 28 maii 1941, Super dubio: an signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis Beati Nonii Alvarez Pereira, fratris laici professi Ordinis Fratrum Carmelitarum (*AAS* xxxiii [12 sep. 1941] p. 399-400).

8 - *Bergomen.* Decretum 4 iun. 1941, Super dubio: an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servae Dei Gertrudis Comensoli, fundatricis Instituti Sororum a Ss.mo Sacramento (*AAS* xxxiii [12 sept. 1941] p. 400-402).

9 - *S. Thomae de Meliapor.* Decretum 30 iun. 1941, Super dubio: an et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad affectum de quo agitur, canonizationis B. Ioannis de Britto Martyris, sacerdotis professi Societatis Iesu (*AAS* xxxiii [12 sept. 1941] p. 402-404).

10 - *Neapolitana* seu *Lycien.* Decretum 30 iun. 1941, Super dubio: an et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis Beati Bernardini Realino Confessoris, sacerdotis professi Societatis Iesu (*AAS* xxxiii [12 sept. 1941] p. 404-406).

11 - *Romana* seu *Leodien.* Decretum 2 iul. 1941, Super dubio an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Iesu, in saeculo Aemiliae d'Oultremont, viduae d'Hooghvorst, fundatricis Instituti a Maria Reparatrice (*AAS* xxxiii [25 oct. 1941] p. 428-430).

12 - *Aquen.* Decretum 16 iul. 1941, Super dubio: an signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis beatae Mariae Dominicae Mazzarello Virginis, confundatricis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis (*AAS* xxxiii [25 oct. 1941] p. 430-431).

13 - *Veron.* Decretum 15 aug. 1941, Super dubio: an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis venerabilis Servae Dei Magdalenae Marchionissae de Canossa, fundatricis Instituti Filiarum a Caritate (*AAS* xxxiii [25 oct. 1941] p. 431-433).

47 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

15 mart. 1941, R. D. Daniel Hannon, cathedrali ecclesiae Menevensi.

17 maii 1941, R. D. Iacobus Sweeney, cathedrali ecclesiae Honoluluensi, nuper erectae.

24 maii 1941, R. D. Georgius Cabana, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Arthuri Béliveau, archiepiscopi Sancti Bonifacii.

24 maii 1941, R. D. Rosarius Brodeur, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Felicis Couturier, episcopi Alexandrini in Ontario.

1 iun. 1941, Exc. P. D. Ioannes Henricus King, cathedrali ecclesiae Portus Magni.

14 iun. 1941, Exc. P. D. Andreas Skrabik, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Mariani Blaha, episcopi Neosoliensis.

14 iun. 1941, Exc. P. D. Andreas Skrabrik, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Symphoriani Bogarin, archiepiscopi Ss.mae Assumptionis.

5 iul. 1941, R. D. Dionysius Moynihan, cathedrali ecclesiae Rossensi.

5 iul. 1941, R. D. Michael O'Reilly, cathedrali ecclesiae S. Georgii Terrae Novae.

19 iul. 1941, Exc. P. D. Antonius Lustosa, hactenus archiepiscopus Belemensis de Parà, metropolitanae ecclesiae Fortalexiensi.

19 iul. 1941, R. D. Aloisius Gonzaga Marelim, Congregationis Missionis, athedrali ecclesiae Caxiensi in Maragnano, noviter erectae.

19 iul. 1941, Exc. P. D. Benignus Lucianus Migliorini, cathedrali ecclesiae Reatinae.

21 iul. 1941, R. D. Dominicus Vendola, cathedrali ecclesiae Lucerinae.

31 iul. 1941, R. P. Carolus Baldini, Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, cathedralibus ecclesiis Clusinae et Pientinae, aeque principaliter unitis.

2 aug. 1941, R. D. Laurentius Fitz Simon, cathedrali ecclesiae Amarillensi.

9 aug. 1941, R. D. Alexander Menchaca Lira, cathedrali ecclesiae Temucensi.

13 aug. 1941, R. D. Iosephus Vieira Alvernaz, cathedrali ecclesiae Coccinensi.

15 sept. 1941, Exc. P. D. Iacobus Barros Camara, hactenus episcopus Mossorensis, metropolitanae ecclesiae Belemensi de Parà.

15 sept. 1941, R. D. Petrus Aguilera Narbona, cathedrali ecclesiae Iquiquensi.

24 sept. 1491, R. D. Paulus Chevrier, cathedrali ecclesiae Cadurcensi.

24 sept. 1941, R. D. Augustus Gaudel, cathedrali ecclesiae Foroiuliensi.

3 oct. 1941, Exc. P. D. Gerardus Anaya y Diiez de Bonilla, hactenus episcopus Chiapasensis, cathedrali ecclesiae Sancti Ludovici Potosiensis.

11 oct. 1941, R. D. Eugenius Le Bellec, cathedrali ecclesiae Venetensi.

11 oct. 1941, R. D. Antonius Cazaux, cathedrali ecclesiae Lucionensi.

22 oct. 1941, R. D. Norbertus Perini, metropolitanae ecclesiae Firmanae.

Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt:

8 iul. 1941, Exc. P. D. Ioannem Heavy, hactenus vicarius apostolicus, cathedrali ecclesiae Cairnensi, nuper erectae.

8 iul. 1941, R. P. Vitus Chang, Societatis Verbi Divini, vicarius apostolicus de Sinyangchow.

8 iul. 1941, R. P. Andreas Dupont, e Societate Missionariorum Africae, vicarius apostolicus de Bobo-Dioulasso.

8 iul. 1941, R. P. Ioannes Wolff, vicarius apostolicus de Majunga.

48 - Nominationes

28 mart. 1941, R. P. Petrus Alcantara de Habas, O. F. M. Capuccinorum (in saeculo Iosephus Sintas) praefectus apostolicus Berberatensis.

30 maii 1941, R. D. Ioannes Kao, praefectus apostolicus de Chowchih.

13 iun. 1941, R. P. Georgius Mercier, e Missionariis Africae, praefectus apostolicus Ghardaiensis.

20 iun. 1941, R. P. Aemilius Favarato, O. M. Conv., praefectus apostolicus de Hinganfu.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Joannes Bobàk, *De caelibatu ecclesiastico deque impedimento Ordinis Sacri apud Orientales et praesertim apud Ruthenos*, (Urbaniana, II, 3), Romae (Officium Libri Catholici), 1941, 16,5×24,5 cm., 165 p.

De caelibatu in ecclesia antiqua ab initio usque ad concilium in Trullo. De caelibatus historia apud Ruthenos. De matrimonii sacerdotis Orientalis post ordinationem contracti validitate aut invaliditate.

Hamletus Ioannes Cicognani, *Commentarium ad librum primum Codicis iuris canonici*, recognitum et auctum a sac. Dino Staffa, Romae (Ad custodiam librariam Pontificii Instituti Utriusque Iuris), Volumen II, 1942, 14,5×23 cm., 663 p.

De consuetudine. De temporis supputatione. De rescriptis. De privilegiis. De dispensationibus.

Firminius Feltz, O. F. M., *De coniugum admissione in religionem*, Romae (Officium Libri Catholici), 1941, 17,5×24,5 cm., IX-75 p.

Tractatus historico-canonicus: Impedimenti matrimonialis origo necnon evolutio inde ab initio vitae asceticae usque ad Gregorium Magnum. Legislatio et evolutio impedimenti a Gregorio Magno usque ad Decretales Gregorii IX. Ambitus impedimenti iuxta Decretales Gregorii IX. Modificationes legislationis ulteriores usque ad Codicis promulgationem. *Tractatus canonicus*: Praeliminaria. Verba canonis introductoria. Explicatio ipsius impedimenti iuxta can. 542, 1.

Carl Holböck, *Die Bination, Rechtsgeschichtliche Untersuchung*, Romae (Officium Libri Catholici), 1941, 17×24,5 cm., XII-132 p.

Die Geschichte der Bination: In der Zeit der öffentlich-rechtlichen Beurteilung der Messe. In der Zeit der privatrechtlichen Beurteilung der Messe. *Die Entwicklung bis zur Gegenwart*: Das Verbot und seine Sanktion. Die Ausnahmen. Das Gebot der Nüchternheit und die Bination. Der besondere Ritus der

Binationsmesse. Das Verbot des Binationsstipendiums. Die Bination in der orientalischen Kirche.

Michael Cardinalis Lega, *Commentarius in Iudicia ecclesiastica iuxta Codicem iuris canonici*, curante Victorio Bartoccetti, Volumina tria, Romae (Anonima Libraria Cattolica Italiana), 1938-1941, 17,5×25 cm., XVIII-1043 p. (vol. I-II), 419 (vol. III).

De foro competenti. De variis tribunalium gradibus et speciebus. De disciplina in tribunalibus servanda. De partibus in causa. De actionibus et exceptionibus. De causae introductione. De litis contestatione. De litis instantia. De interrogationibus partibus in iudicio faciendis. De probationibus. De causis incidentibus. De processus publicatione, de conclusione in causa et decausae discussione. De sententia. De iuris remediis contra sententiam. De re iudicata et de restitutione in integrum. De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio. De executione sententiae. De modo evitandi iudicium contentiosum. De iudicio criminali.

Klaus Mörsdorf, *Rechtsprechung und Verwaltung im kanonischen Recht*, Freiburg im Breisgau (Herder et Soc.), 1941, 14×22 cm., XV-212 p.

Die Funktionen der kirchlichen Leitungswalt. Der Unterschied zwischen Rechtsprechung und Verwaltung. Die Rechtswege und ihre Verfahrensarten. Die Gerichts- und Verwaltungsorgane in ihrem wechselseitigen Verhältnis.

Antonius Peinador, C. M. F., *De iudicio conscientiae rectae*, Madrid (Editorial « Coculsa »), 1941, 14×20, XXXI-158 p.

De conscientia in genere: definitio et generalis divisio conscientiae; conscienta ut regula humanorum actuum. *De obligatione et de mediis procurandi iudicium conscientiae rectae*: de existentia et natura obligationis; de mediis procurandi iudicium conscientiae rectae. *De certitudine; opinione et dubio, ut sunt diversi status animi in quaerendo iudicio conscientiae rectae. De modo formandi iudicium conscientiae rectae in casu certitudinis, opinionis vel dubii, quae sint ultimi termini investigationis de de agenda.* Appendix: De systematibus moralibus.

Aloysius Van Hove, *De sanctissima eucharistia*, edit. altera aucta et recognita, Mechliniae (Dessain), 14,5×22,5 cm., XI-404 p.

Hoc volumine exhibentur ea quae distinctis manualibus proponi solent, quippe quae re vera ad diversas disciplinas theologicas spectent, scil. ad theologiam dogmaticam, theologiam moralem, ius canonicum. Ad mentem Doctoris Angelici quaestiones scholastice exponuntur, ratione tamen habita progressus quem recentior theologia suppeditat.

II - Ex Periodicis

APOLLINARIS, XIV (1941), num. 1 — A Lanza, *De fine primario matrimonii* (contin.), pag. 12-39 — G. De Schepper, *De virtutum altruisticarum natura, extensione et obligatione*, pag. 40-51 — C. Damen, *De excommunicatione contra extrahentes reliquias ex catacumbis romanis olim lata*, pag. 52-60.

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, III (1941), num. 2 (apr.-iun.) — Arnaldo Bertola, *Sulla natura et efficacia della sentenza di primo grado di nullità matrimoniale nel giudizio canonico*, pag. 147-156 — P. A. D'Arvack, *L'impedimento dell'ordine sacro nel diritto matrimoniale canonico* (contin. e fine), pag. 157-174 — Pio Cipriotti, *Sulle potestà della Chiesa* (contin. e fine pag. 189-197).

BOGOSLOVSKA SMOTRA, XXIX 1941), num. 4 — F. Herman, *De charatere iuridico causarum separationis a toro et a mensa*, pag. 215-235.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO E RASSEGNA DI DIRITTO MATRIMONIALE, LII (1941), num. 7-9 (luglio-sett.) — Carlo Pacelli, *Non deferibilità del giuramento decisorio al rappresentante processuale di un ente sovrano*, pag. 297-308.

MISSIONSWISSENSCHAFT UND RELIGIONSWISSENSCHAFT, IV (1941), num. 3 — Joh. Brinktrine, *Das Heil der Ungetauften als Missionsproblem*, pag. 195-206 — Joh. Braam, *« Missio » und « Missionarius » im römischen Brevier*, pag. 207-216 — W. Ulms, *Die Katechumenatspraxis der Weissen Väter*, pag. 217-225 — Fr. Taeschner, *Der Islam in der gegenwärtigen Weltkrise* (contin.), pag. 230-252.

PALESTRA DEL CLERO, XX (1941), vol. II, fasc. 6 (20 ag.) - A. Mancini, *Dello sciopero della fame*, pag. 94-99 — F. Romualdo Bizzarri, *Tendenze irragionevoli*, pag. 206-209.

PASTOR BONUS (Trevir.), LII (1941), fasc. 9/10 (sept. okt.) Josef Rausch, *Die Bedeutung und Verantwortung der Familie für das christliche Denken*, pag. 134-139.

PASTOR BONUS (Rom.), V (1941), fasc. 7/8 (iul.-aug.) — I. Monetti S. S., *SS. RR. Pontificum de doctrina sociali et praxi praecipua placita cum commentariis*, pag. 349-356 — Fasc. 9

(sept.) — Ph. Oppenheim O. S. B., *Missa qua centrum cultus*, pag. 397-406.

RAZON Y FE, XLI (1941), oct. — E. Guerrero, *El fervor religioso*, pag. 10-20 — Nov. — C. Bayle, *Educacion de la mujer en América*, pag. 206-225.

RASSEGNA DI MORALE E DIRITTO, VII (1941), num. 1-2 (ian.-iun.) — S. Romani, *Systema canonicum de sacramentis in auxilium theologiae moralis*, pag. 25-40.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO E DEI RAPPORTI DI FAMIGLIA, VIII (1941) num. 7 (luglio) — A. Visco, *Responsabilità del capofamiglia per obbligazioni contratte dalla moglie o dai figli*, pag. 198-203 — Num. 8 (agost.) — De Fanis, *L'obbligo degli alimenti*, pag. 225-236.

THEOLOGISCH-PRAKTISCHE QUARTALSCHRIFT, XCIV (1941), num. 3 — E. Przywara, *Alter und neuer Katholizismus*, pag. 184-196 — C. Richstaetter, *Der Kampf gegen die Herz-Jesu-Verehrung einst und heute*, pag. 196-208 — A. Eberle, *Ueber die Versuchung* (finis), pag. 208-233.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Philippus Aguirre, S. I., Prof. iur. publ. et concord. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 80 ss., 123 ss., 193 ss., 370 ss.

Hubertus Beijersbergen, S. I., Prof. iur. can. in Coll. Max. Traiectensi in Hollandia, p. 45 ss., 274 ss.

Raymundus Bidagor, S. I., Prof. textus iur. can. et inst. iur. rom. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congreg. de D. Sacramentorum, p. 51 ss., 392 ss.

Iosephus Creusen, S. I., Prof. textus iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana; Cons. S. Congr. S. Officii, p. 319 ss.

Michaël Fabregas, S. I., Prof. inst. iur. can. et theol. moralis in Pont. Univ. Gregoriana, p. 20 ss.

Petrus Franceschini, S. I., Prof. litt. latin. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 251 ss.

Romualdus Galdos, S. I., Prof. S. Script. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 388 ss.

Gustavus Gundlach, S. I., Prof. sociol. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 242 ss.

Ioannes M. Hanssens, S. I., Prof. inst. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congr. pro Eccles. Orient. et SS. Rit. in sectione liturgica, p. 280 ss.

Franciscus X. Hecht, P. S. M., Procurator Generalis P. S. M., p. 205 ss.

Leo Lopetegui, S. I., Prof. hist. gen. miss. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 95 ss.

Ioannes M. Restrepo, S. I., Prof. hist. Cur. rom. ad Tabul. Vatic.; theol. Datar. Apost. et S. Paenit., p. 135 ss.

Ioseph Schweigl, S. I., Prof. inst. liturg. orient. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 221 ss.

Sebastianus Tromp, S. I., Prof. theol. fundam. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congreg. S. Officii, p. 265 ss.

Ioannes B. Umberg, Prof. theol. moralis in Canisianum ad Sion, p. 161 ss.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

	Pag.
De cognitione aestimativa requisita in consensu matrimoniali	5
De obligatione vitandi probabile periculum peccandi, Michaël Fabregas, S. I.	20
Practica quaedam applicatio canonis 1099 § 1, 1°, Hubertus Beijersbergen, S. I.	45
Ad Responsa de competentia annotationes, Raymundus Bidagor, S. I.	51
De religioso cultu relativo, Ioannes B. Umberg	161
Pactum missionale lusitanum, Philippus Aguirre, S. I.	193
De lampade eucharistica, Franciscus X. Hecht, P. S. M.	205
De Menologio graeco-slavico post annum 1054, Ioseph Schweigl, S. I.	221
Quo sensu in S. Missae offerat Ecclesia, offerant fideles, Sebastianus Tromp, S. I.	265
De metu in iure poenali Ecclesiae, Hubertus Beijersbergen, S. I.	274
De laudibus Carolinis, Ioannes M. Hanssens, S. I.	280

INDEX MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS PP. XII — *Pag.*

1 - Epistula Encyclica Saeculo exeunte octavo, 13 iun. 1940 59
Summarium analyticum 75
2 - Motu proprio, 1 dec. 1940, de Missa in pervigilio Nativitatis Domini sub vesperam celebranda . 76
3 - Sermo de pace, 24 dec. 1940 78
Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. . . . 80
4 - Constitutio apostolica S. Iacobi Capitis Viridis et aliarum, 4 sept. 1940 90
Annotationes, L. LOPETEGUI, S. I. . . . 95
23 - Allocutio radiophonica ad commemorandum quinquagesimum a. *Rerum novarum* . . . 229
Annotationes, G. GUNDLACH, S. I. . . . 242
33 - Allocutio ad S. R. Rotam 302
Synopsis et annotationes 310

Acta summatim relata.

14 - 15 - 27 - 44 . . . . . 143, 255, 395

S. C. S. OFFICII

5 - 24 - 35 - Proscriptio librorum 102, 251
6 - Prohibitio associationis « La Crociata mariana » 103
25 - Monitum de praevia censura librorum . . . 253
34 - Declaratio de cautionibus in mixtis nuptiis praestandis 317
Annotationes, I. CREUSEN, S. I. 319

S. C. CONSISTORIALIS

36 - Erectio Capituli cathedralis Csanadiensis . . 327
28 - 45 - *Acta summatim relata* 256, 397

S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

7 - Normae pro exsequendis articulis XXII-XXV Concordati lusitani 104
Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. . . . 123
8 - De Instructione circa custodiam SS. Eucharistiae studiosius servanda 128
40 - De ordinandis tribunalibus eccl. pro causis null. matr. in insulis Philippinis 337
41 - De normis pro investigationibus praematrimonialibus 344
Brevis explanatio, PH. AGUIRRE, S. I. . . 370

S. C. CONCILII *Pag.*

9 - Catanen. - Reservatio dignitatum Capitularium 129
37 - Catanen. - De iure eligendi canonicos et dignitates 329
38 - Bosanen. - Renuntiatio iuri praesentandi . . 331
39 - Instructio circa Missam frequenter audiendam 333
18 - *Acta summatim relata* 148

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

16 - 29 - *Acta summatim relata* 147, 256

S. C. RITUUM

17 - 46 - *Acta summatim relata* . . . 147, 256, 397

S. C. PRO ECCLESIA ORIENTALI

10 - Decretum pro spirituali administratione Ordinariatuum Graeco-Ruthenorum in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis 132
11 - De facultate concedendi transitum ad alium ritum 133

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

12 - Dubium circa absolutionem generali modo impertiendam militibus « imminenti aut commisso praelio » 134
Annotationes, I. M. Restrepo, S. I. . . . 135
13 - Sacerdotibus detentis facultas audiendi confessiones conceditur 142
26 - Indultum circa pia exercitia per mensem agenda 253

S. C. DE SEMINARIIS ET STUD. UNIV.

42 - Epistola ad Commissarios Semin. regionalium Italiae circa cursum psalmorum 385
Annotationes, R. Galdos, S. I. 388

PONT. COMMISSIO INTERPRET. CODICIS

43 - De iure funerandi 392
De separatione coniugum 392
Annotationes, R. Bidagor, S. I. 392

PROVISIONES ECCLESIARUM

19 - 31 - 47 . . . . . 148, 257, 399

NOMINATIONES

20 - 32 - 48 . . . . . 150, 258, 401

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE

21 150

TABULAE SYNOPTICAE CAUSARUM S. R. ROTAE

22 151

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE 154, 259, 402

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Absolutio impertienda generali modo « imminente aut commisso praelio »; quando liceat eam dare, 134; quae praesentia requiratur, 140.
Actio Catholica quadruplici vinculo coniunctionis gaudere debet, 143.
Administrativus ordo distinguendus ab ordine iudiciario, 58.
Alphonsus de Ligorio (*S.*) quid senserit de obligatione vitandi probabile periculum peccandi, 33.
Bellarminus Robertus (*S.*) quid senserit de cultu imaginum, 156, 176; quid sentiat de sacrificio fidelium in Missa, 266 et ss.
Capitulares qua tales non sunt dicendi ecclesiae addicti quoad iura funeraria, 392.
Catanensis Capituli Cathedralis dignitates sunt reservatae Apostolicae Sedi, 131.
Causa de separatione coniugum non transit in rem iudicatam, 392.
Cautiones in mixtis nuptiis a quo praestandae, 317; quid si implicite praestitae fuerint, 318.
Circumscriptio missionaria quid sit, 195; cui incumbat obligatio providendi religioni intra eam, 196.
Concilium Nicaenum II qualem cultum imaginibus tribuendum censuerit, 168.
Concordatum lusitanum quid concedat potestati civili quoad matrimonia canonica, 123; eius nota distinctiva.
Congregatio de Disciplina Sacramentorum; quid possit, quid non possit in causis nullitatis matrimonii, 55 s.; quid possit in casu denuntiationis nullitatis matrimonii ad normam can. 1971 § 2, 58; normae pro exsequendis articulis XXII-XXV Concordati cum Lusitania, 104.
Conversi quandi dici possint obligati ad formam canonicam matrimonii, 47.
Csanadiense capitulum cathedrale erigitur, 327.
Cultus late dictus quid sit, 166; quomodo exerceatur, 175; difficultas quoad cultum imaginum et reliquiarum, 162; recta definitio cultus relativi, 192.
Custodia diligens SS. Eucharistiae denuo commendatur, 128.
Defectus requisitae appretiationis in actu humano quid sit, 11.
Defensor vinculi non est delegatus S. C. de D. Sacramentorum in causis nullitatis matrimonii, 57.
Directiones, quid veniat sub hoc nomine, 197.
Doctrina valoris in quo consistat, 2.

Durandus quid senserit de cultu imaginum, 163.
Ecclesia possidet ius res vitae socialis diiudicandi, 244.
Elementum tertium quod moderna psychologia exigit ad consensum validum, 13.
Familiae iura in campo oeconomico et sociali, 249.
Fideles tenentur in campo sociali adlaborare, 245.
Fumarola professor quid requirat in consensu matrimoniali praeter cognitionem actus, 8.
Graeco-Ruthenorum spiritualis administratio in America Septentrionali, ad decennium confirmatur; modificationes introducendae in art. 15 et 39, 132.
Hierarchia ecclesiastica aliter constituitur in coloniis lusitanis Africae et Timor, 90.
Imagines sacrae, doctrina quoad earum cultum, 163; occasio cultus quoad personas, 170; dignae cultu late dicto, 171; considerari possunt ut repraesentantes personam, 182; ut aliquid cum exemplari coniunctum, 188.
Immoralitas constitutionalis quomodo explicetur a modernis psychiatris, 15; quid iudicet de eius certitudine Tanzi-Lugaro, 17; non est dicenda species quaedam morbi mentalis, 19.
Ius utendi rebus materialibus unicuique personae inhaeret, 145.
Laborandi ius competit personae humanae, 248.
Laici quo sensu offerant in Missa, 270.
Lampas coram SS. Sacramento nutrienda oleo olivarum vel cera apium, 205; quando desinat urgere haec lex, 218.
Laudes carolinae. Quid hoc nomine designetur, 280-281; earum exempla percensentur e variis codicibus, 282-291; ex ordinibus romanis ordinationis et consecrationis papae, 291-293; ex ordinibus coronationis imperatoris, 293-294; ex ordinariis ecclesiae Romanae, 294-295; et diariis magistrorum caeremoniarum eiusdem ecclesiae, 295; e libris liturgicis ecclesiarum Gallicarum, Germanicarum, Italicarum, 296-297. Laudum carolinarum textus antiquissimus, 283-284; textus antiquus nondum editus (e cod. Mettensi lat. 351), 285-287; textus graecus (ex eodem cod.), 288-291; textus ad usum ecclesiae Romanae, 292-293. Laudum carolinarum sctructura, 298-302. Formulae quaedam ipsis laudibus adiunctae, 299-301.
Lehmkuhl quid teneat de obligatione vitandi grave periculum peccandi, 27.
Libri proscripti, Laberthonnière, 251; Koepgen, Laros, Mulert, 327.
Lux electrica coram SS. Sacramento, utrum vigeat adhuc decretum d. 23 febr. 1916 S. C. R., 206, 210.
Matrimonium contrahendi ius nequit auferri lege humana, 305; incapacitas psychica, 311; incapacitas somatica, 312; declaratio nullitatis, 314; solutio vinculi, 315.
Menologium ecclesiae russicae dissidentis, quid de eo possit retineri, 221, 228.
Mensis pro piis exercitiis quomodo intelligendus, 253.
Metus gravis ab intrinseco videtur excusare a poena ecclesiastica, 279.
Missa quo sensu offeratur ab Ecclesia et a fidelibus, 268, 270.

Missionarii exteri sub quibus conditionibus admittentur in coloniis lusitanis, 198.
Nativitatis Domini in pervigilio sub vesperam permittitur missa, 76.
Normae servandae in peragendis investigationibus matrimonialibus, 344.
Oblatio praecisive sumpta in Missa; quo sensu perdurat post consecrationem, 270.
Pacis praesupposita essentialia, 78.
Paroeciale regimen Capitis Viridis servatur, 195.
Patronatus Orientis utrum subsistat, 194.
Patroni et operarii debent primo et per se ordinare mutuas relationes, 243.
Personae humanae relationes ad societatem et potestatem publicam, 246.
Philosophia scholastica non ignorat doctrinam valoris, 14.
Praenotificationis privilegium quoad nominandos Episcopos, non quoad Vicarios vel Praefectos Apostolicos, 193.
Principium boni communis servandi non recte interdum intelligitur, 248.
Probabile periculum peccandi, quid sit, quomodo dividi possit, an quis teneatur sub gravi vitare illud, 20 et s.; argumenta hanc obligationem affirmantium diluuntur, 22 ss.
Promotor iustitiae non est delegatus S. C. de Sacramentorum in causis nullitatis matrimonii, 57.
Psalmorum explicatio instituitur in Seminariis regionalibus Italiae, 385.
Psychologi et *psychiatri* moderni quid requirunt ad actum humanum ponendum, 6.
Recursus frequentes ad S. Sedem utrum conveniant necne, 216.
Reliquiae sacrae, quid tenendum sit de earum cultu, 163.
Romana Rota (*S.*), causae examinatae a. 1940, 151.
Sacerdotes detenti facultate donantur audiendi confessiones sociorum, 142.
Sacrificatio fit ab Ecclesia, non a laicis, 269.
Sacrificium, cfr. Missa.
Saeculo exeunte octavo, Epistula Encyclica ad Lusitanos, 59; summarium analyticum, 75.
Status ius habet subsidiarium interveniendi in re sociali et oeconomica, 242.
Subsidia oeconomica conferenda a Gubernio lusitano missionariis, 201.
Superiores maiores, non est extendenda ad eos facultas facta in decr. S. C. R. die 23 febr. 1916, 208.
Thomas (*S.*) an docuerit obligationem gravem vitandi probabile periculum peccandi, 40, not. 26; quid senserit de cultu imaginum, 164.
Transitus ad alium ritum denuo uni S. Sedi reservatur, 133.

Periodica de re morali

v.30
1941

CBPac

v.30
1941

23699

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6908